


m. Emblemen




Prag II 64 Erste Ausgabe

1 Titelkupfer 1 Portr.
8 Bl. 500 S. 24 S. Index,
50 Kupfer

ex Libris Thomae ötth[?] Cani[?]

Adv. 787/40

Fiesslin




GLORIA HÆC EST OMNIBVS SANCTIS EIVS.
THEATRVM GLORIÆ SANCTORVM
ERECTVM A F. CASIMIRO FÜESSLIN CONCIONATORE
ORDINIS S. FRANCISCI F.F. MINORVM RECOLLECT.
Prouinciæ Argentinæ.
M D C XCIIII.

S. Arnold del.

THEATRUM GLORIÆ SANCTORUM

Erectum à Venerando P. Fratre

CASIMIRO FÜESSLIN


Ord. S. Francifci FF. Recollectorum Provinciæ Argentinæ.

Anno Domini M. DC. LXXXXVI.

Hoc eſt

Conciones in Feſta occurrentia per annum, ex ſacris paginis, SS. Patribus, aliisque probatis Authoribus ſummo ſtudio & labore concinnatæ in Uſum Verbi DEI Præconum.


Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis
Et
Permiſſu Superiorum.



SULZBACI,
Sumptibus
JOANNIS CHRISTOPHORI LOCHNER
Bibliopolæ.

Rmus ac Eminentissimus D. LOTHARIUS FRANCISCUS S.M.S. Archiep. S.R.I. Princeps Elector Epus Bamb.

Rclmo
Eminentissimo
Principi ac Domino Dom
LOTHARIO FRANCISCO
Sacræ Moguntinæ Sedis
Archiepiscopo S.R.I. per Germaniam Archi Concellario
PRINCIPI ELECTORI,
Episcopo Bambergensi,
Duo suo Clementissimo








Reverendissime & Eminentissime

ELECTOR:

Clementissime

PRINCEPS.



Eriò quidem injunxeram LIBELLO præſenti, ut à præli ſordibus dealbatus, quamprimùm absque ambage ſacram peteret SEDEM Moguntinam, demiſſoque poplite venerabundus Celſiſſimo ſe ſe ſiſteret Principi LOTHARIO: & ut ad iter promp-

promptiorem redderem, verbis Sulmonensis Poetæ blandè ſum adhortatus dicens:

Parve, nec invideo, ſine me Liber ibis in Urbem;
Heu mihi quod Domino non licet ire tuo.

Sed contra ſpem reſiſtere, imò recalcitrare eſt auſus inobediens Partus: Cauſam dicere juſſus inobedientiæ hujus, TIMOREM Reverentiâ mixtum allegavit, quem non tam formidandi Gentilitii Leones, ad ſacrum Limen excubantes, ſed LOTHARII potiùs Majeſtate plena facies incuteret: Suſpicere enim ſe in eo Celſiſſimum S. R. I. Principem, Cruce & Gladio metuendum: Cernere ſe in eo Reverendiſſimum Epiſcopum Bambergenſem PALLIO MITRAQUE Privilegiatâ Venerandum: Intueri ſe in Eo Archi-Epiſcopum Sacræ Moguntinæ Sedis Metropolitanum: Contemplari ſe denique in Eo S.R.I. Eminentiſſimum Electorem ac per Germaniam Archi-Cancellarium ob rara Virtutum Decora toto Imperio nominatum: Hæc Timorem ingerere, hæc greſſum retardare.

Bene eſt, dicebam, ſi ergo meticulosè Lepus trepidas adire LOTHARIUM, reſumpto animo ne verearis accedere FRANCISCUM: Quantùm enim Majeſtatis eſt in Lothario, tantùm Comitatis & Clementiæ reſidet in FRANCISCO: Leones quidem Gentilitii circumſtant LOTHARIUM, at AGNELLUS Manſuetus FRANCISCI eſt inſeparabi-

parabilis Comes, nemini aditum ad ſacrata Limina interdicens.

Age ergo, & hoc Tempore, quo felicia renaſcentis Anni auſpicia celebrat Orbis, gratulantium te immiſce Turbæ, Sacróque Limini demiſsè priùs libato oſculo, Reverendiſſimo ac Eminentiſſimo LOTHARIO FRANCISCO Te ſiſte, ac voce ſtentoreâ Clementiſſimo Principi vove, & acclama, ANNOS NESTOREOS; REGIMEN FELIX; VALETUDINEM INCONCUSSAM; ſimulque in Teſſeram centenarum tuarum Obligationum pro exili Strena & Xenio Celſitudini ſuæ demiſſo in terram poplite offer, dica, & conſecra THEATRUM GLORIÆ SANCTORUM, non variegatis Scenarum coloribus ſuperbiens, ſed rudi ſimplicique penicillo in tenebris à paupere Architecto adumbratum, radiis tamen glorioſis mox ubi ad Celſiſſimas manus admiſſum fuerit, illuſtrandum: Nulli enim melius Theatrum Gloriæ Sanctorum dedicatur, quàm quem Supremum Numen, providentiâ admirabili, in Theatro Gloriæ hujus Mundi collocavit.

Dignare igitur, Reverendiſſime, Celſiſſime & Eminentiſſime Princeps, ac Sereno Oculo reſpice Theatrum hoc Gloriæ Sanctorum, quot enim Cœlites id exornant, tot habebis Oratores & Advocatos apud Altiſſimum pro TE & TUIS intercedentes.

Vive interim DEO & Populo; Zelator Gloriæ divinæ, Gregi tuo Tutela & Præsidium, Patriæ Spes & Firmamentum, Imperii Decus ac Luminare, donec post longa Annorum Curricula, Meritis plenum ac glorioso senio confectum, Superi TE ex Theatro Gloriæ Humanæ transferant ad THEATRUM GLORIÆ SANCTORUM, ubi æternùm cum omnibus Sanctis læteris & triumphes. Ita precatur & vovet

Reverendissimæ & Eminentissimæ Celsitudinis vestræ

Ad Pedes & PEDUM prostratus

F. CASIMIRUS FUESSLIN,
Ord. S. Francisci Provinciæ Argentinæ.

FACUL-



FACULTAS

Admodum Reverendi

P. MINISTRI PROVINCIALIS.

EGo F. Demetrius Widman Ordin. FF. Min. Recollect. Lector Jubilatus: p. t. Provinciæ Argentinensis Minister Provincialis, hisce facultatem, quantum in me est, concedo, ut Theatrum Gloriæ Sanctorum à Ven. P. F. Casimiro Füesslin Provinciæ nostræ Concionatore erectum, ac à Theologis ad id deputatis lectum, & approbatum prælo dari possit: in cujus fidem has Officii mei Sigillo munitas dedi in Conventu nostro Augustano die 27 Junii 1695.


(L. S.)

F. Demetrius

Qui supra.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Cùm Sac. Cæsareæ Majestatis Privilegio cautum sit omnibus & singulis Typographis & Bibliopolis, ne libros à nostri Ordinis Patribus editos, vel imposterum edendos imprimant, recudant, aut alibi recusos intra S. R. Imperii, Regnorumque ac Ditionum hæreditariarum Domûs Austriacæ fines adducant, vendant vel distrahant absque assensu & facultate dictorum Patrum sub gravissima mulcta &c. Hinc Ego F. Demetrius Widman Ord. FF. Min. Recoll. Provinc. Argent. Lector Jubilatus, ac Minister Provincialis, Joanni Christophoro Lochner, Civi & Bibliopolæ Norimbergensi in impressione Libri, cui Titulus Theatrum Gloriæ SS. à Venerand. P. F. Casimiro [illegible] conscripti, per præsentes facultatem concedo utendi dicto Privilegio: in quorum fidem has meâ manu subscriptas, & Officii sigillo munitas dedi in Conventu nostro Augustano die 27. Junii 1695.



F. Demetrius

Qui supra.

APPRO-

APPROBATIO THEOLOGORUM.

THeatrum Gloriæ Sanctorum à Ven. P. Casimiro Füesslin Concionatore Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum Provinciæ Argentinæ mysticè erectum, Symbolis selectioribus eruditè illustratum, nec non Sacræ Scripturæ testimoniis, & SS. PP. Sententiis solidè roboratum, accuratiùs perspexi, nihilque sanis moribus, aut Fidei Orthodoxæ contrarium reperi: Proin ad utilitatem publicam publicæ Luci exponatur. Ita censeo ex Conventu nostro D. Virg. miraculosæ propè Dettelbacum 24. Martii Anno 1695.

F. LUCHESIUS MANGOLD,
ejusdem Ordinis ac Provinciæ
SS. Theologiæ Lector Jubilatus in præfato Conventu Casuum Professor.

❁ ❁ ❁

DE voluntate Superiorum attentè & studiosè inspexi & perlustravi Theatrum Gloriæ Sanctorum à Ven. P. Casimiro Füeßlin Concionatore Ord. S. Francisci, FF. Minorum Recollectorum Provinciæ Argentinæ erectum, nec solùm non inveni ab Authore in sua erectione contra Regulas morales quidquam aberratum, sed totum in nostra S. Fide, & moribus Christianis fundatum, Conceptibus Scripturæ & SS. PP. Authoritatibus firmatum, ac efficacissimis (ad emendandos mores) eruditionibus elaboratum: Hinc ad communem tum populorum utilitatem, tum ad Honorem & Gloriam DEI ejusq; Sanctorum in publicam Lucem deduci, ac omnium oculis spectandum exhiberi poterit. Ita censeo in Conventu nostro Dettelbacensi die 23. Martii 1695.

F. APOLLINARIS KAPP
Ejusdem Ord. & Provinciæ in præfato Conventu SS. Theologiæ Lector Ordinarius.

CEN-

CENSURA ORDINARII.

INfra ſcriptus perlegi Theatrum Gloriæ Sanctorum à Reverendo P. Caſimiro Füeſslin Concionatore Ordin. FF. Min. Recollect. Provinciæ Argentinæ concinnatum, & cùm nihil ibidem, quod bonis moribus, aut Orthodoxæ fidei contravietur, ſed omnia magno ſtudio & induſtriâ pro bono publico, præſertim Concionatorum, diligenter elaborata invenerim, ideò illud prælo omninò dignum cenſeo. Bambergæ 18. Junii 1695.

JOANNES ERNESTUS SCHUBERT,
SS Theologiæ Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, ad S. Jacobum Decanus, & per Diœceſin Bambergenſem in Spiritualibus Vicarius Generalis.

Con-

✿ ✿ ✿


Onciones Venerandi P. Casimiri Füefslin, Concionatoris Ordinis S. Francis. FF. Min. Recollect. Provinciæ Argentinæ, sub Titulo Theatrum Gloriæ Sanctorum, vidi & accuratè legi, & quia nihil Fidei Orthodoxæ, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Dogmatibus, aut bonis moribus inveni contrarium, quin potiùs magnum non sub scenis mutis, sed mystico vivacibus reperi stimulum, quò Fideles ad omnis generis non minus Virtutum quàm Scientiarum Opera inducantur, idcircò illas Luce & Prælo dignas censeo. Bambergæ 18. Junii Anno 1695.

JOANNES HELVICUS WALTHER
SS. Theologiæ Doctor, Protonotarius Apostol. insignis Ecclesiæ Colleg. ad S. Stephanum Decanus & Consiliarius Ecclesiasticus.



Index



INDEX CONCIONUM

HOC

OPERE CONTENTARUM.


)()()(

In

In Feſto Annuntiationis B. V.	Legatio Triplex.
In Feſto S. Georgii M.	Draco Venenatus.
In Feſto SS. Apoſt. Philippi & Jacobi.	Phlebotomia Sacra.
In Feſto Inventionis S. Crucis.	Comitia Arborum.
In Feſto St. Antonii de Padua.	Petrus Secundus.
In Feſto St. Joan. Baptiſtæ.	Miraculum Triplex.
In Feſto SS. Apoſt. Petri & Pauli.	Luminaria Magna.
In Feſto Viſitat. B. M. V.	Refugium Peccatorum.
In Feſto S. Henrici Imperat.	Mirabilia Mundi.
In Feſto S. Magdalenæ.	Arcus Cœleſtis.
In Feſto S. Jacobi Apoſtol.	Baculus Glorioſus.
Feſtum S. Matris Annæ.	Uranoſcopus Sacer.
In Feſto Portiunculæ.	Dies Secunda.
In Feſto St. Laurentii M.	Lenimen Dolorum.
In Feſto S. Claræ V.	Signum Magnum in Cœlo.
In Feſto Aſſumpt. B. M. Virg.	Certamen Cœli & Terræ.

In Festo St. Bartholom. Apost.	Tympanum Lugentium.
In Festo Nativitatis B.M.V.	Dies boni Nuntii.
In Festo Sacrorum Stigmatum.	Annulus DEI Obsignatorius.
In Festo St. Matthæi Apost.	Camelus per foramen Acus transiens.
In Festo S. Othonis Ep.	Otho Magnus.
In Festo St. Michaëlis.	Amicus Optimus.
In Festo Angel. Custod.	Custodia Nobilis.
In Festo S. P. Francisci.	Novus Stylita.
In Festo Apost. Simonis & Judæ.	Judices Terræ.
In Festo omnium Sanctorum.	Jerusalem Cœlestis.
In Commemoratione Fidelium Defunctorum.	Legatus de profundis.
In Festo S. Martini Ep.	Festum Pallii.
In Festo Præsentationis B.M.V.	Donum Rarum, Charum, Prçclarum.
In Festo St. Catharinæ V. & M.	Paralela Sacra.
In Festo St. Andr. Apost.	Idioma Peregrinum.
In Festo S. Nicolai Episcopi.	Alapa Sacra.
In Festo Immaculatę Conceptionis B. V. M.	Liber sine macula.

In Feſto S. Thomæ Apoſt.	Incredulitas Sancta.
Feſtum Nativitatis Domini.	Concionator Tacens.
In Feſto S. Stephani Protomartyris.	Echo Chriſti Crucifixi.
In Feſto S. Joan. Apoſt.	Aquila Privilegiata.
In Feſto SS. Innocentum.	Monſtrum Triforme.
Feſtum Aſcenſionis Domini.	Dies Domini.
Feſtum Pentecoſtes.	Ventorum Pugna.
In Feſto SS. Trinitatis.	Homagium Vaſallorum.
In Feſto Corporis Chriſti.	Bolus optimus & ſumptuoſisſimus.
In Feſto Dedicationis.	Domus DEI.
In Paraſceve Domini.	Teſtamentum JEſu Chriſti.



AD

Ad

AMICUM LECTOREM.

AMice Lector! non est quod à te petam aliud, quàm ut mihi condoleas, & lamenta Libri hujus benignè audias; verba ejus ita sonant, Miseremini mei saltem vos Amici mei, quia manus Typographi malè posuit me. Errores facilè corriges, si errata ad finem libri annotata aspexeris. Vale.

KALENDIS JANUARII.

SOMNIUM ADMIRANDUM

ET SOMNIA TERRENT

Audite Somnium meum, quod vidi, Gen. 37.



Estupeſcendum ac vix credendum ſomnium fuit, quod ſe vidiſſe teſtatur Poetarum noſtri temporis Phœnix, Jacobus Balde lib. 7. Silvarum, Ode 15. ità canens:

Dum vivo, dum tento Lyram, dum carmina dico,
Non tale vidi Somnium:

Ex Istro surgebat Equus, quem lumine cassum,
Lupus trahebat ambulans;
In pedibus Sonipes oculos alatus habebat,
Et tauriformes ungulas:
Insedi raptusq; diu per inane volatu,
Ignota veni littora &c.

Quod Poetæ huic Historiam Boicam scripturo accidit, idem mihi Strenis & Xeniis sacris inveniendis intento, elapsâ nuperâ nocte evenit. Fateor, dum vivo, dum verba sero, dum pulpita scando, non tale vidi somnium; nec enim septem obesi Pharaonis Boves, (a) à totidem macilentis absumpti; nec undecim stellæ ac manipuli Josephum adorantes; nec ominosa Nabucodonosoris Arbor, ita intricata germinavit mysteria, uti somnium meum. *Audite Somnium meum, quod vidi.*

Nox erat, & dulci claudebam Lumina somno: cùm subitò obstupui, steteruntque comæ, trepidosque per artus cucurrit pavor: stabat enim juxta stratum meum quidam, cujus vultum non agnoscebam: Barba erat illi ad pedes usque pendula, velut nix candida, facies gravis & verenda: ad scapulas binæ volabant alæ; dextrâ tenebat falcem, in capite vitrea stabat clepsydra, ponè latus alatus hinniebat sonipes, sessorem operiens suum: Insedimus ambo, diuque per inane vagati, tandem ad aulam constitimus regiam.

Regio grandis erat, sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasq; imitante pyropo.

Stabat in medio aulæ hujus Mensa prægrandis, quam gemmis auroque superbus vestiebat tapes: bis quaterni interim prodière Genii, totidem obvolutis patinis mensam onerantes: Siderato adstabam similis, quid nocturnæ hæ portenderent imagines nescius, cùm repentè ex stantis ibidem Bifrontis Jani statua vox auribus meis allabitur; En strenas, en munera, en anxiè quæsita xenia; surge, tolle, divide.

Exanimásset me propè vox hæc peregrina, nisi leniter præhensum antiquus ille dierum bono jussisset esse animo: Mensam proindè jussu ipsius accedo, ac manu subtimidâ primam Lancem detego, & ecce!

Speculum tersissimum invenio, auro & gemmis affabrè inclusum; at (quod me plurimum terrebat) ex pallido ebore sculptis mortuorum capitibus variis undique coronatum: hærebam diu dubius, cui metuendum hoc speculum pro Xenio consecrarem, cùm ad me conversus Senecio Ductor meus ait; Age Munus hoc regium, Regis Numæ Pompilii quondam Speculum, in aulis suspende Regum ac Principum, ut sese in eo contemplentur atq; considerent, utrum non sint sicut & cœteri hominum, cinis, pulvis & nihilum: crede mihi majores vires exeret hoc speculum, quàm olim Scutum Persei, Gorgonum & Medusæ capite metuendum: ad speculum

(a) *Genes. c. 41.*

culum enim iſtud, mox aureas ſuas pennas demittent ſuperbi pavones; ad ſpeculum iſtud faſtum deponent ob divitias elati Eucliones; ad ſpeculum iſtud, demiſsè de ſe ſentient ob ſcientiam inflati Platones; ad ſpeculum iſtud lapidis inſtar obrigeſcent ob formæ pulchritudinem ſuperbæ Veneres & Junones: nam ſuperbiæ edomandæ potentius remedium ſecundùm Capadociæ Præſulem Baſilium non invenitur, (a) quàm viva mortis meditatio, hæc enim *contra omne peccatum eſt amuletum*: *ſicut enim anchora navem retinet*, ait S. Antonius Paduanus, (b) *ne in ſaxis ſe frangat, ſic mortis memoria vitam noſtram retinet, ne in peccata ruat.*

Sapienter proinde B. Ephrem Syrus Speculum hoc ad frangendam ſuperbiam mortalibus offert, dicens: (c) *Inclinate vos ad ſepulchra permixtos oſſium acervos, craniaque carnibus exuta cernite; & hæc conſiderantes, vos ipſos in illis velut in ſpeculo quodam contemplamini*: Subſidet tumor, evaneſcet faſtus, tumentes denique ſuos fluctus ambitio hîc franget & allidet.

Lancem ſecundam totam auream ubi detexi, plus obſtupui, nil enim inerat, quàm oblongæ binæ Aures Aſini. Dubitabam diu, num fortè hæ aures ſtetiſſent in capite Aſinæ Balaam; an forſan reliquiæ forent Aſinæ illius, quæ Chriſtum in ſtabulo adoravit, aut alterius, quæ Salvatorem in die Palmarum Hieroſolymam vexit: ſed Corona regia in lance artificiosè ſculpta, dubium omne reſolvit, ac Aures Midæ Regis Phrygiæ eſſe declaravit: de hoc enim Rege memorant Poëtæ, adeò eum felicem fuiſſe, ut à Bacho, (quem lauto hoſpitio exceperat) optio ei ſit data, quidvis petendi & impetrandi: petiit Midas, ut quidquid contingeret, mox in aurum verteretur; annuit Bachus, at cum ſtolidus Rex ſentiret & cibos & potum in aurum verti, facti pœnitens ne fame periret, Bacho iterum ſupplex factus, rogavit, ut conceſſum donum auferret, & gratioſo hoc malo ſeſe liberaret: impetravit iterum quod voluit; at in pœnam ſtultæ electionis ei poſtmodum ab Apolline Aſininæ Aures ſunt appenſæ.

Aures hæ Aſininæ, dicebat Senex meus, neminem magis, quàm avaros Eucliones decent, his ergò illæ donandæ ſunt & appendendæ. Stolida utique habent capita aurei hi Aſini, qui in hoc toti ſunt & deſudant, ut aurum & argentum coacervent; divitias & opes tranſitorias corradant; cœli ac æternorum bonorum toti immemores; non attendentes monitum illud Chriſti: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.* (d)

Optimè de his Midæ Sociis ait Ambroſius: (e) *Divites quidem ſunt, ſed pœnam pauperum patiuntur*: jejunant pau-

(a) *Baſilius Hom. 11. in Geneſ.* (b) *Ant. Pad. Serm. in Dom. 16 poſt Trin. Item Dom. 4 Epiph.* (c) *Ephrem Serm. de Vita Spirituali.* (d) *Matth. c. 16.* (e) *Ambr. Lib. de Cain & Abel.*

pauperes, quia ad manus quod edant, non habent; in abundantia auri avari famem patiuntur, quia quod habent, præ avaritia attingere non audent: malè vestiuntur pauperes, divitum vestes corrumpunt & absumunt tineæ: dormiunt pauperes securè, dormire divites non sinunt curæ, nam teste Innocentio tertio Papâ,(a) *divitiis mentem assiduò labor in acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo fatigat & affligit*; dies laboriosi ducuntur, & noctes expenduntur insomnes: Vix de terra aurum eruunt, & mox iterum id sub terra abscondunt, unde exclamat Augustinus: (b) *Quæ est ista rogo animarum insania, acquirere aurum, & perdere cœlum!*

Auribus asininis sunt ergò tales digni, attestante S. Cypriano, (c) dum miseri non intelligunt speciosa sibi esse supplicia, auro velut mancipia se illigatos teneri.

Lancem tertiam detegere non erat opus; ex Crystallo enim erat, tota quanta pellucida.

Inerat Scutellæ huic Piscis rosis circumdatus, cui opticus tubus adjacebat: rogabam Senem meum, cui obsecro ferculum hoc esset destinatum, quid opticus tubus sibi velit? Responsum mihi, ad Amasios & Procos, quos impurus ardor stimulat, Xenium hoc spectare, donum omnino accommodatissimum. Symbolum enim Cupidinis est Rosa & Piscis; (d) Piscis silentium denotat, Rosa spinis scatet: Ex symbolo hoc amentes hi amantes firmiter credunt amores suos furtivos non facilè detegendos aut propalandos, sed muti instar Piscis æternum silentium observandum; sed falluntur splendidè: in scutella enim diaphana, nequeunt abscondi scelera, produntur eminus; & uti Rosis & Piscibus pungentes adhærent spinæ & aculei, ita & amorem à pede comitatur luctus & dolor, acutisque mentem lancinant puncturis; unde Boëtius l. 3. de consol. canit:

Habet hoc omnis voluptas,
Stimulis agit furentes,
Apiumq; par volantûm
Ubi grata mella fudit,
Fugit & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Monstrat hoc abundè vel ipsa imago Cupidinis.

Cæcus pingitur Cupido; quia pericula & laqueos non cernit, ignorans quod ad vincula stultus trahatur; (e) hoc apertè testatur D. Ambrosius l. de Abraham c. 6. dicens: *Cæca est omnis libido, & quod est ante se, non videt*, sibi ipsi oculos eruit, & destituta lumine mentis, in foveam iniquitatis agitur præceps: addit Clemens Alexandrinus lib. 6 in Joan c. 21.

Alatus est amor, quia momento avolat; nam secundùm Petrum Cellensem, (f) *Currit, fluit, labitur, evanescit.*

Pha-

(a) *Innoc. Papa c. 14. de contemptu mundi.* (b) *August. lib. de doctrina Christ. Serm. 25. de Verb Dei.* (c) *D Cyprianus lib. 2. ep. 2. ad Donat.* (d) *Camerarius in Symb. Alciatus.* (e) *Proverb. 7.* (f) *Petr. Cellens. Lib. 5. Epist. 13.*

Pharetratus est Cupido, quia Cor sauciat; facem manu gerit, quia incendia & flammas spargit:

Nudus est denique, quia occultari nequit: Hinc tubo optico opus habent insipientes hi amatores, ut videant à longè, quo amores improbi eos deducant. Utinam utinam saperent ac novissima providerent; utinam tubo hoc imminentem sibi ruinam prospicerent, pericula, quibus undique cinguntur, cernerent, confusionem ac infamiam orituram perpenderent, rixas, duella, tragicas cædes; miserandas & repentinas neces, probrosam mortem, ignes demùm æternos secuturos præmeditarentur; non ità cœco impetu in amores ruerent illicitos. Tubus ergò opticus amentibus his Xenium esto.

Ad Scutellam quartam totis artubus cohorrui: vix enim lancem levaveram, cùm grandi strepitu ac scintillantibus oculis feralis evolavit Bubo lucis impatiens; nec aliud in scutella reliquum remansit, quàm sanguinolenti aliquot oculi, velut recenti laniena, ex humano capite expuncti: Mysterium mox penetravi, ac ad Invidos spectare hanc lancem animadverti. Feralis enim noctua proprium Invidorum est Symbolum: Sicut enim hæc Lucem ac Solem non patitur, ità & hi splendorem felicitatis Proximorum non tolerant, sed occultè dentibus strident, indignantur ac contabescunt: Hinc rectè Cyrillus de oculo Invidi ait: (a) *Maledictus sit oculus lividi, qui turbatur in lumine, & in tenebris delectatur*, qui cum noctua vitalem lucem non patitur, sed in caligine illustratur; cui gaudium luctus, lux nebula, cui adversitas proximi prospera, ac prosperitas ejus adversa.

O horrendum, pestiferum ac perversum malum! O quisquis es, monet te Bernardus, (b) *qui saluti invides alienæ, parcito vel tuæ*, noli oppidò ita desipere, ut imiteris lividum illum, de quo Polyanthea refert, missum aliquando à Jove Apollinem, ad explorandos sensus & voluntates hominum:

Primi, in quos Apollo incidit, erant Avarus & Invidus, quibus is collocutus copiam fecit petendi quid vellent, impetraturos omnia, at eâ lege, ut quod unus peteret pro se, alter acciperet in duplo: Avarus primus erat, sed induci non poterat, ut quidquam peteret, ne forsan alteri duplum accederet: at Invidus mox perfrictim petiit, unum sibi erui oculum, ut avarus ambos perderet.

An non benè Augustinus dixit: (c) *Invidia de aliena pœna quærit sibi medicamentum, & de salute acquirit grande tormentum.*

Adeste ergo Filii Belial, noctuæ infelices, quorum unica consolatio est aliorum infelicitas & ruina; quorum lucrum totum consistit in aliorum damnis & jacturis; quorum vultus

 non

(a) *Cyrillus l. 2. Apolog. mor. c. 29.* (b) *Bern. Epist. 7. ad Adam. Monach.* (c) *August. Serm. 83. de Temp. citatus à Fexenfelder hist. 134.*

non ſerenantur, niſi per gemitus & lacrimas proximi; quorum dolor non tollitur, niſi per tormenta æmuli; adeſte, & vobiscum ſumite ſanguine livido ſtagnantes hos oculos, ac Mantuani Poëtæ verſus de livore ſubſcribite:

Livor tabificum malis venenum
Intactis vorat oſſibus medullas;
Teſtatur gemitu graves dolores,
Suſpirat, fremit, incutitq; dentes:
Pallor terribilis genas colorat,
Infelix macies renudat oſſa;
Non lux, non cibus eſt ſuavis illi,
Non ſomnum capit aut quieſcit unquam,
Torquet viſcera carnifex cruentus,
Vivit pectore ſub dolente vulnus.
Quod Chironia nec manus levaret,
Nec Phœbus, ſobolésve chara Phœbi.

Quintam Lancem totam replebant virides locuſtæ, cum binis conchis marinis aquâ & ſilveſtri melle repletis.

Ferculum hoc, ajebat Senex meus, repoſitum eſt Epulonibus illis, quorum deus venter, ac gloria in confuſione; qui die noctuque edunt, ludunt, bibunt, vorant, vomunt ac eructant: Admonent Lurcones iſtos hæ Locuſtæ ſobrietatis, abſtinentiæ & jejunii, quo maximus inter natos mulierum Joannes in Eremo eis præluxit; cujus cibus unicus erant locuſtæ & mel ſilveſtre; cujus latex, aqua ex Jordane hauſta & ad menſuram modicè ſumpta: Meliùs foret his Epulonibus modò cum Joanne locuſtis hîc veſci, quàm ibi aliquando viperis, lacertis ac bufonibus ſaginari: ſatiùs eſſet fontanâ ſitim reſtinguere, quàm aliquando felle draconum & abſinthio potari, pice & ſulphure inebriari; pro brevi delitioſa merenda, interminabilem miſeriarum cœnam mercari; pro guttula mellis, inexhauſtum mare fellis permutare: opipara quidem prandia cum divite Epulone hi ſumunt, at maledictam Cœnam apud Inferos æternùm cum ipſo non digerent; celebrantur quidem nunc læta Bachanalia; at æterna, ac duriſſima eos expectat Quadrageſima.

Scutella ſexta maculoſâ pelle tigridis tegebatur, nec aliud niſi tres pugillares una cum ſpongia intus occultabantur.

Divinabam diu, quid Pugillares hi ſibi vellent, ad quósve ſpectarent; num forſitan ex iis eſſent, de quibus Scriptura meminit, dum Zachariam Patrem Joannis petiiſſe pugillarem, ac in eo nomen filii deſcripſiſſe memorat: Sed pellis Tigridis diſcrepans à pilis Camelorum, quibus veſtitus erat Joannes, aliud innuebat.

Occurrerunt tandem animo meo fatales duo Pugillares poſt necem ſanguinolentæ Tigridis Caligulæ inventi; quorum primo, nomen erat Pugio, alteri Gladius; in quibus nomina eorum conſignata erant, quos vel clam perimere, vel palam neci dare decreverat barbarus Tyrannus.

Rectè divinaſti, reſpondit Senecio meus; cruentas enim & vindicativas has belluas, quæ Tigridum inſtar hoſtium

hostium suorum sitiunt sanguinem, & carnibus eorum saginantur; qui ad gemitus & suspiria supplicum surdi, ad prostratorum lacrimas inexorabiles, ad condonandas injurias, saxo & marmore duriores existunt; non alia pellis decet, quàm rabidæ & vesanæ Tigridis, utpote cujus naturam & ferociam imitantur.

Spongiâ hæ Tigrides pro Xenio opus habent, ut injurias & pertinax odium, ungue adamantino in pugillaribus suis scriptum generosè deleant, & exemplo Ludovici XII. Regis Galliæ ad nomina persecutorum & inimicorum suorum crucem appingentes dicant: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: de hoc enim Rege scribitur, quod cùm regno pulsus, ac gravia quæque à primoribus aulæ ministris esset perpessus; rebellione sopitâ ad primum ingressum regni, omnium aulicorum nomina in suis descripserit pugillaribus, & ad marginem quorundam, qui primarii incentores ferebantur, crucem sat magnam apposuerit; quo comperto, cum aulici plerique vitæ suæ metuentes fugâ sibi consuluissent, Rex intellectâ fugâ subrisit, ac dixit: Pessimè hallucinatos esse hos Ministros, utpote nescientes differentiam inter alphabetum Mundi & Christi: ad hoc enim à se cruce signata nomina eorum, quod oblitus præteritorum pro malo bonum reddere, ac primariis in regno officiis eos donare in animo statuisset; redirent proinde alacres, & oblatâ gratiâ fruerentur. Vox tanto Rege digna; factum cunctis vindicativis imitandum.

Lanx septima ex indica testudine torno scitè elaboratâ, inclusam tenebat vitream clepsydram, persimilem illi, quam Senex meus in capite gestabat: circa hanc formicarum integrum agmen sursum & deorsum discurrebat, totum negotiosum & labori intentum: Xenium & munus opportunum illis, qui ludis toti dediti, otio torpent & marcescunt, à formicis meritò in ruborem dandi; nam Chrysostomo teste, (a) *formicis deterior est Vir piger, deses, & otio torpens*; unde meritò Salomon tales ad formicas remittit: (b) *Vade ad formicam ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam.*

Clepsydra lanci inclusa admonet hos, ut majorem rationem pretiosi & irreparabilis temporis habeant, à quo tota felix aut infelix pendet æternitas: singula momenta solicitâ curâ metiantur, nec ita temerè & prodigè insumant, ut meritò lamentetur Bernardus: (c) *Transeunt dies salutis, & nemo recogitat; nil pretiosius tempore, & heu hodiè nil vilius invenitur;* quin & ipse Ethnicus Seneca idipsum improperat, dicens: (d) *Magna vitæ pars elabitur malè agentibus, major nihil agentibus, maxima aliud agentibus; quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet?*

Et

(a) *Chrysost. in Psalm. 48.* (b) *Proverb. cap. 6.* (c) *Bern. Sermone ad Scholares.* (d) *Seneca Epist. 1. ad Lucilium.*

Et revera negare non possumus, magna enim pars temporis labitur inter mensas & jucundos calices, major perit inter confabulationes, lusus, jocos, & aleas: maximam partem consecramus somno & otio, nullius rei minùs memores quàm temporis.

Ex horis 8760. quas annus numerat, minima momenta cedunt numini; & utinam hæc cederent! audiant hi prodigi dilapidatores temporis, quid supra cit. Bernard. Serm. ad Scholares dicat: *Nemo vestrum parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis; & dicat, fabulemur, donec hora prætereat: heu donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio conditoris indulget, & hanc, ô miser, vis, ut prætereat.* O si horam unicam aut momentum revocare & mercari possent damnati, quid non darent, quid non agerent, quas cruces & tormenta non subirent? Sed actum est, clausa est janua, venit nox, in qua nemo amplius operari potest: pensent hæc & ruminent ii, quorum dies hactenus præterierunt velociores cursore, fugerunt & non viderunt bonum: Oculos in Clepsydram hanc omni momento conjiciant, & dum tempus habent, operentur bonum. (a)

Pensent hoc & contremiscant, qui diem in noctem verterunt, de die dormientes, de nocte ludos & choreas agentes, otiosi perversores temporum; quorum oculi vix aut rarò auroram vel orientem Solem conspexêre; meritò his occinendum illud Catulli, vobis cum semel occidet brevis lux, nox est perpetuò una dormienda; sed eheu nox longa, nox atra, inter ignes & incendia æternùm duratura.

Ultima demum Scutella ductilem continebat Tubam cum duro silice. Videbatur mihi hæc tuba una esse ex illis, quorum clangore sub Josue, Muri corruerunt Jericho; sed imago pœnitentis Hieronymi lapidi impressa docuit me aliud: præsentari nimirum hâc Tubâ, Tubam illam tremendam, de qua Hieronymus fatetur: (b) *Sive comedam sive bibam, sive aliquid aliud faciam, semper videtur Tuba illa sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad Judicium!*

Tubam istam obduratis, & obstinatis peccatoribus D. Augustinus pro amico consignat Xenio, dicens: (c) *Tuba itaq; Peccatoribus est necessaria, quæ non solùm aures eorum penetret, sed & cor concutiat, nec delectet cantu, sed castiget auditu.*

Certè si ad tremendum Tubæ hujus sonitum ita cohorruerunt Sancti, ut ad solitudines, antra & spelæa confugerint, facti socii Struthionum & Draconum in desertis Ægypti: Si Hieronymi lapidibus pectora ferierunt; Si Arsenii lacrimis salsis toti diffluxêre; Si Bernardi totis artubus contre-

(a) *Ad Galatas c. 6.* (b) *Hieron. c. 5. in Mat. Item Epist. ad Florentium.* (c) *August. Serm. 106. de Temp.*

contremuerunt; Si Auguſtini in triſtia hæc lamenta eruperunt; (a) *Væ mihi miſero cum venerit dies Judicii, cum aperti fuerint Libri conſcientiarum, quid faciam, cùm Cœli revelabunt iniquitatem meam, & terra conſurget adverſum me?* Si hoc fecerunt Sancti Dei, quid faciendum peccatoribus terræ? qui hactenus in luto peccatorum ut jumenta computruerunt; quorum tota vita fuit peccare, & Deum noviter crucifigere; qui velut aquam ſic iniquitatem hactenus biberunt? an non jure meritiſſimo hujus Tubæ clangor eos concutiat, feralis ſonus exanimet? lapis corda ipſorum ut malleus conterat & confringat? Melius utique illis erit in hac vita corda ferire ſilice, quàm aliquando montibus clamare: (b) *Cadite ſuper nos, & collibus, operite nos.*

Dum hâc ſacrâ cogitatione percullus Tubam lapidemque ſemel iterumque manibus verſo, repente nemine mortalium Tubam inflante, Tuba terrifico clangore perſonat, ſubitoque & Aula & Menſa & Senex Ductor meus ex oculis evanuère meis.

Auditores, audiſtis nunc Somnium meum; vos ipſi jam Interpretem agite. Sed ne hodierno die officio meo deeſſe videar, ac ſolo ſomnio paſtos domum remittam, Xenium & ego adjungo, quod procul & de ultimis finibus terræ, ex ipſa uſque Japonia vobis attuli, donum rarum, neſcio tamen utrum charum: nec Xenium meum aliud eſt, quàm annoſa, rugoſa, lippa, edentula, ac omnibus artubus præ ſenio tremens Vetula: Docebit hæc vos breviter exemplo ſuo recens inchoatum Annum, & ſanctè incipere, & bono fine claudere.

De hac Anicula memorant annuæ Japonenſes anni 1621. eam Idololatriæ & ſuperſtitionibus patriis ità fuiſſe addictam, (c) ut in honorem Idoli cujuspiam ſingulis diebus decies quater millies in terram ſeſe dejecerit, & venerabundo ore Idoli nomen, ut ſibi propitium exiſteret, invocaverit: At cum diſpulſis tenebris fidei lumen ei illuxit, ac ſacro latice eſt tincta, adeò indoluit, ut impoſterum cunctos honores Idolo priùs impenſos, in Deum retulerit, ac viciſſim de die 14000. vicibus ſanctiſſimum nomen Jeſu & Mariæ inclamârit ad cultum hunc divinum perſolvendum, uti prius à Dæmone, ita & nunc à Cuſtode Angelo excitata: Documento inſigni omnibus Chriſtianis relicto, ut annos mundo & carni impenſos, impoſterum Deo & Virtuti conſecrent, juxta monitum Pauli, (d) *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immuditiæ & iniquitati, ità nunc exhibete membra veſtra ſervire Juſtitiæ in ſanctificationem.* Dicere vult Apoſtolus: Si protendebantur manus veſtræ priùs ad rapiendum aliena, cum Zachæo nunc extendantur ad largiendum propria: Si hactenus pauperum obliti cor habuiſtis durum & imi-

(a) *Aug. libro medit. c.29.* (b) *Luc. c.23. 32.* (c) *Amide.* (d) *Rom.6.*


& immisericors; aperite nunc viscera charitatis, & Christi membra fovete, pascite & contegite: Si pedes vestri priùs currebant ad iniquitatem, ad saltus & alia ludicra; nunc ad Ecclesias properent, ad conciones, ad supplicationes, ad invisendos ægros & morbidos festinent: Si oculi vestri per incautos aspectus deprædati sunt animam vestram, deducant nunc cum Davide lacrimas quasi torrentem per diem & noctem: Si stybio & cerussâ facies vestras depinxistis, cincinnos capitis cum Magdalena crispastis, propudiosè denudato corpore, ut lascivæ Veneres in publicum processistis, cilicio nunc corpus tegite, flagellis in servitutem redigite, pedes Crucifixi lacrimis rigate, extensis manibus stringite: Affligendum enim est corpus, quod multis vacavit deliciis; longus risus perpeti compensandus est fletu, serica linteamina asperitate cilicii commutanda, pro unguentis cinere conspergendum caput, omniaque loca, in quibus antea lætari consueveramus, lamentis atque singultibus complenda.

Si cum Epulone crapulæ & ebrietati indulsistis, nunc abstinentiâ & jejunio intemperantiam corrigite: Si lingua vestra instrumentum fuit malitiæ, jocis, fabulis, impuris discursibus exorbitans; nunc divinis laudibus resonet, orationi instet, Psalmis occupetur: Si odio habuistis inimicos, injuriam fecistis proximo; compensate id beneficiis & obsequiis, honore & charitate eos complectimini.

Verbo, quidquid præterito deliquistis anno, præsenti nunc corrigite, & cum Bernardo ingemiscentes dicite: (a) *Suscipe Domine de mea miseræ vita obsero residuum annorum meorum; pro his verò annis, quos vivendo perdidi, quia perditè vixi, cor contritum & humiliatum ne despicias:* Impossibile est, ut annos & dies meos revocem, placeat tibi, ut recogitem eos in amaritudine animæ meæ.

Sic amissum redimitur tempus, Anselmo dicente: (b) *Tempus redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus.*

(a) *Bernard. Serm. 20. in Cantica.* (b) *S. Anselmus in Ep. Pauli ad Ephes. 5.*



IN

IN FESTO EPIPHANIÆ DOMINI.



Vidimus Stellam ejus in Oriente, Math. c. 2.

Diversos titulos Cœlo, sacræ attribuunt paginæ.

Isaias Sedem Dei vocat: (a) *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.*

A Baruch Domus Dei dicitur: (b) *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus.*

Rex David Civitatem Dei vocat: (c) *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.*

Deuteronomii c. 28. nuncupatur

B 2 thesau-

(a) *Isai. c. 66.* (b) *Baruch c. 3.* (c) *Psal. 86.*

thesaurus: *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum Cœlum.*

A Mathæo nominatur Thronus Dei: (a) *Non jurabitis per Cœlum, quia thronus Dei est.*

A Daniele denique Templum Dei dicitur: (b) *Benedictus es in Templo sancto gloriæ tuæ.* Universi benè. Est enim Cœlum magnifica Sedes Dei; Spatiosa domus, in qua mansiones multæ; Civitas gloriosa, thesaurus inexhaustus, thronus regius, ac templum majestate plenum. Verùm plus mihi hodiè arridet titulus ille, quem Cœlo antiquissimus attribuit Origenes, dum explanans verba Genesis c. 1. erunt in signa ait; *Liber quidam grandis est Cœlum, in quo Deus depinxit quæcunque futura sunt*: Neque est quod quisquam Titulum hunc stupeat velut exoticum, si recogitet Magnum illum Antonium Eremitarum Patriarcham rogatum aliquando, quomodo contemplari queat in vasta solitudine Magnalia Dei, libris undique destitutus? respondisse: *Liber meus est mundus iste, in quo rerum creatarum naturam, & Dei Oracula lego.*

Responsio conformis illi, quam D. Basilius Hom. 11. in Hexameron tradit: *Universa hæc mundi moles perinde est ac liber litteris notatus, palàm deprædicans gloriam Dei.* Si ergo Sanctis licuit Mundum terrenum comparare libro, cur Cœlo denegetur titulus ille, quem Joannes ipse confirmat dicens, vidisse se cœlum sicut librum convolutum? (c) *Recessit Cœlum sicut liber involutus*: Si ergo Cœlum liber est, characteres erunt Stellæ, ex quibus series futurorum successuum legi poterit.

Expertus est hoc Constantinus Magnus, cui in Cœlo Crux Stellis velut litteris insignita apparens, Victoriam de Maxentio & Licinio reportandam prædixit. (d)

Quis nunc miretur S. Augustinum, Magorum Stellam, (e) linguam Cœli vocare, dum ait: *Quid erat illa Stella, nisi magnifica lingua Cœli, quæ inusitatum Virginis partum inusitato fulgore clamaret.*

Charissimi AA: audiamus & nos, quid hæc lingua de Christo nobis loquatur; quid inusitatum hoc sidus portendat aut præsagiat.

Omnis in Cœlo vultus est, ait sapiens Seneca, (f) ubi novus Orbi Cometes illuxit, omnes horrent, omnes stupent, omnes augurantur, si pallidus existit, mortem Regum, necem Principum aut Cæsarum signare censent: Si ferali crine rubet, bellorum esse tesseram, ac in ore gladii terras vastandas autumant: Si Virgatus existit: famem, pestilentiam, morbos ac steriles annos minitari credunt: Si comatus aut trabalis, mutationem regnorum ac Religionis ferunt portendere.

Ita vulgi habet opinio, nec abs re; experientia loquitur, exempla probant.

Fatale

(a) *Math. c. 5.* (b) *Daniel c. 3.* (c) *Apocal. 6.* (d) *Baronius ad annum Chri. 312.* (e) *Augustinus Serm. 3. de Epiph.* (f) *Seneca lib. 7. nat.*

Fatale Xerxi fuit ſidus illud (a) crinitum 480. annis ante Chriſtum in cœlo cum aliis Portentis viſum,(b) nil niſi expeditionem funeſtam in Græcos, probroſam fugam ac ſtragem tot millenorum millium militum infauſto omine præſagiens.

Fatalis & alia Perſis extitit Stella, (c) haſtæ ſimilis, quæ in Alexandri Magni nativitate in Perſide eſt viſa, ſudarunt illo die ſaxa ſanguinem; ſol pugnare viſus cum Luna, quid aliud, quàm cruorem hominum fundendum, imperium Perſicum ad Macedonas transferendum; haſtis Macedonum corda Perſarum transfigenda ſignabant?

Fatale Romano Populo fuit ſidus aliud viſum in cœlo per 70. dies, quod radios ſuos undequaque ità ardenter projiciebat, ut Cœlum ipſum quaſi conflagrare ſit viſum: natus tunc Mithridates hoſtis juratus Imperii Romani, cum quo annis plusquam 46. eſt pugnatum, qui teſte Juſtino(d)unicâ epiſtola 80000.Romanorum in Aſia hinc inde per urbes negotiorum cauſâ diſperſa interemit.

Fatalis deniq; univerſæ propè Europæ extitit Stella illa feralis A. 1618. per dies 30 cum horrore (e) omnium viſa minaci caudâ formidanda: inſecuta ſunt illam triginta annorum bella, ſtrages horrendæ, excidia miſeranda, peſtis ac dira fames.

At non fatales ſemper hæc ſidera vibrant faces, boni ſubinde nuntii etiam ſunt bajuli.

Felicitatis Auſtriacæ prodroma extitit (f) Stella illa prodigioſa Anno 1500. in ſigno Capricorni viſa, Ortum Caroli Quinti feliciſſimo omine præcedens, non ſolùm Hiſpaniæ & Germaniæ Imperium, ſed & novi Orbis dominatum ei quaſi præſagiens.

Nocte qua Franciſcus de Paula in lucem prodiit, viſa eſt lucidiſſima ſtella ab incolis Paulanis (g) deſcendere ſuper tectum domus paternæ, quid aliud quàm obſtupeſcendam Sanctitatem Franciſci portendit, utpote qui aliquando in domo Dei eſſet futus ſtella matutina in medio nebulæ.

Nocte quâ Anno 1220. die 16. aprilis Sienæ natus eſt B. Sanſedonius, in arce Aquina S. Thomas Aquinas, & in urbe Beuagna B. Jacobus de Meuania, viſæ ſunt tres illuſtres Lunæ ad demonſtrandum, quod quaſi Luna plena in diebus ſuis orbem univerſum ſanctitate & doctrinâ forent illuſtraturi.

Circa Cæſaris Auguſti tempora (h) vidit ſepticollis Roma 3 Soles in cœlo verſus orientem paulatim in unum coeuntes; nil aliud hi Auguſto præſagiebant, quàm Aſiam, Afri-

 cam

(a) *Juſtinus.* (b) *Herodotus lib. 7.* (c) *Beirlink Verbo Com. Boſquier in ara cœli conc. 17.* (d) *Juſtinus hiſt. lib. 37.* (e) *Cornelius in c. 2. Math.* (f) *Laurentius Beirlink V. Cometa.* (g) *Vivien conc. 6. de Patriarchis Regularium.* (h) *Boſquier in ara cœli conc. 17.*

cam & Europam in unam Monarchiam â Cæſare redigendam.

Non unum omen Nativitatem Parvuli Jesu anteceſſit: (a) Floruerunt Vinea Engaddi, ſtillarunt (b) Balſamæ in Aegipto; fluxit Romæ fons Olei in tyberim; ex ſpecu Bethlehem ſalutares eruperunt aquæ; obmutuerunt Oracula Deorum; (c) Jani fores à Cæſare ſunt occluſæ, in Capitolio Jovis & aliorum ſtatuæ de cœlo (d) fulmine tactæ; oblitteratæ ſunt litteræ (e) in Columnis, in quibus Romanæ leges inſcribi ſunt ſolitæ, nox verſa in diem, ſtella deniq; nova in Oriente viſa. (f)

O admiranda prognoſtica! ô obſtupeſcenda auguria! quis Oedipum nobis aget? ac obſtruſa enodabit myſteria? Oedipo non opus eſt nobis Auditores; negotio facili cuncta evolventur prognoſtica, cuncta mox patebunt myſteria.

Ecce florent Vineæ Engaddi, nuntiantes Botrum cypri natum; botrum, ex quo aliquando Vinum Angelos, hominesq; lætificans ſit exprimendum.

Stillat Romæ fons Olei, ſignificans deſcendiſſe de Cœlis in Jericho Samaritanum divinum, ad Oleum miſericordiæ divinæ vulneribus noſtris inſtillandum.

Obmuteſcunt Oraculorum mendacia, dum veritas de terra orta, (g) & juſtitia de cœlo proſpexit.

Clauduntur, fores Jani, ut nato Principe Pacis, hominibus bonæ voluntatis, aperiantur Januæ Cœli.

Corruunt in Capitolio prono capite in terram ſimulacra Deorum, ut atteſtentur non alteri quàm novo Regi Judæorum caput & genu curvandum.

Ex columnis delentur Reges Romanorum, dum ad terras deſcendit Legifer Cœlorum: Nox dieſcit, quia nox peccati præceſſit, dies autem gratiæ appropinquavit; ut abiciamus (h) opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Ecce auguria!

Sed agite Aſtrologi, quid vos de ſtella hoc nova in Oriente viſa auguramini? quid portendit, quid præſagit?

Plurima in ea notanda ego obſervo: Splendor ejus eſt extraordinarius, ita ut Prudentius de ea canat, Stella, quæ Solis rotam vincit decore ac lumine: lucens non de nocte ſolùm, ſed & claro ſole, ubi cœtera ſidera ſe ſe abſcondunt.

Adhæc curſus ejus eſt mirabilis, dum non ordine & motu cœterarum Stellarum, ab Oriente in Occidentem; ſed à Septemtrione meridiem verſus ferebatur teſte S. Thoma p. 3. q. 36. art. 7.

Forma non minus eam obſtupeſcendam facit, dum figurâ Parvuli Crucem manu geſtantis eſt inſignita, uti Chryſoſtomus ſeu Author Operis

(a) *Baronius in apparat.* (b) *Oroſius lib. 6. c. 20.* (c) *Arnobius l. 5. contra gentes.* (d) *Cornel. in cap. 2. Aggæi.* (e) *Drexelius di Chriſto nagscente.* (f) *Dio Rom. Hiſt. Lib. 37.* (g) *Pſ. 84. 10.* (h) *Rom. 13. 12.*

peris imperfecti refert Hom. 2. in cap. 2. Mathæi. (a)

Adde quod Hierosolymis occultata, paulò tamen post ad pristinos redierit splendores: omnia hæc rimanda & ponderanda sunt.

Lucet stella: occultatur: iterum emicat: quid aliud quàm vitæ Christi cursus est adumbratus? lucet Christus in Nativitate, ita ut media nocte fiat dies, lucet per miraculum, dum cœci vident, (b) claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt: occultatur & obtenebratur Hierosolymis, dum in Cruce inter spissas tenebras emoritur: iterum emicat, dum gloriosus è tumulo resurgit.

Quid miramini splendorem extraordinarium? dum natum Justitiæ Solem designat, de quo S. Hieron. ait: (c) *igneum quid ac sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas relucebat ex facie.*

Quid cursum ejus exoticum stupetis? dum Christus contrariam viam à mundo tenet & docet, dum aurum lutum, divitias spinas, honores fumum nuncupat; dum superbiam deprimit, humilitatem exaltat, voluptates damnat, cruces & tribulationes amplectitur.

Dum autem Crucem in stella hac cernitis, scitote nil aliud illam nisi passionis ejus esse insigne ac tesseram; nil nisi tormenta, opprobria ac mortem designare: nec illa solùm, sed omnia in Nativitate ejus Acta, sunt semina atque prognostica Passionis; oculos vestros proinde acuite, ac in parvuli nascentis Historia, historiam ac præludia quondam morituri notate.

Ecce! novem mensibus clausus est in utero virginali, qui in novo aliquando claudetur monumento, (d) in quo nondum quisquam positus erat. (e)

Nullus locus remanet ei in diversorio, (f) qui in cruce non habebit ubi caput reclinet.

Nascitur nudus in stipula, qui nudus pendebit in arbore crucis.

Vagitu & singultu orditur vitam, qui clamore valido spiritum in manus æterni Patris commendabit. (g)

Pannis nunc involvitur ac fasciis stringitur, catenis, vinculis ac restibus in horto stringendus.

In cunis nunc jacet speciosus præ filiis hominum (h) cui in passione non erit species neque decor. (i)

Lacte Virginali nunc cibatur, olim in cruce aceto & felle potandus.

Nascenti applaudunt & concinunt Angeli; capto eo plaudet Solyma, & ter gallus cantabit.

Oscula nunc Mater filio inprimit; osculo aliquando Judas filium hominis prodet.

Accurrunt nunc Pastores ad Agnum adorandum; convenient aliquando

(a) *S. Chrysost. citatus à Bosquier in ara cœli conc.* 17. (b) *Mathæi c.* 11. (c) *Hieron. in cap.* 21. *Math.* (d) *Math.* 27. (e) *Joan.* 19. (f) *Luc. c.* 2. (g) *Lucæ, c.* 23. (h) *Ps.* 44. 3. (i) *Ps.* 53. 2.

quando Lupi rapaces ad eum dilacerandum.

Inter Bovem & Asinum nunc jacet in præsepi; inter duos Latrones aliquando pendebit in cruce.

Mediâ nocte nunc oritur dies; olim in medio die mundum involvent tenebræ.

Nova nunc Nato præsentat se stella, patiente eo sol & luna sese occultabunt.

Facta nunc multitudo militiæ cœlestis, migrabit aliquando in turbam Judæorum, cum gladiis & fustibus eum comprehendentium.

Clamatur nunc *in terra pax hominibus*, (a) acclamabitur aliquando *tolle, crucifige*. (b)

Sanguinem nunc mittit octavo die in Circumcisione, missurus aliquando in Gethsemani horto guttas sanguinis decurrentis in terram. (c)

Nunc innocens ejus Caro circumciditur; Olim in atrio Pilati totum corpus flagris concidetur.

Clamant nunc 3. Reges, (d) ubi est Rex Judæorum, inquirent, idem aliquando Pilatus & Herodes.

Magi nunc eum flexo poplite adorant, aliquando genu flexo illudent ei Judæi.

Aurum, quo nunc à Regibus donatur migrabit in 30. denarios, redolens thus in sputa, Myrha in fel & acetum.

In Nativitate ejus exultat nunc universus Orbis, in morte ejus plangent omnes Tribus terræ. (e)

O linguam cœli filio Dei aspera præsagientem! ò fatalem stellam dira omnia nuntiantem! ò feralem Cometam supplicium Crucis jam jam Vagienti in cunis Parvulo minitantem!

Auditores! quid ex hoc horoscopo Christi discimus? quam doctrinam eruimus? quid loquitur nobis hæc lingua cœli? quid præsagit hoc sidus cruce insignitum? nil aliud sanè, quàm quod Thomas Kempensis (f) ait, *Tota vita Christi Crux fuit & Martyrium, & tu quæris requiem & gloriam.*

Aberratis toto cœlo Mortales, si aliud exspectatis, quàm quod postea Christus discipulis dixit, *Videte manus meas &c.* (g) & discite quomodo sic oportet intrare in regnum cœlorum; hoc idem vobis hodie inculcat: Videte seriem vitæ meæ, cernite cunas, spectate præsepe, initia hæc sunt dolorum: attendite extremam paupertatem meam avari Euclionesi; linquite transitoria bona terræ, & inhiate thesauro indeficienti in cœlis: recogitate infinitam humilitatem meam vos inflati pavones, & pennas aliquando demittite: Volvite & revolvite vitam meam, qui nil nisi delicias & gaudia mundi sectamini, & invenietis eam, non extitisse aliud, quàm perpetuam crucem & Martyrium:

(a) *Luc. 2. 14.* (b) *Joan. 19. 15.* (c) *Lucæ cap. 22.* (d) *Matb. 2. 2.* (e) *Matbæi cap. 24.* (f) *Lib. 2. cap. 12.* (g) *Luc. 24. 39.*

rium: *ex quo enim carnem assumpsit Salvator noster, semper in pœna fuit, ait* (a) Seraphicus Doctor Bonaventura, & tu quæris requiem?

Habent quod discant ex hocceCœli Phœnomeno Illi, quibus semper stellæ propitiæ lucent cum jucunditate, quibus semper sereni fluunt dies cum omni prosperitate, ut recogitent occultaturam se aliquando stellam, ac disparituram: (b)

Nemo confidat nimium secundis,
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Habent quod discant in tribulatione positi, qui in tenebris persecutionum desolati ingemiscunt, ut credant se tandem velut stellas ex medio turbidarum nubium iterum eluctaturos; emerget enim aliquando lumen & splendor pristinus, & in tempore suo verificabitur in illis (c) *cum te consumptum, putaveris, orieris ut Lucifer.*

Habet deniq; tota Germania, ut extimescat & consternetur ad aspectum hujus sideris: Si enim Filio Dei, (d) qui peccatum non fecit, longè segregatus à peccatoribus (e) & excelsior cœlis factus, tam dura tam funesta nuntiavit, quid non sceleratis peccatoribus præsagiet (f) Trabalis nuperus ac metuendus in Cœlo Cometa?

Cavete, ne sit illa ipsa Stella, quam discipulus Domini in Apocalipsi jam prævidit, (g) cujus nomen est absynthium: faxit & prohibeat Deus, ne ejus amaritudinem, paulò post ad nauseam usq; gustare cogamur.

Metuo ne Angelus ultimus phialam (h) postremam Iræ divinæ sit evacuaturus, ex qua bibant omnes (i) peccatores terræ; nec aliud meretur vita moderna Christianorum ità deperdita, ut planè ultima instare tempora non absurdè præsagire cogamur.

Signa enim duodecim, quæ olim Cyprianus citatus in Biga salutis à Fratre quodam Ungaro, recensuit, omnia jam quasi completa videmus.

Sic autem ille scripserat:
Ultimis temporibus

Senes erunt sine prudentia,
Christiani sine Fide.
Adolescentes sine obedientia
Divites sine misericordia.
Pauperes sine humilitate & patientia.
Prædicatores sine opere.
Plebs sine disciplina & correctione.
Principes & Magistratus sine justitia.
Christianus populus sine Religione.
Prælati & Clerici sine sanctitate.

 Reli-

(a) *S. Bonav. Ser. 3. de pass.* (b) *Seneca in Agam actu 1.* (c) *Job. 11. 17.* (d) *1. Pet. 2.* (e) *Heb. 7.* (f) *Anno 1680.* (g) *Apoc. 8. 11.* (h) *Apoc. 16.* (i) *Ps 74. 9.*

Religiosi sine bona vita.
Conjugati sine continentia debita.

Nunc considerate tempora nostra, mores & vitam ponderate, & invenietis cuncta propè tali vaticinio Cypriani respondere.

Videte an non senes nostri sint sine prudentia! vident & palpant in capite Canos suos, & adhuc ut Juvenes vitulantur: hæret pes unus in tumulo, & tamen de morte audire nil volunt, non recogitantes effatum Abb. Guarici dicentis, (a) *Mors Juvenibus est insidiis, senibus in janva.* Obsecro quæ prudentia?

Prudens est, qui præterita recogitat, præsentia disponit, & futura præcavet; hæc minimè faciunt senes nostri. Norunt vitam præter tam traductam in peccatis, sed minimè eam plangunt, lætantur potius in rebus pessimis! Vident horologium vitæ suæ ad finem tendere, fatiscentem domum corpusculi sui undiq; rimas agere, nec tamen ad æterna se disponunt: ante oculos versatur districtus gladius Judicis, nec tamen ictum præcavent; olfaciunt sulphur & picem tartari; nec tamen ad iter æternitatis se disponunt. Ah utinam saperent ac novissima providerent! non est igitur sapientia, non est prudentia, non est consilium in senibus.

Uti senes sine prudentia, ita & moderni Christiani sunt sine fide: Cultores Christi in superficie, intus nil Christiani nominis habentes. Ore fidem crepantes, factis verò eam negantes; formam Christianorum præseferentes, moribus & vitiis ipsos Turcas & Saracenos superantes.

Dicite obsecro quotus quisq; credit quod Servator noster docuit? docuit Christus beatos esse (b) pauperes spiritu, infelices ècontra divites, *Væ vobis divitibus*! (c) quis credit hoc? docuit Christus divitias esse spinas, aurum lutum, gemmas sputum: & tamen plenis manibus involamus in spinas, tota brachia exerimus ad lutum hoc extrahendum, ad spumas has maris colligendas Docuit Christus (d) diligendos inimicos, benefaciendum his qui oderunt nos: quotusquisq; hoc credit? omnes uno ore clamant: (e) *durus est nobis hic sermo, & quis potest eum adimplere?*

Docuit Christus arctam viam (f) quæ ducit ad cœlum, asseruit eam obseptam vepribus, stratam spinis; latam verò & floridam, quæ ducit ad perditionem; sed ridentur hæc & exsibilantur, ludribrio sunt & contemptui omnibus, dum in curribus & quædrigis asperam hanc viam se penetraturos somniant.

Peram-

(a) *Abbas Guaricus Serm. 3. de adventu.* (b) *Luc. 6, 20.* (c) *Luc. 6 24.* (d) *Matt. 5. 44.* (e) *Joan. 6.* (f) *Matt. 7. 13. 14.*

Perambulate regias aulas, pertransite tribunalia & curias, lustrate arces & residentias Principum, circuite civitates & oppida, ubiq; invenietis, qui pro fidelibus Christi se venditent, in secreto autem cordis cum Atheis clament, *non est Deus*! talibus Chymæris Christianis hodie plenus est mundus.

Nec tertium præsagium fallit, asserens adolescentes sine respectu fore & obedientia. Experiuntur veritatem hujus nimium quantùm infelices Parentes, ac refractarias cervices filiorum salsis deplorant lacrimis: eò enim jam deventum, ut sine fronte scelerati hi filii genitoribus in faciem resistere; jussis eorum palàm obloqui; admonitiones & correpiones protervo vultu rejicere, & effronti licentiâ Parentum senium subsannare non reformident: de quibus meritò lamentari possunt desolati Parentes ac dicere: filios enutrivimus, illi autem spreverunt nos. His discolis filiis meritò imprecatur Sapiens proverb. c. 30. 17. ut oculos, qui subsannant Patrem, & despiciunt partum Matris suæ, effodiant corvi de torrentibus & comedant eos filii Aquilæ: Ego verò addo:

Effossos oculos voret atro gutture corvus.
Intestina canes, cætera membra lupi.

Prædictione Quartâ & Quintâ Divites erunt sinè misericordia, pauperes verò sine humilitate & patientiâ, nihil est verius.

O quot avari Eucliones dantur, quorum corda marmorea, nec gemitus nec lacrimæ pauperum emollire possunt. Clamant hi miseri ante arces, & Palatia Divitum micam panis cum Lazaro flagitantes, nec eam obtinent, canibus infeliciores, quibus non ossa tantùm, sed & carnes projiciuntur computrescit: ferina in doliis, tricum in horreo, pauperibus interim diram famem patientibus.

Vestes eorum in cistis corroduntur à tineis, econtra inter frigora ad januam prostat nudus & pauper. Sericis tapetibus vestiti sunt parietes; membra verò Christi qui tegat, nemo invenitur.

O aspera corda! ô duras cautes! quas nulla commiseratio miserorum tangit. Væ vobis divitibus; qui enim obturat aures suas ad clamorem pauperis, & ipse clamabit aliquando cum Epulone, & non exaudietur.

Sed & pauperes hoc tempore non sunt sine noxa, fæx hominum pessima, pigræ bestiæ, laboris impatientes; canes procaces quemlibet allatrantes, humilitatis, patientiæ & reverentiæ penitus obliti: dum enim quod petiêre, non impetrant, mox

integra plauſtra convitiorum in ſervos & dominos evomunt; cædes & incendia minitantes. Pauci abiêre anni cùm ex elemoſina collectum panem non ſolùm ad ſepes abjecerunt, ſed & pedibus concularunt, impudentes hæ beſtiæ; quæ quidem ad templa catervatim accurrunt, ſed non ad orandum, ſed hominibus illudendum, dum in oculis hominum miſeros ſe ſimulant, ſed in hoſpitiis receptam elemoſinam ſcurriliter & beſtialiter helluonum more decoquunt. Monſtra indigna quibus Chriſtiana ſuccurrat charitas.

Impatientes pauperes ſequuntur Principes & Magiſtratus ſine obſervatione juſtitiæ.

Prædictionem hanc verificant viduarum ac pupillorum lament in cœlum clamantia; & quia in terris juſtitia illis denegatur, meritò è cœlis eam efflagitant.

Heu! eò jam ventum, ut manus judicis nil obſignet, niſi prius auri oleo uncta; lingua nil loquatur, niſi argento vivo ſit tincta: protrahuntur ſtudio lites, ut miſeræ partes ad oſſa uſq; emungantur; pars ea ſola victoriam reportat, quæ majus pondus libræ juſtitiæ appendit. Vah quot doli, quod fraudes in Curis & Tribunalibus regnant! quot ſancta teſtamenta in vertuntur! quot pia legata annullantur! quot ultimæ bonæ voluntates cum ægro tumulantur! ad palmaria ſcelera altùm conticeſcunt Judices, contenti mulctâ pecuniariâ iniquitatem dealbare. Auro ubiq; proſtant venalia Jura; venalis auro eſt lingua, venalis calamus, Verbo, (a) *omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos.*

Ad fatalem prædictionem ſeptimam, octavam & nonam præſtaret magis ſilere, quàm multa loqui; fatendum nihilominus eſt & noſtro ævo dari ſubinde Prædicatores vanos ſine opere, (b) Phariſæorum in primo gradu conſanguineos, qui dicunt & non faciunt, qui docent & quod docuêre non obſervant, qui quod docuêre verbis, deſtruunt exemplis, de quibus S. Proſper ait, (c) *benè docere, & malè vivere, quid aliud eſt, quàm ſe ſuâ voce damnare?*

Nec minor planctus eſt Eccleſiæ de Prælatis & Clericis ſine ſanctitate viventibus. Quod de Nazaræis olim dixit Jeremias, idem de his affirmat mundus: (d) *Candidiores Nazaræi nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores;* (at quid ſequitur?) *non ſunt cogniti in plateis, denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.*

Olim

(a) *Iſaiæ. 1. 23.*
(b) *Math. 23.*
(c) *S. Proſper l. 1. de vita contemp.*
(d) *Thren. c. 4.*

Olim cogendi erant ad Insulas nunc &c.

Olim in rigida paupertate evangelizabant populos nunc &c.

Olim venebantur animas. nunc &c.

Olim ditabant, dotabant Ecclesias, nunc &c.

Olim quærebant quæ Jesu Christi erant, nunc quæ sua sunt, unusquisque quærit.

Olim toti absorpti erant in cœlo, nunc toti repunt in terra.

Olim toti erant aurei & calices eorum lignei, nunc ipsi toti sunt lignei & calices eorum aurei.

Vasa quidem sunt Christi, charactere & oleo sancto signata; sed vasa vacua.

Lampades quidem sunt Ecclesiæ, sed sine oleo.

Sal terræ sunt, sed nonnunquam infatuatum, & dum abest Sanctitas, meritò ab hominibus conculcatum.

Non dissimilem querimoniâ spargit mundus de Religiosis, vitam eorum graviter sugillando, patêre dicunt vitam non adeo bonam, in tot Apostatis, non solum à religione sed & ipsâ fide resilientibus; patêre id dicunt ex datis ipsorum scandalis, dum plures eorum fœtentem animâ religioso habitu vestitam circumferunt. Monstrare ajunt eos modestiam quidem in vestibus, sed ambitionem cucullo occultare non posse: oculis incedere quidem demissis, sed animo habitare in excelsis; servos esse Christi in choro, sed aulicos postea in foro; vocem quidem esse Jacob, manus autem Esau: arbores pulchras in foliis; sed steriles in fructibus: Hæc mundus de religiosis.

Nec inficiari licet temporibus nostris corruptis, & tria ultima præsagia fatalia prænuntia iræ divinæ esse completa, dum plebs sine disciplina & correctione; Christianus Populus sine Religione; Conjugati denique sine continentia debita: Quod enim Christus olim dixit de obstinato Populo Judæorum, *Cantavimus vobis tibiis, & non saltâstis, lamentavimus, & non plorâstis*: Idem hodiè apparet in plebe; scribuntur sine fine Canones & Leges; clamitant in Pulpitis ad ravim usque Concionatores, conduntur statuta, intercedunt minæ, nil tamen ab immorigera plebe reportatur; ridentur correctiones, moribusque antiquis inceditur,

Nec Religio Christianorum melior, quæ tota propè evanuit, quod enim S. Bern. serm. 33. in Cant. prædixit, *nunc tempus ejus adimpletionis advenit*, quo Ecclesia dicere potest: *Ecce nunc in pace amaritudo mea amarissima: amara prius in nece Martyrum, amarior in conflictu Hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum seu malorum Christianorum.* Diogene nunc opus, ut inveniatur Religio & devotio prisca Populi Christiani.

Olim catervatim noctu ad Vigilias SS. Martyrum properatum, nnuc vix ad sacrum festo die comparetur.

(a) *Luc. 7 32.*

Olim dentes excussi quadragesimam esu carnium violantibus; nunc præter miseros Religiosos vix est qui observet Jejunium, omnes dicunt non possum, Juvenes cum senioribus.

Olim abscissæ linguæ blasphemis, nunc nomen Dei jugiter absque metu ullius pœnæ blasphematur.

Olim festa erant sacrosancta Domino, nnnc sunt occasio omnium scelerum & peccatorum.

Olim Verbum Domini erat pretiosum, nunc est fabula & risus populi. Heu quantum deferbuit Devotio & Religio Christiana!

Pudet nunc publicè Christianos signare se cruce, pudet collo appendere Agnos Dei aut cineres Sanctorũ; pudet nunc manu volvere Rosarium, legere libellum precatorium; huc huc deventum est; O tempora ò mores! Sanctius Judæi agunt in suis synagogis; modestiùs Saraceni in suis Moscheis quàm Christiani in Deo dicatis & sanctificatis templis.

De conjugatis viventibus sine continentia debita, non est quod addam, nisi mortuas esse Cunegundes & Delphinas, quæ & in conjugio vixêre Virgines, toti mundo obstupescendæ. Nunc eheu pluribus locis vivitur (abusivè) more primorum Christianorum, ubi omnia erant communia.

O Misera & peccaminosa tempora, à quibus ira divina longè abesse non potest!

Audistis A. A. fatale Vaticinium, quid ad hæc dicitis? Utinam ah utinam non stellæ cadant brevi de cœlo ac renoventur clamores Sodomæ altissimusque dicat, *descendam & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint*, ac cuncta redigat in cinerem, favillam & nihilum.

(a) *Gen. 15, 11.*



In

IN FESTO S. SEBASTIANI MARTYRIS.



Quis Similis Tui in Fortibus? Exod. c. 15.

EXorta est Lucæ c. 22. gravis inter discipulos Christi concertatio, quis eorum videreutur major? Juxta mentem* Primatum ambiebat Petrus, utpote ab ipso Salvatore caput Ecclesiæ constitutus, cui dictum, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*)a(

Andreas Frater Petri, majorem se cœteris autumabat, quod primus discipulus Christi esset, ante Petrum ad Aposto-

**Vincentij Ferrerij.*)a(*Math. cap. 16.*

Apostolatum vocatus; cujus operâ demum & ipse Petrus ad Christum fuisset adductus. (a)

Joannes virginalem allegabat castimoniam, ac amorem Christi in se extraordinarium, utpote qui se in ultimâ cœnâ non solùm in sinu recumbere sit passus, sed & manifesto signo Judam detexerit proditorem.

Reponebat è contra Joanni Jacobus major, jus primogenituræ, ætatisque prærogativam, cedere proinde minorem oportere majori.

Thadæus, Simon & Jacobus minor præcedentiam urgebant, eò quod nepotes existerent ex prima sorore Virginis MARIÆ.

Mathæus majorem se cœteris rebatur, ob aurum & argentum pro Christo abdicatum; cum priorum nullus nisi lacera redia, & hamos exiles reliquisset.

Philippus major esse volebat, eò quod à Christo ipso diu inquisitus, tandem inventus, & ad sequelam ejus sit invitatus: se causam extitisse, cur populus voluerit Christum regem facere; ad suam instantiam panes multiplicatos, se patrono & procuratore gentiles ad Christum videndum admissos.

Bartholomæus genus allegabat regium, quo ortus; decere proinde piscatores non altùm sapere, sed retia sua subijcere purpuræ.

Thomas gloriabatur de suâ scientiâ ut qui legis peritus, & Doctor existeret profundus, juxta nomen suum, decere proinde, ut piscatores rudes sequantur ductum Doctorum.

Ipse denique Judas proditor loculos monstrabat turgidos, ex quibus velut ubere cornucopiæ ab ipso cuncti alerentur.

Hi erant discursus eorum fatui, antequam Spiritu sancto essent afflati, uti eos concertantes bellè introducit Vincentius Ferrerius: (b) sed à Christo verbis paucissimis tota eorum controversia est decisa: *Qui major est ex vobis fiat sicut minor.* Luc. cap. 22.

Si hodiernâ luce de primatu etiam purpurati contenderent Martyres, quis eorum existeret major, cui existimatis A. A. ex turba illa magna, undecim millionum numerum excedente (juxta computum Causini (c) & & aliorum) palmam concedendam honoris? quis dicendus Martyrum maximus? tot inter millenas stellas quænam deprædicanda lucidissima?

Fateor inter sacrum & saxum hæreo ambiguus, perplexæ hujus controversiæ constitutus arbiter; hinc inde me vota trahunt, nunc huc, nunc illuc affectus inclinant.

Contemplor tamen, in hoc numeroso cœlestium athletarum choro, Martyrem quendam, non aliter quàm stellam magnitudinis primæ præ cœteris scintillantem, quæ adeò amorosis suis radiis magnetis in morem, totum Cor meum ad se rapit, ut Paridis

(a) *Joann. 1.* (b) *S. Vincent. Ferrerius. Ser. 2. Fer. 3. post Dom. 2. Quadrag.* (c) *Causinus. Tom. 3. aulæ sanctæ. 2.*

ridis instar captus, non alteri quàm huic victricem palmam addicam, dicamque (salvo tamen meliori judicio) inter laureatos Christi Martyres non surrexit major Martyre SEBASTIANO, utpote Martyrum maximo. Dum igitur in causa gloriosi hujus sancti peroro, benevolas quoque auditorum aures imploro.

Siccine inter laureatos Martyres Sebastianus sit Maximus? non credam inquiet non nemo.

Ita, ita est; Sebastianus Martyrum existit Coryphæus, & cœlestium pugilum maximus; sicut enim inter planetas eminet Sol, inter gemmas rutilat Adamas, inter montes extollitur Olympus, inter volucres supervolat aquila, inter arbores caput levat cedrus, inter flores flagrat rosa, inter metalla præponderat aurum; ita inter Martyres eminet Sebastianus, velut Saul altior in populo ab humero & sursum.

At ubi probatio? ubi Argumenta, quæ hoc convincant?

An Maximus forsan ob generis splendorem, gratiam Cæsaris, officij dignitatem, heroica ac præclara facinora? dum primæ cohortis Cæsareæ Dux est constitutus? minimè: pares enim Sebastiano in hoc vel superiores extitêre Placidus, Georgius, Leopardus, Gallicanus, Mauritius, Ursus & Victor, Viri nobilissimi, Militiæ decora, belli triumphales Duces.

An ideò Maximus, dum in persona militis Apostolum occultavit? dum militari balteo, ob hoc solumodo est dræcinctus, ut Christianorum animos in tormentis vacillantes roboraret? quod abunde præstitit, (a) dum Marcum & Marcellianum fratres decollandos accurrentium Parentum lacrimis, uxorum lenociniis, natorum expansis brachiis emollitos, ac jam penè fidei desertores vi divini Spiritus ita confortavit, ut non solùm eos ad Ecclesiæ castra eduxerit, sed insuper eorum parentes & conjuges salutari latice tinctos, paulo pòst glorioso Martyrio defunctos ad æterna gaudia transmiserit? Idem præstitit in convertendo Romanæ Urbis præfecto Chromatio, cujus lararium ingressus ad 200. Idola confregit ac comminuit, totâ familiâ ejus, ad mille & quadringenta capita se extendente, ad Christum conversâ, unde à Cajo Pontifice maximo meritò defensor Ecclesiæ Sebastianus est nominatus. Nec hâc de causâ Maximus Martyrum existit Sebastianus; præstiterunt enim hæc, & majora alij.

An forsan Maximus, dum supremo numini itâ dilectus, (b) ut septem cœlestes Spiritus, qui aliàs Deo assistere solent, etiam huic glorioso Martyri ad inserviendum à Deo è cœlis sint submissi, qui ipsum candidissimo pallio vestiêrunt velut candidatum ætheris? nec hoc evincit: gratias enim æque magnas, si non majores exhibuit Deus & aliis millenis Viris sanctis.

D An

(a) *Baronius an. Christi 284.* (b) *Tobiæ cap. 12.*

An fortè præferendus aliis ob grandia signa & miracula, de quibus Baronius ait, tantâ signorum ac prodigiorum multitudine claruit, tantâ virtute in omni genere sanitatum eminuit, ut à nullo mortalium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas valeat annuntiari, quorum quædam tanti stupori esse narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset Dominum nostrum Jesum Christum, pro quo idem passus est, omnia quæ vult, per divinam potentiam facere posse, in qua illi omnis creatura in cœlo & in terra subjecta est. Hæc Baronius. (a)

Experta est abunde miraculosam Sebastiani dexteram Nicostrati Uxor Zoë ex morbo muta & elinguis, quæ oratione à sancto ad Deum factâ, & cruce linguæ ejus impressâ, mox loquelæ pristinæ est restituta.

Expertus est eandem Thaumaturgam manum præfectus urbis Chromaticus ab incurabili podagrâ per preces Sebastiani liberatus: expertus est mirabiliora sagittarius ille, qui primam sagittam in Sanctum torserat; cum enim telum retrorsum abivisset, ac oculum ei eruisset, ex recenti Martyris sanguine mox infelici; facta est medicina, ac oculus integer restitutus; experti id sexcenti alij uti Camusius Episcopos Bellicensis hom: de S. Sebastiano testatur unde non immerito in missâ de Sancto Ecclesia canit; multitudo languentium veniebat ad eum, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes. Nec tamen & hæc, cur inter Martyres Sebastianus sit maximus, causa est sufficiens; claruère enim & alij Martyres dono sanitatum præclari orbis hujus Thaumaturgi.

An fortè Primus inter Martyres censendus ob tormentorum gravitatem, dum teste Pelbarto, (b) ità sagittis est repletus, ut Ericium referret spiculis undique scatentem? Minimè gentium; graviora enim tormenta passi sunt milleni alij Martyres, dum cum Hypolito indomitis equis in quatuor partes distracti; dum æneo bovi à Trajano cum Eustachio & Theopista inclusi; dum cum Erasmo intestina illis eruta & evulsa; dum corpora eorum cum centenario Episcopo Simeon serrâ divisâ; dum exemplo Bonifacij clavi inter ungues intrusi; dum craticulis ignitis impositi cum Laurentio; dumLanienâ crudeli cutis detracta cum Bartholomæo; dum Leonibus objecti cum Ignatio; dum tristi gemitu, pice, stupâ & sulphure perfusi, ad mensam Neronis, ut lamentanda nocturna lumina ardere sunt coacti. Millies sagittas Martyris superant cruciatus hi & enormia tormenta.

An fortè diuturnitas Martyrij eum primum facit? Nec hoc inter SS. Marty-

(a) *Baronius ad annum Christi, 826.* (b) *Pelbartus serm. de S. Sebast.*

Martyres Sebastiano primatum parit, longè graviora passus est Carolus Spinola cum Sociis per quatuor annos rigidissimo inclusus carceri, ac tandem per integras tres horas lento tostus igne. Atrociora sustinuit Jacobus intercisus, novem horarum carnificinâ ab Isdegerde, Pers. Rege, dilaniatus, cunctis membris ac articulis corporis successivè detruncatis. Superat diuturnitatem Martyrii Apostolus Andreas, triduo in cruce pendens.

Superat & S. Marcellus cingulotenus defossus in terrâ, triduo in laudibus divinis perseverans.

Graviora sustinuit Marcus Arethusus Episcopus melle toto corpore oblitus, apium, vesparum ac culicum morsibus in Sole depositus, ut lento martyrio sentiret se mori. Majora passus est S. Artemius, intra duas petras compressus, omnibus membris confractis, oculis elisis integro die & nocte animam in tormentis trahens: Graviora sunt passi Gregorius Armeniæ, Clemens Ancyræ Episcopus, quorum prior totos 14. annos in perferendis cunctis suppliciis infractus; alter annis 28. novis semper tormentis subjectus, diuturnâ morte sunt consumpti; Nec diuturnitas ergò supplicii Sebastiano præeminentiæ palmam confert inter Martyres.

Quæ ergo causa primatus ejus ac præcedentiæ? Propaletur illa.

Docent passim Theologi, doctrinam veterum Patrum secuti, nullum in terris dari meritum martyrio majus posse, quod perfectissimæ cujusdam Charitatis actus in eo exerceatur; nam Christo teste, (a) *majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, quo in actu ex amore Dei id prodigimus, & offerimus, quod naturali quodam instinctu præ aliis rebus diligimus, vitam inquam, & mortem, à qua maximè abhorremus, spontè amplectimur.

Hoc posito fundamento inferunt S. Antoninus & Paludanus Serm. de S. Sebast. ac dicunt: Si quis post consummatum martyrii sui agonem ad vitam revocatus, alterâ vice martyrio sublatus mortem subiret, duplici laureâ martyrii fore coronandum: Atqui talis est S. Sebastianus, qui cum à Diocletiano ad primæ cohortis Cæsareæ principatum evectus esset, ac diu titubantes & vacillantes Christianos in fide animâsset; proditus tandem Cæsari in militari chlamyde agere Apostolum, atrocibus primò verbis à Cæsare increpitus, cùm constanter & imperterritè fidem Christi profiteretur, ac subsignaturum se sanguine suo clamaret Evangelium, ad sagittas condemnatus, à tota cohorte tela in eum (velut ad scopum) jaciente tandem in mortem procubuit, pro mortuo ab omnibus habitus & derelictus: cumque noctu sepeliendi corporis gratiâ generosissima Matrona adesset, mortuumque (& quid

(a) *Joan. c. 15.*

quid mirum tot telis petitum mori; cum una aut altera sagitta ad eum enecandum suffecisset) domum suam deportari fecisset, paulò post aromatibus condiendum: Subitò divinâ eum resuscitante gratia redivivus surrexit, ac mox, ubi sagittæ extractæ, & vulnera persanata sunt, cùm more Pauli in sporta submissi, aut exemplo Petri Româ abeuntis, fugere & se subducere posset, sicque irati Cæsaris aspectum & furorem declinare, ne in nova tormenta iteratò incideret, nihilominus, reputans illud Imperatoris Trajani, fugitivo nulla corona; obviam ultrò iterum Diocletiano processit, certus de morte inferenda, incertus quâ nece tollendus; nescius an expectaret se rota, in quam ageretur; an flammæ, quæ eum in cineres redigerent; an gladius, quo caput demetendum; an crux, cui affigendus; dubius an ardentes laminæ, an formidandi Leones & Tygrides sese exspectarent, à quibus in frusta discerperetur, ad hæc & majora his paratus.

Obvius ergo Tyranno, de novo impietatem ejus perstringere cœpit; (a) cumque scintillantibus præ furore oculis ab eo interrogaretur: Tu ne es Sebastianus, quem nos sagittis interfici jusseramus? respondit intrepidè Sanctus: Ad hoc me Dominus meus Jesus Christus resuscitare dignatus est, ut conveniam & contester, te coram omni populo, injusto judicio persecutionem tuam in Christi famulos ebullire. (b) Vix hæc dixerat, cum denuò captus; virgis & fustibus servilem in modum tam diu est cæsus, quo ad usque iterum sanctissimam efflaret animam, bis mortuus bisque coronandus: uti testantur Continus, Pelbartus, Paludanus, Antoninus, Bosquier & alii.

An non ergo maximus, qui vitam, quam alii semel, bis pro Christo generosè posuit? *Semel vincit*, ait Cyprianus, (c) *qui statim patitur, at qui iterum congreditur cum dolore & morte, duplicem coronam reportat.* Hinc non miror amorosum illud lamentum S. Martyris Gordii, uti Basilius de eo refert, (d) dum inter tormenta exclamavit, *ah quale damnum patior, non potens pro Christo sæpe mori*; sed quod S. Gordio aliisque Martyribus est denegatum, glorioso nostro Sebastiano est concessum, dum binam gloriosam mortem oppetiit.

Laudatur & benedicitur Isac à Domino, uti ait Augustinus, quia bis vitam obtulit, primam ex voluntate, cùm gladio Patris se submisit; alteram ex necessitate, cùm appositus est ad Patres suos: at vincitur Isac à Sebastiano Martyre, qui non ex necessitate, sed ex voluntate & amore sui Creatoris ambas Deo obtulit, unam sagittis, alteram flagris & fustibus exponendo.

Invenies, ait Bosquier, (e) qui primos quidem impetus eosque breves per

(a) *Surius in vita.* (b) *Baronius ad annum Chr. 286.* (c) *S. Cyprian. Epist. 16.* (d) *S. Basilius Homilia de S. Gordio.* (e) *Bosquier Tab. 2. Nasf. Ser. de S. Seb.*

per citam mortem tolerare possunt, qui temen si reviviscerent, & ad tormenta eadem traherentur, resilirent.

Non Mercenarius Miles Sebastianus erat, sed ad Senecæ mentem totus efformatus, quem Seneca ita describit: (a) *Bonus miles feret vulnera, enumerabit cicatrices, & transverberatus telis moriens amabit eum, pro quo cadet, Imperatorem.*

Jam jam in Paradiso pedem posuerat Sebastianus, coronam certaminis recepturus: Jam portum salutis de longè prospiciebat, cum rursum in fluctus & procellas sese demisit; jam corona capiti, jam palmæ manibus imminebant, dum ad nova certamina descendit.

Videtur Sebastianus jam animo concepisse, quod postea Chrysologus de S. Apollinare complexus est calamo, dum dixit: (b) *Semel mori parum est eum, qui potest Regi suo gloriosam sæpè de hostibus referre victoriam*; unde videtur mihi S. Martyr similem actum commisisse Christo; qui cum in monte Oliveti sudore sanguineo, ob præsentia ante oculos posita tormenta & peccata hominum, quæ in se abluenda susceperat, totus deflueret, tamen velut Leo confidens, ultrò hostibus se capturis obviam est progressus: Ita & Sebastianus, cum sudorem sanguineum per totum corpus undique stillare cerneret, ac jam jam angustias mortis degustasset, non contentus hac præclarâ victoriâ ad alteram reportandam sese accinxit: hic actus quantus, & quàm generosus fuerit, quis satis explicabit? Quid enim sit mortem gustare, loquuntur vultus agonizantium. Novit id Lazarus, nunquam amplius ridere visus; tribulatio magna, terribilium omnium terribilissimum. Hinc pulchrè ait Leonardus Lauretus: (c) Morti solus ritè credit, à morte qui redit; mortis inexperti mortis vix sunt benè certi.

Auditores! quid existimatis causæ fuisse, cur Christus in resuscitatione Lazari ita amarè sit lacrimatus, cùm prius dixerit: Lazarus amicus noster mortuus est, & gaudeo propter vos; attamen quando ventum ad resuscitationem lacrimatus est? Quæstionem hanc movet doctissimus Chrysologus in verba illa Joan. 11. (d) Lazarus mortuus est & gaudeo, ubi ait: de quo gaudet mortuo, ipsum cum resuscitat tunc lamentatur, qui cum amittitur non flet, cùm recipit, tunc deplorat, tunc fundit lacrimas, vitæ spiritum cùm refundit.

Respondebitis forsitan cum S. Zenone, (e) flebat Dominus, non quod ante se mortuum periisse cognosceret, sed quo sororum fletus temperaret.

Aut cum Basilio Seleucienfi dicetis, (f) id factum ob teneritudinem amoris, & pietatis affectum, unde meri-

(a) *Seneca de beata vita cap. 15.* (b) *Chrysologus Serm. 128.* (c) *Lauretus Tit. mors.* (d) *Chrysologus Serm. 64.* (e) *Zeno Serm. de resuscit. Lazari.* (f) *Basilius in c. 11. Joan.*

meritò Judæi dicebant, ecce quomodo amabat eum. (a)

Vel cum D. Ambrosio respondebitis, (b) lacrimas circumstantium provocasse & Christi lacrimas; movebatur misericordia, cum videret in obitu lacrimas plorantium: Ita ille.

Aut dicetis causam extitisse mysticam, eò quod in Lazari persona denotatus sit peccator infelix, & inveteratus, in scelerum sordibus computrescens ac fœtens.

Omnia benè. Sed melius placet expositio Ruperti Abbatis Tuitiensis, dum ait lib. 10. in Joan. *Lacrimatus est non tàm quod mortuus est, quàm quod revocare illum oportebat ad tolerandas rursus bujus vitæ miserias & mortem*: Hæc causa lacrimas Christo elicuit, lamenta expressit.

Manet igitur firmum, Sebastianum inter Martyres existere primum, utpotè qui secundum non habuit, qui binâ vice animam suam pro Christo poneret, ac secundam mortem subiret.

Quin & ipse Deus ter Optimus Maximus præcedentiam inter reliquos Martyres visus est Sebastiano tribuere: nam uti in veteri testamento, ad servum suum Job, ut intercederet & oraret pro tribus amicis, misit Eliphaz dicens, (c) *iratus est furor meus contra vos; ite ad servum meum Job, & offerte Holocaustum pro vobis, Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam.* Ita & hunc honorem Sebastiano deferre visus est ipse altissimus.

Cum enim, uti refert Baronius anno 680 Justitia divina adversus septicollem Romam ob enormia patrata scelera exarsisset, horrendam pestem immittendo (visus enim est à pluribus diabolus de die cum hasta circuiens, ac ad Angeli præcedentis imperium, cuspide domorum ferire januas, ubi postero die numerus mortuorum, hastæ ictus æquabat) ibat clamor eorum in cœlum, offerebantur sacrificia, distribuebantur divites elemosinæ, instituebantur devotæ processiones, oratio fiebat sine intermissione, sed omnia in cassum, crescebat indies sæva lues, donec in somnis moniti Romani desolati, Altare in Ecclesia S. Petri ad vincula, ad honorem S. Martyris Sebastiani extruxêre, quo extructo, velut Deus faciem & preces Sancti respexisset, per intercessionem ejus mox sæva lues est extincta: Unde & in hodiernum diem ab Ecclesia Catholica pro singulari Patrono ad avertendam Epidimiam est electus.

An non ergo in Themate meo benè dictum, inter Martyres non surrexit major Sebastiano?

O Martyrem gloriosum & dilectum supremo numini! quem altissimus ipse Ecclesiæ suæ recommendavit, cujus honorem & gloriam ipsi cœlites dilatare sunt conati.

O Triumphatorem coronâ duplici redimendum!

O Vi-

(a) *Joan.* 11. (b) *Ambros. lib.* 2. *de Pœnit.* (c) *Job cap.* 42.

O Virum ineffabilem, cui septem cœlestes spiritus ad custodiam sunt deputati! O militem invictum, inter verbera carnificum constantem, inter minas Cæsaris non trepidantem, morte binâ Christi Evangelium consignantem.

Habet mundus in S. hoc Milite quod obstupescat, & miretur; habet & quod discat & imitetur.

Eheu! gratulamur quidem Martyri, sed gloria ejus confusio nostra est, veneramur Patronum, sed pauci imitantur exempla.

Verbera Carnificum, ignominiosas virgas, contumeliosos fustes, pacato & imperturbato pertulit is animo, nos verba vix ferimus. Tela is & sagittas magnanimo corde in sese recepit, nos vix aculeatum dicterium toleramus.

O nos miseros & impatientes Christianos, mordax & aculeatum verbum si vix patimur, quomodo cuspides gladiorum & sagittarum sustinebimus? Si pulicis morsum metuimus, quid faciemus, si aggrediantur nos Tigrides & Leones? Si candelæ flammam aut Solis æstum sustinere nequimus, quomodo succensas craticulas & ignitas sartagines perferemus.

Ad Te igitur ô fortissime ac maxime Martyrum recurrimus, venis nostris frigore concretis de tuo nonnihil decurrente sacro ac ardescente infunde sanguine, ut accendatur in anima nostra, ignis & ardor charitatis ille, qui in corde tuo æstuabat; impetra nobis intentationibus nostris robur & victoriam, tolerantiam & patientiam in adversis; temperantiam & demissionem in prosperis; ne felicitate extollamur, aut adversitate dejiciamur. Accende in nobis zelum honoris divini, da ut in seculari pectore Cor apostolicum circumferamus; Pestem denique ac luem mentis & corporis à nobis benignus depelle.

Ite ergo Fratres dilectissimi ad servum Domini Sebastianum, ipse orabit pro vobis, & Altissimus suscipiet faciem ejus, & dabit vobis Dominus petitiones vestras, Amen.



IN

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.



Lumen ad revelationem Gentium, Lucæ 2.

EXeſto hodie ac in æternum exilium proficiſcere ſtulta, cœca & gentilis Roma, quæ non ſolùm ligno & lapidi divinos tribuiſti honores, ſed & omnium gentium deos deaſque, tam incæſtuoſos Joves, quàm infames Veneres ſupplici genu adoraſti; quin & ipſi inferorum Regi ac Reginæ Proſerpinæ, hodiernâ luce propudioſa Februa ac Lupercalia feſta inſtituiſti: pudet vel ſolùm meminiſſe turpitudinum tuarum, ô inſipiens Gentilitas?

Procul

Procul ergo cum thyrsis uris, cetite insanientes Luperci, procul facessite lascivientes Bachæ, quæ accensis tedis ac luminaribus circumcursantes, raptam à Plutone, infelicem inquiritis Proserpinam: procul este & vos, Sacrilegi Cultores Deæ Februæ, qui ut in bello placatum ac propitium vobis reddatis Martem, Matri ejus Cereri, detestanda lumina & faces accenditis, ac scelerato circuitu, totam Romam lustratis.

Expurgate vias ociùs ò Quirites, & monstra hæc infernalia ex Urbe vestra ejicite.

Sanctius Festum celebrat hodie Ecclesia, veterum Romanorum impietatem detestans, è contra Christianâ devotione, non inferorum Reginæ raptum recolens, sed Mariæ purissimæ Cœlorum Reginæ festum celebrans, in memoriam magni illius Luminis, illuminantis universum Orbem, quod hodie Solymæo templo illatum à Maria, benedictos cereos ac luminaria accendens.

Hæc est Mater illa, non sanguinolenti Martis, sed ejus, qui Princeps est Pacis.

Hæc est benedicta illa Ceres, quæ panem de cœlo esurienti & famelico mundo subministravit.

Hæc est illa mulier fortis, quæ non solùm acinacem Martis stitit, sed ipsam Numinis dexteram ob scelera nostra trisulco fulmine armatam, fasciis in præsepi strinxit ac involvit.

Hæc est Mater illa benedicta, quæ hodierno die æterno Patri sacrificium tale obtulit, cui cœlum ac terra par, aut simile non aspexit; ad cujus Virginis proinde honorem & gloriam Auditores meos hodie invito ad Processionem Luminum contemplãdam, non in Urbe aut Templo Solymæ, sed in extremis Finibus terræ; inveniemus & ibi, cum confusione Hæteticorum nostrorum, clara & evidentia Signa Solemnitatis hodiernæ: Procedamus ergo obviam Processioni huic admirandæ, sumamus Crucem, levemus vexilla, linquamus paulisper Europam, ac ad Purificationis Festum in alteroorbe celebrandum nos accingamus! Cerei benedicti absque numero dabuntur nobis quos postmodum reduces ex antarctico Orbe Fratribus nostris absentibus distribuemus. Procedamus ergo in pace.

Processiones plures insolitas & admirandas vidit & obstupuit mundus.

Lamentabilis erat illa, (a) quæ Messanæ in Sicilia, ad avertendos insolitos terræ motus per Urbem ducta est, ubi parvuli præviâ cruce bini & bini flagris in corpora sua ad sanguinem usque desævierunt; Virgines verò sertis spineis redimitæ Lytanias lacrimabili voce decantavêre.

Humilis ac pœnitens Processio erat illa, quam septicollis Roma devenerari

(a) *Gump. in Athlante Mariano.*

venerari non satis potuit; (a) quando Leo 4. Pont. summus Comitantibus eum Episcopis ac universo Clero Romano, ad avertendam stragem, quam exitialis Basiliscus Romæ edebat, nudis pedibus miraculosam imaginem Dei genitricis circumtulit, devotionem & exemplum supremi capitis universo populo Romano lacrimis & suspiriis prosequente.

Majestate plena erat Processio illa, (b) dum Constantinopoli post insignem relata Victoriâ ab Imperatore Joanne Comneno Statua B. Virginis Nicopæjæ triumphali curru sex equis candidis instructo, per cuncta Urbis compita est circumducta, totâ aulâ imperatoriâ sacrum hunc currum insequente.

At magis admiranda & obstupescenda non fuit visa, quàm illa, quam ante novum orbem detectum America in Provincia Chilensi aspexit ac admirari non satis potuit. Seriem rei Alphonsus Espinosa l. 1. c. 2. & Athlas Marianus Imagine 6. sic describunt

Est in Regno Chilensi Insula, quam incolæ tenariffam Hispani verò magnam Canariam vocant: Idolorum hic, si uspiam alibi vigebat cultus ac veneratio: quidam enim eorum ignem (qui in regno Chilensi è quampluribus montibus velut inferni caminis erumpit) pro Deo coluerunt; alij opera manuum suarum adorârunt, sed quia authorem rerum non cognoverunt ac venerati sunt, Deus ineffabili suo consilio fecit, ut centum & quinque annis priusquam illuc advenirent Christiani, horum loco lapides illis loquerentur, eosque erudirent.

Audite mira.

Cum gregem pascerent duo Insulani, in caverna ad maris crepidinem, territus recessit grex ad præsentiam statuæ B. Virginis gestantis brachio puerum Jesum: pastorum unus ratus puellam esse vivam, lapide eam petiit, sed manus repentè obterpuit, etiam brachio toto rigente: sed & socius immotam miratus puellam priore audatior tentat cultro digitum abscindere, sed & ipse suos sibi digitos mirè sauciavit illæsâ statuâ. Ubi ad regem de Guimar hæc prodigia sunt relata, continuò ipse se hæc cum aula sua contulit, divinum aliquid esse non vanè suspicatus: mox ergo statuam aulæ suæ destinat, ubi decentius habeatur, sed cum nemo esset, qui manum admovere auderet malo pastorum eos deterrente Pastores prædicti jussi sunt hoc officium præstare, majora à Rege quàm à statua metuentes: Majore igitur reverentiâ ubi sanctam statuam attigêre, uterque integram Sanitatem accepit, nam & illi brachium & huic digiti in integrum sunt restituti.

Tanto miraculo motus ipse Rex, cum præcipuis anlicorum manus admovit: sed statuæ pondus plures poscebat manus, ut communi bono advenisse cerneretur: itaque plebejæ nobi-

(a) *Baron. ann. Ecc.* 847. (b) *Nicetas Choniates in annalibus.*

nobilium manibus ſociatæ, ſanctam Statuam in aulam deportavêre, magnum prodigium futuræ felicitatis, paulò poſt in cryptam decore excavatam intulerunt, tum aulæ moribus ne offenderetur tum ut decentiùs coleretur.

Hæc prima erat Proceſſio, quam novus orbis in honorem intemeratæ Virginis inſtituit, colens & deveneràns nondum ſibi cognitam Matrem Domini.

Plus tamen Cœlites ſacram hanc Statuam honoraverunt, nam & concentus cœleſtes à Barbaris circa Statuam ſunt auditi, ac ſupplicantium Ordines fulgentibus candelis, per maris crepidinem peregrinis & nunquam hic viſis cæremoniis accedere ſunt viſi: nonnunquam inventa ſunt integra candelarum fragmenta, quandoque etiam adhuc fumigantia, tanquam tunc primùm extincta.

Accidit ut Gentiles, inter patriæ ſuæ miranda, Hiſpano, quem prima navis advexerat, oſtenderent & hanc imaginem: ſtupuit ille venuſtiſſimi operis Statuam, Filium brachio dextero ſuſtinentem; quomodo enim barbari illam, cujus ne unquam famam audierant, effigiarent, cum totâ Inſulâ nullus ſculptor reperiretur? optâſſet Hiſpanus adeſſe eos, qui linguam calerent, ut ſacro baptiſmo eos tingerent. Fecit tamen quod potuit, docuitque Statuam hanc flexo poplite, erectiſque in cœlum manibus coli velle; ſenſuros auxilia certa, ſi Statuæ huic dicerent Ave! plura volentem revocavit navis: duravitque Gentilium devotio in Statuam, uſque dum PP. Societatis ſupervênere, ac cultum Virginis auxêre. Nomen inde Statuæ huic admirandæ impoſitum eſt à Chriſtianis *Mariæ de Candelaria*, eſtque miraculis clariſſima, & quod mirandum, barbari characteribus hinc inde inſcripta, quos Inſulani hunc in modum explicavêre. Inſcriptio prima incipit à collo *Typus Matris.*

Ad manum ſiniſtram inciſum *incorruptæ, deſponſatæ Imperatrici cœli & terræ, Sponſæ Creatoris æterni.*

A manu dextera legitur, *Hic eſt Infans, qui genitus fuit ſine principio ab omnipotente Creatore.*

In Fimbria cernitur, *Hæc eſt pacifica Maria, quæ fuit Annæ partus.*

In Zona exaratum eſt; *pro nobis ora ò advocata.*

In manu ſiniſtra legitur, *Purificatio & Præſentatio Infantis.* Ita refert Athlas Marianus Imagine 6.

Hem! Quanta ex Statua hac ſacroſancta Fidei noſtræ eruere poſſu-

mus testimonia ! dum Sapientia æterna Lumen Fidei, quod eheu in Europa per hæreses propè extinctum, in orbe in cognito mirabiliter iterum accendit.

Ah quantùm confundit hæc Barbarorum Gentilium devotio in Virginis Statuam, inurbanitatem Hæreticornm nostrorum, qui vel nomen Virginis vix pati aut tolerare queunt: incogniti & barbari characteres perversæ Fidei eos condemnant.

Gratulor interim tibi ò dilecta Deo Insula, quæ quidem longis sæculis derelicta sedebas in tenebris, tandem lux orta est tibi completaque est prophetia in te, quam Maria in cantico suo prædixit, (a) *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: ultimâ horâ vocata es ad Vineam Domini, & tamen præ aliis illustravit te lumine suo Virgo amicta sole, (b) cui luna sternitur sub pedibus; felix es & benedicta Insula, quæ in veritate ad adventum admirandæ hujus Statuæ dicere potuisti, (c) *Unde mihi hoc, ut Mater Domini mei veniat ad me?*

Auditores! tempus est, ut revertamur in Europam, finita quippè est Processio nostra, nec de benedictione Virginis dubitandum; interea sumamus benedictos cereos nobiscum, fratribus nostris absentibus pro sacro munere distribuendos.

Primi, inter quos hâc luce cereos distribuam, occurrunt mihi fratres nostri non uterini, quos non Ecclesia Christi, sed Schola Satanæ effudit, qui risibus & cachinnis Cæremonias Ecclesiæ nostræ Catholicæ exsibilant, inimici Crucis & Lucis Christi: his offero Cereos aliquot ex Insula Teneriffa, partim extinctos, partim adhuc fumantes, quibus perquàm bellè Fides eorum adumbratur, fumat nonnihil adhuc Fides eorum in articulis quibusdam, in plerisque est extincta.

Utinam Cerei hi corda eorum illuminarent, ac tenebras mentis dispellerent: (d) Sapere se credunt, sed non ad sobrieratem: scrutentur obsecro, quid egerint majores eorum, quid de luminaribus his scripserint antiqui Patres Hieron. Beda. Chrisost. & alij. Audiant sanct. Cyrillum Episcopum Jerosolymitanum ante mille & plures annos orat, de Purif. sic perorantem: *Læti hodie lampades ornemus, jam Filij Lucis, Ceras veræ luci Christo offeramus, quoniam Lumen ad revelationem gentium mundo apparuit.*

Audiant Bernardum (e) errores eorum confundentem, dum hâc luce fra-

(a) *Luc. 1. 48.* (b) *Apoc. 12. 1.* (c) *Luc. 1. 43.* (d) *Rom. 12. 3.*
(e) *S. Bern. serm. 2. de Purif.*

fratres suos ità alloquitur: Fratres *processuri sumus bini & bini, candelas habentes in manibus, succensas non quolibet igne, sed qui priùs in Ecclesia Sacerdotali benedictione fuerit consecratus.* Sed aures habent & non audiunt, noctuæ sunt sacrorum Luminarium impatientes, utinam æternæ nocti non destinati, cum insipientibus Virginibus, quarum lampades fuêre extinctæ.

Quod si miraculosi hi Cerei Canarienses, nil persuadere valent, dono illis cereum alium, quem S. Paulus Rhegiensibus accendit, simulq; eorum corda Gentilismi tenebris excœcata illuminavit: Rem sic describit Thomas Massucius in vita S. Pauli l. 34. cap. 9.

Postquam Paulus ex naufragio Melitam evasit, ac ibi prædicato Christo Rhegium Civitatem in Calabria pervenit; ut patet ex 28. cap. Actuum Apostolorum; excurrêre mox catervatim incolæ ad navem, & binas imagines Castoris & Pollucis, tanquam tutelaria Numina naufragæ navis videndas: Paulus id præsentiens, mox omni zelo & fervore in Idola & simulacra gentium detonare cœpit; cum autem ab iis utpote Idololatris non audiretur, rogavit eos Paulus, ut tamdiu saltem dicentem tolerarent, donec cereus, quem super columnam pyramidalem (cui naves advenientes alligari consueverant) accenderat, extingueretur; consensêre tandem ac placitum habuêre petitum: durabat autem Zelosus Paulus tamdiu exhortando ac idolorum vanitatem explodendo, ut cereus tandem absumptus finem dicendi urgeret; & ecce absumpto cereo mox grandi miraculo pyramis columnæ ardere cœpit, quo portento perculsi & compuncti Rhegienses, Paulum ut hominem cœlo lapsum auscultantes ab idololatriæ tenebris ad Christum sunt traducti; in cujus rei æternam memoriam columna illa in Ecclesiam S. Pauli, quæ postea in litore erecta est, supra altare majus fuit resposita, ubi mira veneratione colitur, ac quotannis statione ad columnam factâ totius populi accursu hymnus sequens in honorem Pauli canitur.

Ave columna nobilis,
Electro, & auro ditior,
Illaq; Moysis igneâ
Columna fortunatior:

Quod ore Paulus prædicat,
Te fulgurante comprobat,
Te conflagrante Rhegium
Christi fidem complectitur.

Et si nec hic Pauli cereus placet, dono illis cereum Atrebatensem in Belgio, (a) qui ante miraculosæ Virginis Mariæ Imaginem ardet: initium accensionis suæ repetit is ab Anno millesimo centesimo Quinto, at sit hucusq; in honorem Mariæ lumen hoc inconsumptum ac indeficiens annis 587. miraculum sanè prodigiosum, ad

(a) *Petra Sancta Thaumasiæ Tom. 3. c. 8.*

ad noctuarum oculos illustrandos utiq; potens. Engelgrave in Festo Purificat.

Secundi sunt decrepiti Seneciones, qui Processioni nostræ interesse non poterant, his dono (a) Cereum P. Petri Scargæ, Stephani Regis Poloniæ Confessarii, Viri cultui Mariano addictissimi: Hic paulò ante mortem, Cereum ex Virgine cera manibus suis confecerat, quem ad Deiparam Cestokoviensem dono misit, ut coram sacra ejus imagine arderet; mirum dictu, arsit is tamdiu, usque dum Pater vitam finiit, ibi & cereus ardere desiit.

Recogitate ergo cygni candidi, Quid est vita vestra? cereus ardens, qui repentino vento, aut inclementiore aurâ extinguitur; recogitate, quia paucitas dierum vestrorum finietur brevi; admonet vos hujus nivea vestra cæsaries, secretò vobis inclamans, videte quoniam jam albæ sunt regiones (b) ad messē: in universo corpore vestro nil nisi prognostica mortis occurrunt: rotatur vertigine senile caput, caligant oculi, surdescunt aures, excidunt dentes, defluunt crines, tremunt manus, nutant genua, languent Spiritus, sensim emoriuntur membra, ac guttatim defluens cereus repentè extinguetur.

Advertit hoc optimè Grandis ille Carolus Quintus, (c) in Oriente & Occidente Victoriis & Triumphis clarus: cùm enim resignatis regnis ac paternis imperiis adverteret ad finem tendere clepsydram vitæ; condictâ die solemne indixit Requiem: nigro amictu lugebant parietes templi, excitatum castrum doloris stabat ad medium, mortualem tumulum repræsentans, quod regii Ephæbi faces & luminaria manibus gestantes, circumstabant: Mortuale interim sacrum mœsto cantu Monachorum, tristè personabat, cùm repente Carolus funeri suo præludens ad Offertorium ad Sacrificantem ascendit tędaq; ardente sublatis in Cœlū oculis, sacerdoti in manus traditâ ait, quemadmodum ò Deus Vitæ meæ arbiter nunc Sacrificans Cereum hunc in manus suas recipit, ita & te rogo & obtestor, ut animam meam vinculis corporis quondam solutam in benedictas manus tuas recipias. Sumite proinde in manus vestras cereum hunc ò senes, & in tempore ad ultimam luctam vos præparate, nam Guarico teste, (d) *mors juvenibus latet in insidiis; senibus autem stat ad januam.*

Absentes à Processione nostra etiam fecēre, justo tamen titulo, languentes & morbis oppressi Lazari, in infirmitate versantes stratum suum, dierum minuta non alio horologio, quàm stillicidiis lacrimarum & gemituum metientes. His offero cereum benedictum, quem beatæ Lydwinæ Virgini per viginti octo annos cum omni morborum genere patienter decertanti, ac jam jam animam

(a) *Engelgrave Festo Purif.* (b) *Joan. 4.* (c) *Famianus Strada.* (d) *Guaricus ser. 3. de Adu.*

mam agenti Salvator noster, B. Virgine, aliisq; Sanctis eum comitantibus in manus dedit, felici præludio, ut velut Cereus, & ipsa luceret in cœlo in perpetuas æternitates.

Aut si alium affectant, consigno eis Cereum, quem gloriosus Japoniæ Apostolus Xaverius in manus tradidit (a) inclyto postea in Japonia Martyri Francisco Mastrillo, cui cùm Neapoli 1633. in excitando pegmate in honorem Virginis immaculatæ occupato, malleus grandior è superiore loco cadens lethaliter caput sauciâsset, isque desperatâ salute ad infirmorum receptacula humeris fratrum esset deportatus, S. Xaverius in forma peregrini apparens jam jam agonizanti cereum ardentem unà cum baculo peregrinorum obtulit optione factâ, ut, ad quod placeret extenderet manum; an placidâ morte per cereum mortualem designatâ vellet defungi; an verò scipione assumpto placeret amore Dei pergere ad Japones Evangelii dilatandi causâ: & ecce elevatis oculis moribundus generoso animo apprehendit baculum, vitam & sanguinem pro Christo daturus, ac momento à Sancto est persanatus obstupescente tota Neapoli.

Resignate & vos in voluntatem Dei desolatæ animæ, & si placet supremo numini, ut ulterius doloribus ac morbis velut aurum in fornace afflictionis purgemini, dicite cum D. Martino, Domine, si adhuc ad honorem tuum pati me desideras, fiat voluntas tua non recuso vel laborem vel dolorem.

Ab Ægris & morbidis, qui cum dolore luctantur, descendimus ad eos, quos improba voluptas exercet & titillat, qui à concupiscentia sua tentantur abstracti & illecti: (b) & his porrigendi sunt cerei, quibus roborentur, ut animosè concupiscentiis suis resistant.

Hinc Maribus, quos subindè blanda Venus stimulat ac improbâ libidine accendit Cereum consigno concionatoris illius Foroliviensis Laurentii Fucci ex ordine S Francisci FF. Capucinorum: (c) Is cum aliquoties graviter in vitium carnis detonâsset, graviter etiam exulceravit animos quorundam lascivorum Juvenum, qui, ut sese de eo ulciscerentur, ac infamiæ labem aspergerent, Meretriculam vesperi clam in cubiculum Patris introduxêre. Studebat ad lucernam eo tempore Pater concioni in crastinum habendæ, libris totus intentus, quem cum Lena procax sensim adrependo, nictibus oculorum ac totius corporis, ad lasciviam provocaret; Ille totus immotus, scorto nequidem appellato, digitum mox candelæ accensæ admovit, ac incredibili patientiâ tamdiu super flammam immotum tenuit, donec caro dissolveret. Attonita ad hanc constantiam Patris Lupa,

(a) *Vita Mastrilli.* (b) *Jacobi c. 1.* (c) *Joan. Rho l. 7. de Virt. c. 2. §. 11.*

Lupa, scelerisque auctores detestata, magno fletu impudentiæ veniam rogavit, ac facti pœnitens ex cubiuclo recessit: confusi exindè nebulones obscœni, majorq; honor & fama Victori accrevit.

Hunc Cereum conducibilem fore credo ad omnes tentationes propulsandas, efficacem ad cunctos ardores libidinis temperandos: proficuam flammam hanc futuram ipse arbitratur (a) Chrisostomus dicens *si libidinis igne flagras, ignem illum (gehennæ) appone,* atq; hic confestim extinguetur: Ignis igni remedio erit.

Non absimilem Cereum huic, offero devoto fœmineo sexui, usui ipsis futurum, si quando corda eorum salax cupido sollicitat & titillat, de hoc cereo auctor Vitæ S. Brigittæ refert sequentia.

Habebat hæc S. Vidua in servitiis suis pedissequam, quæ cum aliquando impuro amore arderet erga quendam Juvenem, ac destinato tempore ob metum Dominæ suæ ad eum furtivè venire non posset, subitò divino radio illustrata cogitare cœpit, an æquum sit ac rationabile pro momentaneâ voluptate æternos ignes mereari; probatura ergo utrum par foret gehennæ tolerandæ, pedem ardenti cereo superposuit, & vix per aliquot momenta inter dolores eum super flammam tenuit, cum subitò omnis tentatio evanuit, nec unquam per reliquam vitam stimulos carnis est passa.

Medicinalem sanè Ancilla hæc experta est Cereum, qui ardorem libidinis flammâ suâ absumpsit, secuta est Chrisostomi consilium; flagravit igne prius lasciviæ, apposuit ignem gehennæ & triumphavit. Vade & tu, & fac similiter.

O quisquis es, monet Drexelius in suo Nicæta l. 2. c. 11. cum te urit libido, admove oro extremum digiti gracili Cereo, nec eum prius flammulæ illi subtrahe, quàm orationem Dominicam semel duntaxat pronuntiaveris: quid cunctaris id experiri & ecquid injectum digitum subitò retrahis? vix duas voculas pronuntiasti, & mox intolerabilem ais esse cruciatum: perdura & redde digitum igni; at negas id posse fieri ob nimium dolorem: Ah mi Deus, concludit Author, *digito modicum ignem tangere horremus, & quomodo non formidamus, si totum corpus ligatis manibus & pedibus projiciatur in ignem æternum,* ubi non per unum aut alterum momentum, sed in omnem æternitatem ardebimus: ah quis habitabit cum ardoribus sempiternis?

Restant deniq; binæ candelæ, quas desperatis peccatoribus in manus trado, de quibus sequentia referunt annuæ litteræ Societatis Monasterii Westphalorum 1673.

Monasterii Westphalorum miles plurimorum capitalium scelerum reus, jussu Colonelli ad carcerem est raptus, nec multò post militiari judicio damnatus, patibulo est addictus: advenê e

(a) *Chrysost. hom. 10. in Ep. ad Cor.*

advenêre varij Religiosi, pro periclitante anima solliciti, sed omnia in cassum; marmor erat, imò marmore durior hic miles; velut aspis venenata obturans aures suas ad omnia sacra; unde sine ulteriori Ceremoniâ, tanquam cum desperato altera die ad furcam est properatum, & quia quæ ad salutem ejus erant audire detrectabat, diabolo futurus victima patibulo est appensus: quid fit? dum infelix ità pendet in aëre, rumpitur repentè laqueus, velut cultro aut ense foret dissecatus, & impium pondus in terram labitur; cuncti stupebant factum, qui tristi spectaculo aderant, ac refocillatum ad carcerem reduxêre, ulteriorem sententiam ducis præstolaturi.

Adfuêre mox altera vice zelo pleni Religiosi, marmoreum pectus hoc divino ariete expugnaturi, sed irrito iterum successu, tota enim die illa immobilis perstabat in desperatione sua: & ecce ad vesperam radius tandem divinus pectus durum penetrat, fœditatem conscientiæ ad longum depingit, ac instantem æternam perditionem patheticè ante oculos ponit; hoc divino ariete rupta est tandem duritia hominis; totus ergo mutatus in alium, confessarium advocari rogat, dolore ingenti peccata confitetur, ritè absolvitur, ac ad instantem mortem totus lacrymis diffluens adeò sollicitè se parat ac disponit, ut cuncti novitatem rei admirarentur, ac præsentem digitum Dei agnoscerent: Interrogatus igitur unde existimaret hanc gratiam extraordinariam à Deo se se consecutum, an fortè cœlestis Patroni cujusdam interventu ac Patrocinio hoc factum? aut quid operis aliquando Deo patrâsset? Respondit is ingenuè, nec virtutum aut honorum operum se unquam studiosum fuisse; nullius Sanctorum Patrocinium unquam curâsse, nec meminisse se unquam quid boni operis Deo aut Sanctis præstitisse & exhibuisse, nisi quod semel, & quidem in crapula, ad imaginem B. Virginis binas candelas accenderit, in honorem S. Matris postea arsuras.

Hoc audito concludebant universi, exiguum hunc honorem Virgini exhibitum, perdito huic & scelerato militi ostium aperuisse cœlorum.

Has igitur binas candelas, ò peccatores! domum vobiscum deferte, & discite, nec minimum quid impensum in honorem gloriosæ Virginis indotatum aut indonatum abire. Videte quàm parvo obsequio Mariæ Patrocinum comparari queat. Unica depositio pilei, aut reverentia imagini in transitu exhibita; Unicus nummus in honorem ejus pauperi datus; unicum Ave cum devotione dictum, reserare nobis poterit cœlos; unica candela accensa claudere & obserare infernum.

Et quis non amet MARIAM? quis non omni veneratione Matrem misericordiæ prosequatur, quæ tantæ benignitatis est, ut peccatores jam jam ad Tartarum properantes gra-

tiosa dexterâ in semitam justitiæ & salutis & reducat.

Ad Te nunc me converto, O purissima & immaculata Virgo, quæ puritate vincis Angelos, benignitate & misericordia omnes superas Sanctos: Tu o gloriosa Regina in cœlesti quidem Jerusalem nunc assides tuo filio; at nihilominùs nobis in valle lacrimarum exulantibus porrigis benignam dexteram: non transit dies, non nox, non hora, non momentum, in quo tu non singulare aliquod humano generi præstes beneficium.

O Mater salutis; O fons misericordiæ, ad te suspirant, tibi supplicant gemebundæ animæ nostræ, age purissima Domina oculis nos tuæ pietatis respice, ac filio tuo dilecto nos reconcilia, & præsta, ut sicut hodie immaculata templum Solymæum intrasti, itá & nos culpis soluti, ac in Sanguine Agni dealbati à te aliquando filio tuo in templo gloriæ præsentari mereamur.



IN

IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.



Deſcendant in Infernum Viventes. Pſalm. 54.

VEteri fertur adagio Mathiam frangere glaciem, diſſolvere gelu: Utinam, ah utinam Is glaciem, quâ corda noſtra ſunt indurata, aliquando diſſolvat! teſte enim Bonaventurâ (a) *frigida ſupra nivem ſunt corda noſtra, frigida verba, frigida ſunt opera:* in cordibus noſtris congelatus eſt amor Dei, obriguit charitas proximi, concretæ torpent virtutes, frigore obducta rigent noſtra ſancta propoſita, Deus novit

 quando

(a) *Bonav. Ser. 2. in F. Magd.*

quando ſint diſſolvenda: Unde meritò ſupplicandum Apoſtolo, ut glaciem aliquando cordium noſtrorum disrumpere dignetur. At quibus mediis? an ſecures & asciæ adhibendæ? an exemplo Hannibalis ſcopuli indurati rumpendi aceto? an ſolis ardore frangendum gelu? *perit enim glacies, ubi ferit ſolis acies.*

Minime: ita enim induruerunt obſtinatorum peccatorum animi, ut ſolo igne ſint perdomandi, igne videlicet, quo & ipſe Apoſtolus uſus eſt, ut induratos ac marmore duriores Auditorum ſuorum animos frangeret, & emolliret: nam cum in Macedoniam Evangelii diſſeminandi causâ veniſſet, ac cerneret omnes conciones flocci haberi, Verbum Dei contemni, ſacras admonitiones explodi, minas intentatas riſui eſſe & ludibrio: Zelo divino accenſus coram conferta multitudine altùm exclamans dixit; denuntio vobis quod vivi in infernum deſcenſuri ſitis progenies Viperarum: (a) cumq; iterum riſu & cachinnis verba ejus eluderent, diſrupta eſt ſubitò terra ſub pedibus eorũ, & deſcenderunt viventes in infernum, flammis undique ex terra erumpentibus, ac maledicta corpora eorum vorantibus. (b)

Has infernales flammas, hos ignes, hæc incendia proficua credo ad frangendam glaciem peccatorum, fumum utilem ad eliciendas lacrimas, dolores ſufficientes ad conterenda corda, gemitus & ſuſpiria apta ad diſſolvendum gelu: Hinc ut rumpatur glacies peccatorum, conabor hodie nonnihil Infernum vobis adumbrare, ut ſecundùm D. Gregorium M. (c) *tandem vel pœnæ terreant, quos præmia non invitant.* Deſcendamus igitur conſultore D. Bernardo in Infernum viventes, ne deſcendere cogamur morientes. (d)

Quid eſt ergo Infernus? reſponſi loco ſolùm monſtro Alphabetum ſequens terribile, & dico, Infernus eſt

Armamentarium iræ divinæ.
Babilon infernalis, ubi nullus ordo?
Clibanus jugiter ardens.
Dolorum officina.
Exilium æternæ gloriæ.
Filiorum Belial Patria.
Gehenna à furore Domini ſuccenſa.
Hæreditas Filiorum iræ.
Jugum Maledictionis.
Lacus picis & ſulphuris.
Metropolis malorum omnium.
Nox æterna.
Oceanus tormentorum.
Porta deſperationis.
Querelarum Echo.
Rota æternitatis.
Spelunca Draconum.
Theatrum crudelitatis.
Umbra mortis & ſempiternus horror.
Væ! Væ æternum.

Secundùm Job cap. 10. *Terra miſeriæ & tenebrarum, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.*

Secun-

(a) *Hiſt. Lomb.* (b) *Petr. de Natalibus de S. Math. Jac. de Voragine.* (c) *Hom. 11. in Evang. Gregorius,* (d) *D. Bern. ad fratres de monte Dei, item de vita ſolitar.*

Secundùm Psalmistam psal. 54. *Puteus interitûs.*

Secundùm Isaiam c. 30. *Vallis Tophet, profunda & dilatata, cujus nutrimenta ignis.*

Secundùm Epulonem *Locus tormentorum.* (a)

Secundùm Bernardum. (b) *Regio gehennalis, Lacus lethifer, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, ubi Vermis immortalis, fœtor intolerabilis.*

Secundùm Hugonem de Sancto Victore; (c) *Lacus sine mensura, Profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore ineffabili, ubi miseriæ, ubi tenebræ, ubi nullus ordo, ubi horror æternus, ubi nulla spes boni, nulla desperatio mali.* Verbo, Carcer formidandus, ubi Deus peccatores velut rabidos canes catenis igneis alligatos affligit & cruciat sine fine.

O titulos formidandos, ò nomina extimescenda! ò alphabetum terribile! nomen & definitionem Inferni audistis, nunc ejus descriptionem percipite

Apelles quidem non sum aut Prothogenes, qui infernum condignis coloribus depingere queam, conabor tamen carbonibus desolatoriis formam illius nonnihil delineare, colores mutuabor ex SS. Patribus, penicillum erit sacra pagina.

Imaginare igitur ò peccator adhortante te ad hoc D. Bonaventurâ, Civitatem quandam à Deo maledictam, in centro terræ à divina justitia constructam, cujus tenebras nec solis radii, nec Lunæ splendor, nec stellarum fulgor illustrare queant, undique succensam flammis, velut alteram conflagrantem Trojam.

Allambunt hanc execrabilem Civitatem quatuor infernales torrentes: Ex una parte alluitur Lethe, fluvio oblivionis omnium bonorum, *transierunt enim omnia tanquam umbra.* (d) Ex altera parte cingit eam Acheron, torrens tristitiæ & doloris, dum absque ulla consolatione & spe æternùm vivunt miseri. Latus tertium arrodit Cocytus, flumen luctuosum, plenum lamentis & væ, dum privatos se visione Dei lamentantur. Circumdat quartò denique hanc miseram & infelicem Civitatem Phlegeton, torrens ardentibus flammis undique exæstuans, in quo secundùm Chrysostomum *ignei fluctus instar montium eriguntur, ubi crematur homo & dolet, & tamen non consumitur.* (e)

Clausa est hæc Civitas clathris, Seris & vectibus ferreis, catenis circumdata adamantinis nunquam rumpendis; Portæ tamen septem patent ad infelicem hunc Labyrinthum.

Superbi Pavonis,
Avari Gryphis,
Salacis Capri,
Voracis Lupi,
Iratæ Tygridis.
Invidi Canis.

(a) *Luc. 16. 28.* (b) *S. Bern. serm. de 5. regionibus.* (c) *lib. 4. de anim.* (d) *Sap. 5.* (e) *S. Chrisost. Homil. 44. in Math.*

Tardæ denique & otiosæ Testudinis.

Portale majus refert Draconem, cauda sua totam civitatem complectentem, ignes ex naribus & ore Vesuvij instar eructantem. Lemma Portali adscriptum : *In Inferno nulla est redemptio.*

In medio Civitatis hujus infernalis visitur Palatium grande, flammis, fumo & sulphure totum denigratum, Regia & aula Luciferi, Principis filiorum superbiæ : columnæ, quibus id sustentatur, ex viperis, lacertis & serpentibus implexis exurgunt : Scalas & ascensum præbent damnatorum corpora, quibus calcatis ad superiora ascenditur : Tapetes aulæ hujus sunt detestanda scelera Mortalium, quæ à condito orbe Sol vidit, & luna sepelivit. Aulici sunt formidanda monstra, deformia spectra ac ferales Larvæ : Gynæcæum formant Furiæ, Harpyæ, Gorgones passis crinibus, hiante rictu formidabiles; Incolæ & Cives, sunt infames Bestiarij, Sodomitæ, Scortatores, adulteri, fures, sicarij, proditores, incendiarij, Magi denique & Arioli.

Nulla lex inter eos, nullus ordo. Nil auditur nisi rixæ, contentiones, diræ, execrationes & blasphemiæ, vestes & togæ eorum sunt paludamenta ignita. Lecti eorum craticulæ igne succensæ; (a) Cibus *ignis sulphur & spiritus procellarũ pars calicis eorum*: Potus: (b) *fel draconum Vinum eorum, & venenum aspidũm insanabile, ex quo bibent omnes peccatores terræ.* (c) Odoramenta eorum & balsamum, fœtor ex pice & sulphure intolerabilis. Musica stridor dentium, latratus & ululatus multus, horrisonum fulmen horrendis mugitibus infelicem Civitatem concutiens : Supernè volitant igniti dracones, basilisci & metuendi gryphes; infra serpunt lacertæ, bufones, dypsates, viperæ, colubri, & scorpiones.

Ibi visuntur succensæ fornaces, ardentes clibani, in quibus miseri cremantur : Hîc spectantur craticulæ & fumantes sartagines, in quibus velut in frixorio torrentur. Ibi fixæ sunt rotæ & patibula, in quibus miseri suspenduntur; ad latus imminet stagnum ignis & sulphuris, in quo balneantur, mox à calore nimio transituri ad glacies & aquas nivium, ubi erit fletus & stridor dentium. (d)

Duo enim secundùm (e) Gregorium magnum & Augustinum principaliora tormenta sunt in Inferno, frigus intolerabile & calor ignis inextinguibilis. Hîc iterum ligatis manibus & pedibus præcipitantur in puteum interitus. Hîc miseri circumeunt famelici, ut canes, & commanducant linguas suas præ dolore; ibi am-

(a) *Ps.* 10. 6 (b) *Deut.* 32. 33. (c) *Ps.* 74. 9. (d) *Iob.* 24. 19. *Matt.* 8. 12. 13. 42. c. 22. 13. 24. 52. (e) *Greg. Mag. in c. Math. Aug. serm. de triplici habitaculo.*

ibi ambulant ſuccincti flammis, quas ſuccenderunt peccata eorum, præ anguſtia ſpiritûs gementes & dicentes, heu nos miſeros! heu infelices! pereat dies, in qua nati ſumus.

(a) Diſcurrunt interim undique dæmones ſcintillantibus oculis, de quorum naribus procedit fumus, quorum capita ut draconum, dentes ſicut elephantum prominentes, quorum caudæ ut ſcorpionum, quorum voces ut fremitus Leonis ſonant, vociferantes, (b) Ure, ſeca, percute, lacera, tunde, merge, macta, trucida, præcipita. Virg. Æneidos:

Non mihi ſi linguæ centum ſint oraq; centum,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

Auditores! ſiſtamus nunc paululum ad portam iſtam deſperationis; atque ſtatum infeliciſſimum Tartareæ hujus Civitatis ulterius ex ipſis inquilinis indagemus; audiamus trementibus & tinnientibus auribus quid nobis loquantur. (c)

Auditiſne clamores horrendos, ululatus miſerabiles! heu nos miſeros! heu dolentes!

O præteritum infelix! ò præſens, lamentabile! ò futurum formidandum! (d) *Quid nobis profuit ſuperbia? quid divitiarum jactantia? tranſierunt omnia tanquam Umbra.*

O Inſipientes trapezitas, qui cum maledicto Achab pro unica vinea, agro, arce, pago, cœleſtem vendidimus Hieruſalem!

O Inſanos! qui cnm rege Lyſimacho pro hauſtu frigidæ, pro momentanea voluptate regnum perdidimus ſempiternum.

O Inſenſatos! qui cum infelici Eſau pro viliſſimo pulmento æternam perdidimus Cœnam!

O Amenites! qui tot annos, tot horas ludendo, bibendo, dormiendo, otiando inſumpſimus, nec unicum momentum nobis reſervavimus, quo per confeſſionem, aut ſinceram contritionem in gratiam cum Deo rediremus.

O Infatuatos! qui ſemper intenti ad noſtrum Intereſſe, ſemper ſolertes & indefeſſi ad noſtra lucra & commoda, æterna tamen bona non curavimus; ob guttam mellis nos in pelagus amaritudinum & abſynthii præcipitantes.

Ex omnibus, quæ in mundo poſſedimus, ſola peccata nobis remanſerunt æternum caſtiganda: amœnæ villæ, pompoſa palatia, aurum & argentum, honores, tituli, officia, dignitates tranſierunt ſicut ſomnium, nil nobis reliquum remanſit, niſi fili *recepiſti bona in vita tua.* (e)

O Infelices! qui toties claves cæli in manu noſtra verſavimus, & jam

(a) *S. Antoninus* (b) *Bernard in ſermon. apud Incbino de inferno.* (c) *Incbino, 4. p. 8. § de inferno. 8.* (d) *Sap. 5.* (e) *Luc. 16. 25.*

jam à cœlesti excludimur janua ! ò infortunatos ! qui toties summitatem scalæ cœlestis attigimus, & nunc repentè in abyssum interitûs præcipitamur : qui aliis in diluvio salvatis, nunc fluctibus inferni submergimur ! qui cœteris ex incendio Sodomæ liberatis, victimæ nunc & nutrimenta æterno igni alendo deputamur.

Cernimus tandem sed serò, quid mundus fallax nobis contulerit, ob quem spontè cœlum perdidimus. O fallax mundus! detestanda ambitio, divitiæ infortunatæ! amores maledicti ! odia inveterata ! ob quæ æternos ignes incurrimus!

Sed quid frustra lugemus præterita amissa ? intueamur præsentia. O præsens crudele & infelix ! ò ignis, qui viscera nostra torques & depascis!

Adeste dolores invadite nos, concutite nos febres ; lacerate nos podagræ; inficite nos lepræ; rumpantur oculi, excutiantur dentes, distrahantur artus, detrahatur cutis; deliciæ nostræ hæc erunt.

Veniant gladii exacuti, votæ cultris armatæ, ardentes forcipes, ignitæ sartagines, horribiles catastæ & equulei ; pictura erunt tormenmentorum nostrorum.

Alium, alium patimur ignem, *qui non est sicut focus vester.* Aug. in Psal. 49.

Ignis secundùm Hieronimum (a) *in quo uno omnia supplicia sentiunt peccatores.*

Ignis secundùm Anselmum, (b) *cui noster comparatus est umbra & nihil,*

Ignis, qui teste Isidoro, (c) *lucebit miseris ad augmentum pœnæ, ut videant unde doleant.*

Ignis, de quo Augustinus, (d) cujus potentiam nulla vox, nullus sermo poterit exprimere. Ignis, in quo æternum velut Salamandræ vivemus nunquam morituri.

Ignis qui corpus & animam affligit. Ignis, cui conjunctus stridor dentium. Ignis, qui comburit & non incinerat, cruciat, sed, non occidit. Aeternus in sua duratione, tremendus in castigatione, terribilis in cruciatu, formidabilis in potentia: Ignis quem venti & turbines non extinguunt, quem nives & gelu non oppugnant, quem mare & aqua non temperat, Ignis denique, in quo inter carbones desolatorios æternum ardebimus.

Vivimus quidem, sed inter tormenta : nutrimur ; sed felle draconum; respiramus, sed flammas solùm attrahimus; videmus, sed solùm infernalia monstra; audimus, sed nil nisi desperatas voces & blasphemias.

Hanc catenam ferream procudit nobis consuetudo criminum. Hoc Sulphur & absynthium infudit nobis crapula & ebrietas. Hunc strido-rem

(a) *Hieron Ep. ad Pammachium.* (b) *Anselm. apud Viv. titulo Infer.* (c) *Isidor. l. 1. c. 31. de summo bono.* (d) *August. Serm. 18. de temp.*

rem dentium causavit livor noster & invidia; has flammas accendit impurus amor & luxuria; Has tenebras patimur, quia lucem fugimus, opera agentes tenebrarum. Væ nobis, quia peccavimus.

Verùm quid hæc tormenta deploramus, dum longè gravior nos pœna torquet damni; dum velut filii iræ, cœlesti hæreditate proscribimur, ac velut infernalia monstra à visione Dei arcemur: ah quàm benè dixit Chrysostomus, (a) *intolerabilis quidem res est Gehenna, quis nescit, & supplicium terribile: tamen si mille ponat aliquis gehennas, nihil tale dicturus est, quale à beatæ illius gloriæ bonore repelli, exosumq; esse Christo, & audire, nescio vos.* Clausa est janua; est enim satiùs mille fulmina sustinere, quàm vultum illum nos aversantem videre: *addantur tormenta tormentis*, clamamus cum Brunone, (b) *pœnæ pœnis, sæviant sævissimi Ministri iræ Dei; modò Deo non privemur.*

Sed actum est, nequaquam ultra vivemus, nec videbimus faciem Dei, lata est sententia, *in inferno nulla est redemptio.* Heu nos miseros! heu dolentes! Valete astra, quæ lucetis Domino cum jucunditate; nam vestræ illustres scintillæ oculos nostros amplius non perstringent.

Vale Sol, mundi ocule, lumen delectabile; nobis infernalibus noctuis non est delectablile videre lumen tuum.

Vale Luna, luminare minus; tenebrosos nostros carceres splendor tuus nequaquam illustrabit.

Valete Ver, Æstas & Autumnus; rigidus solùm December glacie constrictus nobis remansit aptus ad stridorem dentium excitandum.

Vale Iris signum pacificum, tessera reconciliationis; non esse poterit amplius Pax impiis.

Vale Cœlum, Aula Dei, olim quidem nobis promissa patria; sed eheu à te exules in æternum proscribimur.

Valete amici, tempus nobis ad pœnitendum remansit, nobis verò est abscissum.

Vale dies; nox æterna incubat; *venit enim nox, in qua nemo operari potest.* (c)

Valete Angeli, custodes quondam nostri, qui toties curâstis Babylonem, at non est sanata. (d)

Valete Sancti Beatorum Chori; nam tempus patrocinandi effluxit pro nobis; *lætabitur enim justus, cum viderit vindictam peccatorum.* (e)

Vale superna Jerusalem, paradisus voluptatis, ad quem nobis æternùm clausa est janua.

Vale Regina cœlitum Maria, nam justum Filii tui judicium improbare nequis. Vale denique Deus, qui siccis oculis ignitas nostras lacrymas nil profuturas vides, qui surdis auribus gemitus, lamenta & suspiria nostra rejicis: *Justus es Domine, &* G *rectum*

(a) *S. Chrysost. hom. 28. Tom. hom. 49 ad pop. Item hom. 24. in Math. cap. 7.* (b) *Bruno Serm. de Judicio.* (c) *Joan. 9. 4.* (d) *Jerem. 51. 9.* (e) *Ps. 57. 11.*

rectum judicium tuum. (a) Væ! Væ! nobis, quia peccavimus.

O nos infelices noctuas, qui ad æternas tenebras ejicimur, visionis beatæ incapaces! O miseras salamandras, qui æternùm in ignibus volutabimur! O infelices Tytios, quorum corda à vulture conscientia æternùm arrodentur! O maledictos Ixyones, rotæ æternitatis in sempiternum alligatos! ubi æternùm volvemur ac revolvemur.

O ignes! ô incendia! ô tenebras! ô pœnas! ô tormenta, ô vermem æternum! O futurum formidabile! nunquam terminandum! pereat dies, in qua nati sumus, pereat nox, in qua concepti fuimus.

Talia dixerunt in inferno positi, Sapientiæ c. 5.

Auditores dilecti! quis nunc vester est sensus ad discursum hunc infernalem? An nondum præ horrore ambæ vobis aures tinniunt? An non inhorrescunt capilli capitis vestri? An sacro terrore nondum concutiuntur ossa vestra? An vermis immortalis conscientiam vestram nondum rodit & mordet? An hoc infernali ariete nondum quatiuntur dura pectora? An hæc incendia, hæ flammæ, hi ardores gelu & glaciem peccatorum vestrorum nondum dissolvunt?

Nunquid caro vestra ænea est? aut sensus vester adamantinus?

Parcite mihi ô peccatores, tantùm abestis à tartaro, quantùm qui in fragili cymba sedet, à naufragio: uti enim hic unico assere morti est proximus, ita & vos unico perpetrato scelere appropinquatis inferno: Unicus illicitus tactus, unicus lascivus aspectus, unica rapina, furtum, defraudatio, denigratio famæ, momento id efficiunt: Gratias millenas agite Numini ac Creatori vestro clementissimo, qui millies jam meritos in tartarum ac infernalem abyssum vos nondum detrusit.

Insensati igitur estis filii Adam, qui ob vanam ambitionem æternæ confusioni vos exponitis: Stulti, qui pro divitiis fugitivis æternam egestatem & pauperiem mercamini: dementes, qui pro unica voluptate æternos ignes comparatis: Stolidi, qui ob dulcedinem vindictæ, vindictam Dei æternam incurritis!

Ah insensati Galatæ! (b) *Quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante?*

Vos Invictissimi Reges, Potentissimi Principes, qui ob elata capita vestra totam terram inquietatis, ferro & flammâ regna dividitis, quomodo habitare poteritis cum igne devorante? cum ardoribus sempiternis?

Vos Illustrissimi Comites, Generosi Barones, qui subditorum vestrorum colla & capita fastuosè calcatis, medullas eorum coloratis titulis exugitis, omni libertate privatos mancipiorum instar oneribus Camelorum instar deprimitis, quomodo habitabitis cum igne devorante?

Vos

(a) *Ps.* 118. 137. (b) *Isa.* 33. 14.

Vos delicatæ Domicellæ, ſepulchra dealbata, quæ nec aculeum pulicis perfertis, quæ ad Chyrurgi lanceolam totæ expalleſcitis, quomodo carnes veſtras dilacerari, cutem detrahi patiemini? Ah quantas lacrymas ex oculis veſtris eliciet fumus tartari, quantùm non denigrabit ſuper carbones politas & minio depictas veſtras facies flamma hæc infernalis.

Vos Magiſtratus & Judices injuſti, muneribus corrupti, donis infatuati, eheu qualia tormenta, quos cruciatus vobis comparatis?

Vos Mercatores & Opifices, qui illicitis lucris diteſcitis, quantum non damnum incurritis; *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum faciat?* (a)

Vos Ruſtici & Agricolæ, qui talparum inſtar toti vos terræ immergitis, cœli immemores, quomodo aratrum tartari & jugum ferreum tolerabitis?

Vos ſuperbi Pavones, quomodo contemptum, opprobria & confuſionem æternam feretis?

Vos luxurioſi Capri, quomodo ignitas ſartagines præparatas concupiſcentiis veſtris ſuſtinebitis? Vos ebrioſæ cucurbitæ, quæ ad Quadrageſimæ & Jejunii nomen expalleſcitis, quomodo picem, ſulphur & abſynthium guſtabitis? Vos iracundæ Tygrides, quæ nec mordax verbum toleratis, quomodo verbera & flagella dæmonum ſuſtinebitis?

Vos demùm invidi Canes, quonam oculo eos, quos aliquando in terris habuiſtis in deriſum, nunc computatos inter filios Dei contemplabimini?

Eligite nunc, ô Peccatores! quod vobis placet, aut ardendum hîc amore Dei, aut ibi ardendum igne inferni: extinguendi ſunt hîc per pœnitentiam ignes concupiſcentiæ, avaritiæ & vindictæ, aut ibi tolerandi ardores Gehennæ.

Audite obſecro Auguſtinum: (b) *Si igne cœli non accenderis, ignem time gehennæ, ſi non amas eſſe in regno, time eſſe in camino ignis.*

O miſeri peccatores! per unicum Ave digitum candelæ accenſæ applicare nequitis, & quomodo ſtulti per æternitatem incendia tolerabitis? Ah quis ex vobis habitabit cum ardoribus ſempiternis? (c)

Finio Sermonem cum S. Macario ad Fratres ſuos in Eremo Thebaidis perorante; Ita is ait: (d) *Plangamus, ô Fratres, & lacrymas oculi noſtri producant, antequam hinc eò migremus, ubi lacrymæ comburunt corpora, plangamus modò, quia tempus non erit ultra; deſcendamus nunc imaginatione ſeriâ in infernum viventes, ne mortui eò deſcendere cogamur.*

Plangamus ex animo Chariſſimi, & alphabetum vitiorum ac ſcelerum noſtrorum ex corde noſtro radicitùs eradamus.

(a) *Matt. 16.26. Marc. 8.36. Luc. 9.25.* (b) *S. Auguſt. Serm. 52. de tempore.* (c) *Iſa. 33. 14.* (d) *S. Macarius apud Cornel. in c. 5. Math.*

Deleamus *A*varitiam.
Deleamus *B*lasphemiam.
Deleamus *C*alumnias.
Deleamus *D*iſcordias.
Deleamus *E*brietatem.
Deleamus *F*urta & rapinas.
Deleamus *G*ulam & Gaſtrimargiam.
Deleamus *H*ypocriſin.
Deleamus *I*nvidiam, Inimicitias.
Deleamus *L*ibidinem, Laſciviam.
Deleamus *M*endacium.
Deleamus *N*ugas ſæculi.
Deleamus *O*tium, pulvinar diaboli.
Deleamus *P*erjuria.
Deleamus *Q*uærimonias contra Deum.
Deleamus *R*ixas cum proximo.
Deleamus *S*uperbiam, Scandala.
Deleamus *T*urpiloquia.
Deleamus *U*ſuras.

Eradamus infame hoc alphabetum diaboli, ne ſine fine auribus noſtris inſonet alphabetum illud infernale, quod exordio ſermonis audiſtis.

Semper hæreat menti noſtræ, quod S. Auguſtinus ad Comitem quendam perſcripſit: O mi Frater! numquid ferreæ ſunt carnes noſtræ, ut non contremiſcant, vel etiam ſenſus noſter adamantinus, ut non emoleſcat ad illa Dei Verba: Ite maledicti in ignem æternum. Vivien in Tert. Prædic. Verbo Infernus Conc. 4. Semper occurrat cordi noſtro, quod B. Ludolphus Carthuſianus monet: (a) *O Cor nequam! ſi ad hæc audita non expaveſcis, nec ad pœnitentiam provocaris, durius es lapide, durius adamante.*

Faxit Deus, ut intercedente Beatiſſimo Apoſtolo Mathia tandem gelu & glacies duri pectoris in omnibus peccatoribus rumpatur.

(a) *Ludolp. Carthuſ. part. 2. c. 42.*



IN

IN FESTO S. CHUNEGUNDIS, VIRG. ET IMP.



Veni, & oſtendam tibi Sponſam, Uxorem Agni. Apocal. 21. c.

ADhortatur me quidem hodierna ſolemnitas, ut in laudes Sanctiſſimæ Chunegundis excurram, verùm à Propoſito Sacro ſupra modum me abſterret S. Hieronymus, dum Epiſt. 26. ad virginem Euſtochium, Encomium ſeu Epitaphium Paulæ Matris illius ſic orditur: *Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humanâ voce reſonarent, nihil dignum Sanctæ ac Venerabilis Paulæ Virtutibus dicerem.*

Si laudibus Paulæ enarrandis ſe impa-

Imparem censet magnum illud flumen eloquentiæ Hieronymus, quid condignum loquetur lingua mea honori SS. Imperatricis, quæ multis parasangis Paulam supergreditur?

Fuerit Paula nobilis genere, Patritia Romana, Soboles Grachorum, uti eam intitulat Hieronymus, splendore tamen generis plurimùm illa edere cogitur Chunegundi Palatinæ Rheni & Mosellæ, coronatæ Reginæ & Imperatrici Romanorum.

Fuerit Paula felix nacta Matrimonium, utpote juncta Toxotio Viro inter Romanos Nobilissimo: Nobiliorem longè Chunegundis consecuta est Conjugem Henricum Sanctum simul & Potentissimum Cæsarem.

Pepererit Paula Toxotio Matrimonii quinque nobilissimos flosculos, Blesillam, Paulinam, Eustochium, Ruffinam & Juvenem Toxotium: At infinities plus Chunegundem exornat Thorus immaculatus, & virginalis puritas ad mortem usque in matrimonio conservata.

Extruxerit Paula juxta Bethlehem tria Sacrata Deo Ascetoriola; quid hæc ad magnificas Basilicas & integros Episcopatus, quos ex dote sua, Regia munificentiâ extruxit Chunegundis?

Fuerit Paula, teste Hieronymo, potens quondam in divitiis, sed Christi postmodùm paupertate insignior; attamen & hìc omnium judicio palmam Chunegundi cedere cogitur, utpote quæ in rei veritate, Regnum mundi, & omnem Pompam Seculi propter amorem Domini contempsit.

An non ergo justiùs Hieronymo exclamare possum & dicere? Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humanâ voce resonarent, nihil dignum Sanctissimæ Chunegundis virtutibus dicerem: Quid enim condignum de ea eloqui potero? an asserere, quod rarus & insolitus Phœnix sui extiterit sæculi? an observatam in matrimonio Virginalem integritatem incombustum Rubum Moysis eam proclamare? an amorosum Pelicanum erga pauperes & egenos dicere, à cujus facie nunquam vacuo sinu pauper est regressus?

An Angelum terrestrem nominare? utpote quæ in terris puritatem Angelorum est imitata; *in carne enim præter carnem vivere non terrena vita est, sed cœlestis*, ait Chrysologus serm. 143. an comparare eam Opalo gemmæ illi 60. pulchritudinum, uti eam vocat Isidorus, (a) in qua una omnium aliarum gemmarum gratiæ resplendent? quidquid horum dixero, nil supra verum affirmabo.

Extitit enim Chunegundis inter adversa solidus & indomabilis Adamas:

Ob virginitatem incontaminatam candens & nitida Margarita.

Ob virtutum splendorem radians Topazius.

Ob contemplationem & terrenorum despicientiam cœruleus Sapphyrus.

Ob

(a) *Isidorus de gemmis.*

Ob conformitatem voluntatis suæ cum divina, amabilis Ametistus.

Ob spem & fiduciam in Deum viridis Smaragdus.

Ut verbo complectar, tot tibi sunt laudes, quot sidera cœlo. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*

Quid ergo, ô Serenissima Imperatrix, laudibus tuis condignum hodiè adjicere potero? quam obsecro gemmam coronæ tuæ immortali inserere? dum inter Virgines es Virgo, inter Maritatas immaculata Uxor Cæsaris, inter Viduas Religiosa vidua, inter Religiosas demum Deo dicata Monialis.

Nil ergo restat, quàm ut Rubinum seu Carbunculum adjiciam coronæ tuæ, ac titulum Martyris tibi attribuam; quem titulum dum Chunegundi convenire vel maximè probo, patientiam vestram exspecto.

Referunt Annales Magnæ Britanniæ, ad nuptialem solemnitatem Eduardi Regis Angliæ splendidiùs illustrandam (alii Henrico id tribuunt) cunctis Regni Proceribus solemnia indicta fuisse Tornea-menta.

Advenêre magno numero Magnates Regni, armati clypeis & symbolis suis. Primus, qui comparuerat, in clypeo gerebat depictas Rosas, spinis circumdatas, quo innuere volebat, se velut Rosam per medias hostium sarissas penetrâsse, ac sanguine eorum aspersum triumphâsse.

Alter ostentabat candidum Lilium, cum inscriptione, Candor illæsus, indigitare cupiens, fidelitatem suam erga Regem ita hactenus candidam extitisse, ut nulla eam turpitudinis maculam unquam denigrârit.

Tertius prodibat in Scuto, monstrans Erinacium spiculis rigentem, cum lemmate, Nemo hîc se fricet: significans, separem cunctis adversariis, semperque paratum ad hostium insultus excipiendos.

Quartus gloriabatur flore Heliotropii, cui subscriptum erat, Solem meum sequor; monstrans, se ad omnem Regis nutum pendere.

Quintus in Scuto depictum habebat Ramum Myrrhæ, cui innexus Ramus Gliceritæ, indigetans, cuncta, quæ pro Regis gloria degustâsset amara, dulcia sibi visa fuisse.

Sextus præferebat Anchoram, quæ rupi adhærebat, cui Regia Insignia incisa erant, cum lemmate: mihi adhærere bonum.

Septimus in Scuto depictum Tormentum bellicum gerebat, cui manus ignem Scipione admovebat, cui adscriptum, Si tangor, tono.

Sequebatur tandem cœteros Rex, Scutum præferens aureum, cui Corona Regia incisa cum lemmate, In me omnia. Hæc annales.

Si à Supremo Numine, cœlestium Virginum gynecæo concederetur, & hodiernam solemnitatem amabili suâ præsentiâ etiam condecorare, prodirent illæ utique longo & venusto ordino, instar Amazonum, peltis,

peltis, ſcutis & vexillis variis exornatæ, in quibus depicta nobiliſſima Symbola foret cernere.

Videretis prodeuntem Agnetem, ac monſtrantem in vexillo Agnum coronatum liliis cum lemmate, Sequor quocunque ierit.

Prodiret Lucia, ac oſtenderet in ſcutó ſuo Rogum acccenſum, ac in medio ejus Salamandram, cum inſcriptione, *In medio ignis non ſum æſtuata.*

Monſtraret in alio ſymbolo Barbara Turrim, cui adſcriptum, *Turris fortiſſima Nomen Domini.*

Adeſſet Dalphina, Elzearii Comitis Conjux immaculata, monſtrans in vexillo Lectum ſtratum liliis, cui ad binum latus additi velut pudicitiæ cuſtodes duo candidiſſimi Cygni cum ſubſcriptione, *Honorabile Connubium, & Thorus immaculatus.*

Prodiret Iſabella Regina Portugalliæ, ob zelotipas ſuſpiciones à Rege ſuo Dionyſio mali ſugillata, ferens ſcutum, in quo Baſiliſcus depictus ſtans ante ſpeculum, cum lemmate, Nil impurum in me invenies.

Compareret Roſalia ferens in ſcuto Coronam inverſam, & ſceptrum diffractum, cui adſcriptum; Propter amorem Domini mei Jeſu.

Adveniret Mater Conſtantini M. Beatiſſima Helena in vexillo templum & crucem præferens, cum lemmate, Lignum & lapides laudem dicent.

Videretur Eliſabetha Hungariæ Regina, Cornucopiam in vexillo geſtans, cum manu ex illa ſpargente nummos, cujus inſcriptio, *Manum ſuam aperuit inopi.*

Adeſſet Walpurgis cum ampulla olei in clypeo, cui ſubſcriptum, *Ægri ſurgunt ſani.*

Monſtraret Catharina Roſam, cum lemmate, Mens immota manet.

Adferret Urſula ſagittas involutas roſis & liliis, quibus ſubſcriptum, Paraverunt ſagittas ſuas.

Prodiret demum ultima Chunegundis, ac monſtraret Imperiale vexillum, cui inſcriptum in corde aquilæ, *In me omnia*; ac ſi inſinuare vellet & dicere, quod in his omnibus ſuſpexiſtis, in me habetis in compendio.

Nam ut innocens Agnes à teneris annis ſecuta ſum Agnum, *qui paſcitur inter lilia.*

Velut turris inconcuſſa ſteti & ego inter cunctas adverſitates ut Barbara.

Inſtar Salamandræ & ego cum Lucia inter ignitas vomeres ſteti, & flamma non nocuit mihi.

Inſtar Dalphinæ & meus Thorus fuit immaculatus, ſimilis proindè olori, cui lemma ponitur, Tangor non tingor.

Exemplo Roſaliæ & ego *Regnum mundi & omnem ornatum ſæculi contempſi.*

Æquè ac Helena Templa Deo erexi, ac ad offertorium unà cum particula ſanctiſſimæ crucis me ipſam ſupremo Numini obtuli.

Non aliter ac Eliſabetha Hungariæ Regina aperui & manum pauperi, & *palmas meas extendi ad pauperem.*

Inſtar

Instar Lusitaniæ Reginæ Isabellæ & me virulentus Basiliscus afflare tentavit, sed Innocentiæ meæ objecto speculo, suo exitio est disruptus.

Æquè ut Walpurgis Tumulus & meum Sepulchrum est gloriosum, centenis miraculis coruscans.

Eodem oculo ut Catharina Rotam felicitatis humanæ suspexi, ac mens mea immota stetit.

Æquè demum ac Ursula Sagittas & ignea Tela nequissimi superavi, ac in Triumphum Cupidinem duxi. Manet ergo

In me omnia.

Quod enim dispersum in aliis, in Me ubere cornucopia est collectum.

Virgines fuêre, & ego.
Maritatæ extitêre, & ego.
Viduæ mansêre, & ego.
Claustra subiêre, & ego.
Martyres fuêre, & ego.

Videor mihi audire in Secreto nonnullos mussitantes, Martyrem dixisti Chunegundem, quomodo probas?

Rectè monetis; quod dixi, Dixi; nec unum Jota revoco, sed repeto

Chunegundis est Martyr,

& quidem triplex: jam intendite; sub tribus Tyrannis passa est Chunegundis: Primus telis & sagittis eam est aggressus, facesque ardentes lateri innocenti admovit.

Alter æquè crudelis in equuleo eam miserè torsit.

Tertius post quindecennalem carcerem tandem eam in crucem egit, sub quo gloriosè vitam finiit, quis ergo Chunegundem Martyrem neget? explico nunc Mysterium.

Primus igitur Tyrannus extitit pharetratus Cupido, Tyrannus quidem parvus, sed facibus suis ac telis oppidò infestus & molestus, *nec est qui se abscondat à calore ejus*; Carnifex crudelis, vinculis torquens non manufactis, vulnerans corda insontûm, sæviens in membra & corpora etiam Sanctorum: Tyrannus nulli parcens, qui Bernardo Teste *impuberes stimulat, Juvenes inflammat, Viros enervat, Senes decrepitos fatigat*, qui non aspernatur Tuguria, non reveretur Palatia: Unde concludit, Castitas ergo in Juventute, Parcitas in Ubertate, Largitas in Paupertate Martyrium est sine sanguine: Martyrium grave, quod sine intermissione innocentes animas torquet.

Agnovit id optimè S. Augustinus, Serm. 46. de SS. ita scribens: *Nemo dicat, Fratres Charissimi, quod temporibus nostris Martyrum certamina esse non possunt, habet enim & pax nostra Martyres suos, nam carnem afflixisse, libidinem superasse, de mundo triumphasse pars magna martyrii est.*

Hinc aptissimè in rem nostram ait S. Chrysostomus Orat. de S. Barlam Martyre: Persecutionis quidem tempus non est, at Martyrii est tempus; non persequuntur homines, at persequuntur Dæmones; non vexat Tyrannus, at vexat Diabolus, vexat caro Tyrannorum sævissimus; non objectas prunas conspicis, at cupiditatis flammam accensam in te conspicis:

hæc ille; Unde Chunegundi quotidie ante, & in Matrimonio dimicanti, hostiumq; tela & faces generosè propulsanti meritò verba illa, quæ B. Laurentius Justinianus generoso pugili Hieronymo attribuit, adscribere possum ac dicere, Chunegundis sine sanguinis effusione gloriosi Martyris Triumphum obtinuit, quod enim Carnificis mucrone non pertulit, hoc in se ipsa Castitatis amore complevit: nam Teste Bethlemitano Doctore in vita Paulæ, non sola effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius: hinc Martyrum illa corona de rosis & violis plectitur, hæc de liliis. Et hæc de primo Tyranno.

Calumnia & Suspicio alterum Tyrannum egêre, ac Chunegundem in equuleo ac catasta dirum in modum torquentes, ignibus tandem cruciandam subjecêre.

Res sic est acta.

Chunegundis nobilissimo sanguine prognata, utpote Sigefridi Palatini Rheni & Mosellæ Principe, in omni virtute & innocentia educata, Henrico II. Imperatori cœlo Hymenæum benedicente in matrimonium est tradita: Vixêre in hoc matrimonio bini Conjuges, velut terrestres Angeli, utpote semper illibatæ Virgines per plura lustra, donec Dæmon sanctissimo huic connubio invidens superseminavit zizania, specie generosi Militis per diversa spatia sese repræsentans, quem cum aliquoties Aulici manè è cubiculo Imperatricis prodeuntem oculo livido observassent, rem tandem ad Imperatorem detulêre, plurimùm nitri addentes.

Henricus perpensâ delatione, animum zelotipiâ & suspicione amaricatum diu quidem pressit; At cum ad Majestatem Imperatoriam conservandam non videretur esse conveniens facinus silentio tegere, tandem secretò advocatam Chunegundem ardentibus oculis sic est affatus: Quid frustra conaris te castam dicere, cum opera reclament, homines decipere potes, sed non omnipotentis oculum; recede, jam non es mea.

Non sic tonitru consternat Mortales, ut hæc verba Chunegundem: Verbum effari non poterat, præ magnitudine calumniæ, ubi tamen paulò pòst ad se rediit, pernegat illa admissum crimen, sed non auditur; innocentiam suam allegat; at aures occlusas habet Cæsar: invocat in Testem numen; ventis quæritur; vim lacrimarum addit, sed omnia in cassum; unde eò devenit, ut si innocentiam probare vellet, id fieret judicio ignitorum vomerum.

O Deus! tu scis, quis cruciatus fuerit cordis, quæ angustiæ innocentis pectoris, quæ lancinatio mentis? Zelotipiâ & suspicione plenum cernebat Cæsarem, Aulam videbat titubantem & suspensam: acceptare conditionem, non erat aliud, quàm Deum tentare, rejicere illam & detestari, nil erat, nisi nocentem se declarare: postquam

quam igitur exemplo Saræ ſecretiùs Aulæ cubiculum eſt ingreſſa, cum lacrimis & jejunio tota nocte illâ deprecata eſt Dominum, ut ab iſto improperio liberaret eam: manè facto innocentiæ ſuæ confiſa ac conſolitatione altiſſimi roborata, tota imperterrita, iterum Cæſarem accedit, ac fatetur, ſe promptam judicio ignitorum vomerum culpam diluere: extruitur proinde ferale pegma, confluit populus, accenditur rogus, injiciuntur vomeres, egreditur Aula ad lamentabile ſpectaculum, Cæſar de feneſtra exitum præſtolatur: procedit ad rogum Chunegundis velut ovis ad occiſionem ducta: quis luctam cordis, quis angorem animi ſufficienter deſcribet?

Candentes interim vomeres ex rogo ferreis forcipibus hinc inde rectâ viâ collocantur, per quos innocenti Chunegundi transeundum, tum illa flens ac cum innocente Suſanna ſuſpiciens in cœlum ita eſt fata:

Domine Deus Creator cœli & terræ, qui probas renes & corda, judica judicium meum, & eripe me: Teſtem te hodie & Judicem invoco, quod neque hunc Henricum præſentem, neq; quemvis alium Virum carnali conſvetudine cognoverim; quod ſi adultera ſum, Deum oro, ut candenti hoc ferro ita comburas, ut punitæ pudicitiæ conjugalis aliis mulieribus præſentiſſimum ſim exemplum.

His dictis, denudatis pedibus, lacrimante omni populo, caſtiſſimis plantis per quindecim paſſus, candentes vomeres ſine ulla læſione calcavit, ſtupente aula, applaudente populo.

Jam dicite AA. utrum Chunegundem aſſerere Martyrem ſit vetitum & nefas? an neſcitis effatum S. Gregorii Magni: *Mori à perſequente martyrium in aperto opere eſt, ferre vero contumelias, & odientem diligere, martyrium eſt in occultâ cogitatione*: num vos latet dictum Chryſoſtomi hom. 25. ad pop. non enim in ligno ſuſpendi ſolùm, in equuleo torqueri hoc Martyrem facit, nam ſi ſic eſſet, extra coronatos tales Job poneretur, nec enim ante tribunal Judicis fuit conſtitutus, non vidit Carnificem, nec ſuſpenſus in ligno, attamen multis Martyribus graviora paſſus eſt, cur ergo non dignus Martyri comparari?

Plurima quidem tormenta paſſi ſunt Martyres, ut Paulus memorat 11. cap. Heb. dum ait, *diſtenti ſunt, lapidati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt*, at ubi paſſi? ubi cruciati? in corpore in membris: econtra Chunegundis paſſa eſt in mente, in anima, & cum animi fortuna omni exceptione ſit major corporis, quidni dicamus graviſſima tormenta pertuliſſe Chunegundem?

Secti ſunt Martyres cum Iſaia, grande tormentum? at qualis cruciatus, ubi duo corda amiciſſimè unita ſubitò rumpuntur? Separatio dura?

Lapidati ſunt cum Stephano Martyres plures, grande martyrium? at D. Athanaſio teſte *ictus calumniæ gravius quàm lapides feriunt.*

Telis confixus eſt Sebaſtianus: grandis

dis dolor? at Nazianzeno attestante aciores habet dolorum aculeos contumelia; penetrant pectus, lacerant mentem, tenebrant cor, ac mentem disrumpunt.

Mortui sunt in occisione gladii, mors formidanda! at teste Thearida *acutus gladius, sed acutior calumnia.*

Cutis detracta est Bartholomæo; grandis carnificina! at ubi pallium diripitur, & vestis innocentiæ, plus dolet Sponsa. Ardentes vomeres quidem non sentit Chunegundis in corpore, at animum gravissimè urebat atrox impacta calumnia. Eja ergo AA. recognoscite & in calumniis æquanimiter perferendis Chunegundem extitisse Martyrem.

Tyrannus tertius extitit amor divinus, qui Chunegundem in carcerem adulterii detrusit, ac triplici catenâ votorum amorosè constrinxit; nunc percipite, quàm generosè in hoc carcere gesserit se Chunegundis.

Mortuo Imperatore Henrico, & ad cœli gaudia translato, per anni curriculum vidua permansit, in oratione, in vigiliis, in Elemosinis, aliisq; charitatis obsequiis Deo famulans: anno igitur sic transacto, jam Conrado Imperatore in Defuncti locum electo, Ipsa ad dedicationem Ecclesiæ Confugiensis à se extructæ & dotatæ Archiepiscopos cum Episcopis convocat, ac ubi comparuêre, inter Missarum Solemnia, Imperiali cultu ornata ad offertorium stipante eam toto Gynecæo versus Altare majus processit, ac templo partem de Dominica cruce auro inclusam ac gemmis ornatam pro dono obtulit; Tum Augustali coronâ depositâ, regalem purpuram exuens, armillas, annulos moniliaq; deponens, tunicam fuscam, quam ipsa manibus suis operata fuerat, unà cum velo benedicto induit, crinibus prius ab Episcopo celebrante, inter lacrimas Gynecæi resecante, cantante interim choro Virginum: Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu. Quindecim ipsos annos in religioso hoc carcere Monialium Confugiensium certavit Chunegundis, omnium quasi famula; operabatur manibus suis, orabat, psallebat, prima in Choro, postrema exteo, Lectioni Sacræ semper intenta: Visitabat ægras, compatiebatur eis: Lectus ejus non plumis, sed cilicio erat stratus; potus fontana, cibus jejunium & abstinentia, quâ austeritate vitæ, tenerum corpus viribus exhaustum sensim defecit, & cum ingravescente morbo, ultima instarent momenta, jamq; vestes Regales pro ea induenda, aureas telas ac velamina pro exequiis adornari cerneret, pallentes oculos attollens intermortuis vocibus exclamavit: *Amictus iste non est meus, aufer te hinc, Ornatus hic alienus est, bis terreno Sponso, istis cœlesti copulata sum:* Nuda de utero Matris meæ egressa sum, nuda revertar, his vilem miseram carnis materiam involvite, & corpusculum meum juxta tumulum fratris mei ac Domini Henrici in proprio loculo reponite: An non videtis Henricum puritatis

tatis meę custodem me ad consortium Æternitatis invitantem? Abeo, abeo, vos meum corpusculum castissimis ejus exuviis sociate: His dictis placidissimè in manus Dei spiritum purissimum consignavit, ac martyrio diuturno finem fecit, bis nupta, perennis tamen Virgo, innocentia & animi demissione nulli secunda, prodigiis & virtutibus illustris, cujus virtutem & gloriam omnis posteritas decantabit, cujus præconia & certamina mortales celebrabunt in terris, cœlites extollent in astris.

An non ergo Chunegundis longum & diuturnum duxit martyrium, per tria lustra Christo confixa cruci: qui tormenta hujus carceris & martyrii non capit, audiat quid mellifluus Bernard. Ser. 1. de Omnibus Sanctis in rem hanc decidat dicens: *Religio crux est diuturna & perpetua, in qua Religioso non per dies paucos aut menses, sed annos plurimos, imò per omnem vitam hærendum, martyrium horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.*

Addit Cæsarius Cisterz. l. 8. cap. 19. Crux Monachorum rigor ordinis est, qui crucifigunt quotidie carnem cum concupiscentiis suis: Tres vero clavi, quibus corpus Monachi cruci debet esse affixum, tres sunt virtutes, per quas, teste Hieronymo, Martyres efficiuntur, scilicet obedientia, patientia, humilitas: Manum Monachi dextram configat obedientia sine murmuratione, clavum obedientiæ impellat amor supernæ libertatis, clavum patientiæ, timor pœnæ gehennalis, pedes vero illius vera humilitas configat.

Euge Chunegundis vive! & in cœlis æternum triumpha, felici sorte nuptam te bis vidit mundus, dum semel Regi terreno, alterâ vice Imperatori cœli & terræ es desponsata, semper tamen intacta Virgo, quæ virginitatis decus cum laurea martyrii conjunxisti, tribus coronis meritò coronanda: prima ex rosis & liliis flectenda, debetur virginali integritati tuæ; Alteram ex gemmis & intertextis Margaritis promerita est generosa tua patientia in perferenda adversitate & calumnia; Tertia tibi justissimo ex titulo debetur ex stellis, ob mundum triumphatum, dignum utique caput stellis coronari, quod ob amorem Domini Jesu sceptrum & imperialem coronam magnanimitate inauditâ abjecit.

Habetis ergo AA. in Chunegunde intactam Virginem, imitamini eam vos Adolescentulæ & Virgines.

Habetis in Chunegunde castissimam Conjugem; imitamini eam vos maritatæ, sitq; & vester thorus imaculatus.

Habetis in Chunegunde Deo dicatam Virginem & Martyrem, quæ regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsit; imitatores ejus estote & vos sacræ Virgines, Deo consecrata templa & habitacula.

Habet denique Bamberga in Chunegunde Patronam gloriosissimam, æternis laudibus ab universo populo celebrandam.

Vivat ergo Henric9 & Chunegundis, ac in æternum in cœlis triumphent.

IN FESTO S. JOSEPHI.



Non eſt inventus ſimilis illi, Eccleſiaſtici. c. 44.

MOs erat antiquus, Imperatoribus, Regibus ac Principibus uſitatus, dum Regna adirent, coronas reciperent, Reginæ cuipiam deſponſarentur, aut victricibus aquilis triumphabundi de hoſte redirent, aurea & argentea numiſmata in applaudentem populum gratioſo nimbo ſpargere.

Ita Conſtantinus Magnus devicto Maxentio & Licinio Imperii perduellibus, (a) numiſma cudi juſſit aureum victoriæ relatæ perpetuum monumentum: Ex una parte cernebatur laureata effigies Conſtantini, ex altera erat labarum crucis, in labaro 3. orbes, ſupra verò victorioſum Chriſti nomen ☧: infra ad ſtipitem

(a) *Jacobus Gretſerus Tom. 3. de S. Cruce l. 1. cap. 5.*

tem crucis, jacebat in ſpiram ſeſe volvens contritus ſerpens; Numiſmate hoc nil aliud denotare volebat pius Cæſar, niſi Victoriam Virtute Crucis partam, divictas 3. Orbis partes, hoſtium deniq; Maxentii & Licinii ſerpentina capita contrita, & contuſa.

Philippus Cæſar Aug. Arcam Noë impreſſit numiſmati aureo cum binis columbis; Imperium bellis undiq; velut diluvio quodam inundatum, à ſe ſe tandem priſtinæ ſerenitati reſtitutum indigitans.

Antoninus pius Numiſmati ſuo impreſſit Aquilam, Pavonem & Noctuam, Jovis, Junonis & Minervæ Symbola, ut oſtenderet Imperium minimè ſtare aut florere poſſe, niſi faventibus ſuperis.

Q. Cœcilius Metellus in latere numiſmatis uno, Elephantem & Ciconiam ſculpi fecit, ut ſignificaret, ſe fortitudine & pietate imperium defenſurum.

In alio Numiſmate Veſpaſianus Cæſar Fortunam effinxit dexterâ ſuâ Temonem Navis regentem, ſiniſtrâ verò Cornucopiam oſtendentem; innuere volens regna firmari Vigilantiâ & abundantiâ pacis.

Rex deniq; Aegipti Ptolomæus cum à Senatu Romano Tutorem pro impubere filio ſuo flagitaſſet, (a) miſſuſq; eſſet Alexandriam Metropolim Ægipti, Marcus Lepidus inde cuſum numiſma aureum, in cujus una facie fœmina cernebatur referens Urbem Alexandrinam, in altera Titulus extabat *Marcus Lepidus Pontifex Maximus, Tutor Regis.*

Triumphat hodie in cœlo, coronâ immortali redimitus glorioſus & Sanctiſſimus Joſephus, ſponſus Reginæ Cœli & terræ, de Tyranno Herode Victor, *Tutor Regis æterni:* Quodnam igitur in ejus gloriam & honorem cudemus numiſma? an Aquilam oculos in ſolem defigentem? an Leonem de Tribu Juda Cunas parvuli cuſtodientem? an infra Solem & Lunam, Stellam matutinam reſplendentem.

Melius, nobilius & accommodatius mihi non arridet ullum numiſma emblematicum, quàm illud aureum cuſũ in honorem Cardinalis Richelii Tutoris Regii Delphini, in quo Phœnix ex una parte in arbore ſuper ſtruem lignorum cernebatur, quem radii ſolis inflammabant: ex altera parte cum hoc addito Lemmate: *Nec eſt, nec erit, nec fuit alter.*

Meliori Jure ac juſtiore titulo hoc numiſma aureum Joſepho noſtro adaptabimus, utpote cui ſimilis nec fuit, nec erit, nec eſt, verè admirandus Phœnix in ſponſa; magis obſtupeſcendus Phœnix in Filio; glorioſiſſimus deniq; Phœnix in morte.

Delitcſcite proinde generoſæ Aquilæ, pennas demittite Manucodiatæ cœleſtes, ſilete ſacræ Alaudæ & Luſciniæ; pedes veſtros contegite oculati Pavones; dum de Phœnice hoc ſacro diſſero, dum Joſephum omnium

(a) *Valerius Max. lib. 6. c. 6.*

omnium Volatilium Cœli Regem extollo & veneror.

Phœnix est ergo Josephus (a) secundùm Tertullianum Avis de singularitate famosa: rara Avis in terra, cui æqualem à condito Orbe non reperit Deus, qui dignus existeret, ut sponsus foret Reginæ Cœli & terræ, vir secundùm cor Dei, cui ut servo fideli committeretur à Deo Secretum absconditum à sæculo.

Videtur mihi Electio Josephi in sponsum Virginis non absimilis fuisse Electioni Davidis in Regem 1. Reg. 16. Missus erat à Deo Propheta Samuel, qui unum ex filiis Isai Bethleemitæ ungeret in Regem Populi Israel: Oblati sunt? ei filii septem ordine, at cuicunq; volebat eorum manus imponere, mox audiebat, non hunc elegit Dominus, ne respicias vultum eorum, neq; altitudine staturæ, quoniam abjece eos, (b) *nec juxta intuitum hominum ego judico: homo enim videt ea, quæ parent Dominus autem intuetur cor.*

Donec tandem sors felix cecidit super Davidem filium Isai postremum & minimum Pastorem Ovium: Hic hic prætermissis cœteris omnibus unctus est in Christum Domini.

Ita videtur & mihi Omnipotens Deus hinc inde in orbem terræ misisse Angelos suos, ut inquirerent adjutorium simile Mariæ: lustrabant hi cunctos Angulos Judeæ, Palestinæ & Galileæ; scrutabantur corda singulorum, ponderabant pondere sanctuarii omnium merita & virtutes; sed omnes inventi sunt minùs habentes, solus Josephus dignus est inventus, qui esset fidelis servus & prudens, quem constituere parabat Dominus super familiam suam, Vir secundum cor Dei electus ex omnibus.

Prærogativa dignitatis hujus & excellentiæ abundè patebit, si penetremus mente, (c) quod S. Thomas expressit calamo dicens, *Tria sunt à Deo producta, quæ nequeunt fieri majora: Humanitas Christi, quia hypostaticè unita est verbo divino: Lumen gloriæ, quia terminatur ad objectum infinitum, denique esse Matrem Dei, quæ est dignitas ineffabilis æq; ac infinita.*

Exinde nunc argumentamini & colligite dignitatem Josephi, siquidem non potuit Deus ei dare majorem aut excellentiorem Sponsam (d) quàm Genitricem Dei: Unde benè exclamat D. Bonaventura: Ipsa est quâ majorem Deus facere non potest, (e) *majorem mundum facere potest Deus, majus Cœlum facere potest Deus, Majorem quàm Matrem Dei non potest facere Deus:* an non ergo meritò cum David exclamare potuit Joseph, (f) *nunquid parum vobis videtur Generum esse Regis?* cui Pater æternus, Rex omnium sæculorum

(a) *Tertul. lib. de resur. conc. de S. Josepho.* (b) *1. Reg 16. 7.* (c) *S. Thom. 1. p. q. 25. c. 6. ad 4.* (d) *In Spec. c. 8.* (e) *Item lib. 4. de Virg. serm. 3.* (f) *1. Reg. 18. 23.*

rum filiam suam in sponsam & conjugem assignavit.

O felicissimas tedas, dum Virgo Virgini jungitur! ò fausta sponsalitia cœlesti columbâ comprobataó ô Beatum Conjugium, cui æternus Pater benedixit! ò nuptias cœlestes, ad quas celebrandas Angelus Domini hortatur.

Sed amabò te ò Sacerrime Phœnix, qualis est dilecta tua, edissere nobis: respondentem pro Josepho (a) audio Claravallensem abbatem Bernardum *nec primam similem visa est, nec habere sequentem*: Si enim pulchritudinem ejus intueri velimus, Tota pulchra est, & macula non est in ea; pulchra ut Luna, electa ut Sol, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Si prosapiam quærimus; Regali ex progenje Maria exorta refulget: Si dignitatem investigemus; fatetur expressè Anselmus, (b) *nihil tibi o Domina æquale, nihil comparabile; omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te est: Solus Deus super te est, quod infra te est, omne id est, quod Deus non est.* Si fortitudinem ejus spectetis Turris est eburnea, (c) ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium. Si prudentiam? Virginem prudentissimam proclamant eam Angeli: Virgo prudentissima quo progrederis quasi aurora rutilans. Si divitias? de ea fatetur sapiens: (d) *multæ filiæ congregaverunt divitias, Tu supergressa es universas.* Si Sanctitatem desideretis? Secundùm Andream Cretens. (e) Maria est omnis Sanctitatis thesaurus. Si Dotem postuletis, Cœli & Terræ est Domina. Si deniq; vestitum ejus intueri vobis est cupido; amicta est Sole, (f) & Luna sub pedibus ejus, in capite ejus corona Stellarum 12. Verbo, formosior est Rachele, fortior Judithâ, amabilior Esthere, castior Susannâ.

O sponsam nobilem! ò pulchritudinem incomparabilem! ò divitias inexhaustas! ò dotem inauditam! ò amictum obstupescendum! Felix ac ter fortunatus es Joseph, cui Deus non ut olim Adamo terram excolendam, non ut Cherubino fores paradisi custodiendas; non ut Noe arcam gubernandam; non ut Salomoni, Templum extruendum commisit: Tibi enim ò Joseph concreditus est hortus ille conclusus voluptatis; hortus, in quo teste Jdiotâ (g) Deus Pater plantavit Lignum Vitæ, ad quem serpens aditum non invenit, ex quo fructus vitæ est decerptus: Traditus est tibi Ager, cui benedixit Dominus; concredita est tibi Porta Cœli, porta misericordiæ, porta salutis: Commissa est tibi Arca, Noe latior, longior, illustrior, ut ait Hesichius. (h) Templum deniq; tibi traditum non Salomonis, sed Templum, in quo ipse altissimus habitare

(a) *S. Bern. serm. 4. de assumpt.* (b) *S. Ansel. de Excel. B. M. V. c. 24.* (c) *Cant. 4.* (d) *Proverb. 31.* (e) *Andr. Cretens. orat. 2. de Deip.* (f) *Apoc. 12.* (g) *Idiota part. 14. contemp. 40.* (h) *Hesich. hom. de Deip.*

tare elegit, Templum à Spiritu S. consecratum, Templum pacis, in quo (a) osculata est Divinitas humanitatem, in quo obviaverunt sibi misericordia & veritas, ac amplexatæ sunt se invicem pax & justitia, Templum (b) Dei vivum nemini claudens gremium pietatis, uti Mariam vocat Mauritius à Villa prob.

Sciebat eminentissimas has prærogativas gloriosus sponsus, unde ex intima demissione cum Centurione dicebat, Domina non sum dignus, ut intres sub tectum meum, aut cum Petro iterabat: exi à me Domina, nam homo peccator sum, uti refert Origenes (c) dimittam eam, major est enim ejus dignitas, superexcellit ejus Sanctitas, nec meæ congruit indignitati: Exi à me Domina, quia homo peccator sum.

O admiranda sublimitas tua Joseph, O dignitas incomparabilis; Dum Mater Dei Regina Cœli & Domina Mundi appellare te Dominum non indignum putavit, exclamat Gerson serm. de Nat. Virg. An non ergo jure meritissimo in sponsa sua Josephum nuncupem Phœnicem singularitate famosum.

Fortunatior adhuc Phœnix extitit Josephus in Filio: cui enim mortalium Pater æternus; qui olim Isaiæ cap. 42. juraverat, *gloriam meam alteri non dabo*, tantum honoris & excellentiæ tribuit, ut cum eo gloriosum Titulum Paternitatis divideret? potestatem insuper daret, ut unigenito Filio suo nomen imponeret, (d) ac diceret, filius meus es tu.

Cui mortalium concessum, ut Is, qui (e) terram tribus digitis appendit, qui (f) mare clausit ostjis, cui (g) mare & venti obediunt, eousq; se demitteret, (h) ac obediret voci hominis, (i) majorq; serviret minori?

Ubi auditum à sæculo, ut Is, qui fabricavit auroram & solem, Fabro foret subditus, ac diceret Pater fiat voluntas tua? Cui unquam datum est Privilegium sacrum, ut divinus ille Spiritus Virginem obumbrans, dignitatem sponsi cum altero partiretur?

Obvelant pennis faciem suam Angeli, excellentias has Josephi demirantes, ac dicunt, quis est hic, cui non mare & venti, sed maris ac terræ Dominus obedit? Nobis quidem (ajunt) concredita est custodia hominum, at hic constitutus est Custos Unigeniti filii æterni Patris: præsumus quidem Regnis, Imperiis ac Provinciis, at hunc (k) *constituit Dominus Dominum domus suæ & principem omnis possessionis suæ.* Semel cibavimus esurientem in deserto, at hic enutrivit eum per lustra plurima; esurienti escam, sitienti potum subministrans: applausimus quidem Christo cantibus

(a) *Alb. M. in Bibl. Mariana sup. lib. 3. Reg.* (b) *Serm. 26. Coronæ aureæ.* (c) *Origenes Hom. 1. de diversis.* (d) *Math. c. 1.* (e) *Isai. 40. 12.* (f) *Job. 38. 8.* (g) *Matt. 8. 27. Marc. 4. 41.* (h) *Ps. 73. 16.* (i) *Luc. 2. 51.* (k) *Gen. 41. 40. Ps. 104. 21.*

bus & melodiis in Nativitate; hic in cunis posito ac vagienti millies applausit ac amabili odâ arrisit, hic hic gressus titubantem formare docuit, balbutienti verba insusurravit; Angelis major, Phœnix sacer choros nostros cœlestes longè prætervolans.

Abite nunc vani & mendaces tituli, quo Persarum Rex Sapor se fratrem Solis & Lunæ ac participem siderum vocari voluit; evanescite vanitatum fumi, quo Alexander Magnus se filium Jovis; quo Solymannus se regem regum & dominum dominantium; quo Rex Bisnagar se Dominum Orientis & Occidentis; quo Syriæ demum Soldanus se montium auri & gemmarum Regem proclamari jussit.

Omnes hos titulos multis parasangis excedit dignitas Josephi, dum sponsus (a) Mariæ Nutricius & Pater Christi nominatur. Hinc meritò (b) Richardus de S. Victore exclamat, *Deum habere hominem Patrem, humilitas est incomparabilis: hominem habere filium Dei subditum, sublimitas ineffabilis & inæstimabilis.*

Magnus quidem extitit Petrus cui agnos (c) suos pascendos commisit Dominus: at major extitit Josephus, cui concreditus est agnus ille pascendus, qui tollit peccata mundi. (d)

Admirandus fuit Josue, qui currentem solem stitit, (e) *obediente domino voci hominis*, magis tamen obstupescendus Joseph, dum Sol & Luna, luminaria illa magna JESUS & MARIA ad vocem Joseph steterunt in custodiis suis, & dixerunt adsumus.

Beatus extitit senex ille Simeon, (f) dum in ulnis portare meruit Salvatorem sæculi: Fortunatus Joannes, (g) qui supra pectus Domini in cœna recubuit; at fortunatior his fuit Joseph, qui toties inter brachia, inter felicia oscula, inter suaves amplexus, ad pectus strinxit Dei filium.

Felicior Moyse, ut qui non quadraginta solùm diebus, (h) sed annis 30. vixit in consortio Dei: beatior Regibus & Patriarchis, (i) qui votis omnibus desiderabant videre & audire, quod Joseph vidit & audivit, & mannus ejus contrectaverunt Verbum nimirum vitæ.

Felix quidem fuit Joseph ille Veteris Testamenti, (k) cujus colla Aegypti Rex Pharao torquem circumposuit auream, tulitq; annullum de manu sua & dedit eum in manu ejus: beatior multò Joseph noster, cujus brachiis pependit sæculi pretium: cui traditus à Deo annulus (uti Beatam Virginem nominat (l) Bernardinus de Bustis) cui inclusa Margarita pretiosa orbis terrarum, uti Mariam vocat S. Cyrillus Alexandrinus hom. 6. in Epist. ad Ephes.

(a) *Luc. 2. 45.* (b) *Richard. de S. Vict. apud Albericum Conc de S. Josepho.* (c) *Joan. 21. 15. 16. 17.* (d) *Joan. 1. 29.* (e) *Josue. 10. 14.* (f) *Luc 2. 28.* (g) *Joan. 13. 2. 5. 21. 20.* (h) *Exod. 34. 28.* (i) *Luc. 10. 24.* (k) *Gen. 41. 42.* (l) *Bernardin. de Bust. Serm. 1. de Despons.*

O fortunata Josephi Brachia! O felices oculos, O faciem benedictam! O manus beatas! O sinum gloriosum, super quem, & in quo toties suaviter requiescebat sapientia æterna, O quàm verum est, quod de te Patriarcha Sanctissime canit Ecclesia Dei, (a)

Post mortem reliquos mors pia consecrat
Palmamq; emeritos gloria suscipit.
Tu vivens superis par frueris Deo
Mira sorte beatior.

Phœnix deniq; gloriosus in morte extitit Josephus. Referunt Naturæ Interpretes de Phœnice, eum dum approximare sentit ultima vitæ suæ momenta, nidum sibi construere, ex myrrha, cassia, Cinnamomo, alijsq; aromaticis lignis, ac vi radiorum solis, accensam subintrare hanc pyram, sicq; inter ardores & suaveolentes flammas in cineres abire.

Non absimili morte in cinerem abiit Josephus noster: cum enim juxta historiam Orientalem, Cedrenum, Petrum Mor, ac doctissimum Augustinum Paoleti (b) ad annum 69. pervenisset, deficientibus præ senio viribus, tandem ad commune sepulchrum tendere cœpisse: correptus igitur inusitato languore, corpus super paupere strato reclinare cœpit, ad unum latus sanctissima sponsa, ad alterum stabat altissimi filius, quos languidâ voce sic est affatus.

En ego deficio, ô Veneranda " Sponsa, in extremis labris, reliquias " vitæ meæ persentisco, propero ad " vitam alteram: ah parcite lacrymis " & singultibus, dum anima mea " vincula rumpit: recipite interea & " audite ultimam meam dispositio- " nem ac testamentum.

Non alias vobis relinquo divi- " tias præterquam paupertatem: " Thesaurus, quem tibi consigno, Vir- " go imaculata, Dilectus est filius " tuus: divitiæ, quas tibi relinquo Fi- " li, est observatio Matris tuæ: sup- " pellex, cujus hæredes Vos consti- " tuo, sunt Ligna, Clavi, Dolabræ, " mallei, secures, spongiæ, serræ, " chordæ ac terebræ: Hæ fuerunt " exercitii mei domestici quotidiana " instrumenta; At propheticis ocu- " lis video & vaticinor hanc totam " suppellectilem & instrumenta ad " passionem filii mei aliquando ad- " hibenda.

Ligna crucem formabunt, clavi " & mallei pedes & manus terebra- " bunt, securi Crux succidetur ac de " dolabitur: Chordæ migrabunt in " funes, Spongia præbebit acetum, " serra dividet tandem animam Ma- " tris & Filii.

Hæc ubi finiit, ait: En ego hinc " abeo viam universæ carnis, con- " tentus quod te viderim Fili mi: "

Mortem

(a) *Eccles. in hymn.* (b) *Serm. 6. de S. Josepho.*

Mortem non timeo, quia tu me-" cum es. Claudimini nunc oculi" mei, ac somnum beatorum capite, " (a) *in pace in id ipsum dormiam &* " *requiescam.*

His dictis in nidulo suo meritis plenus, Christo Sole praesente, Mariae Luna adstante ac calore suo animam ejus accendentibus conflagravit tandem Sacer hic Phoenix juxta illud Jobi (b) *in nidulo meo moriar, & sicut Phoenix multiplicabo dies meos*, uti vertunt Beda, Tertullianus & Epiphanius.

O nimis felix, nimis ô beatus,
Cujus extremam Vigiles ad horam
Christus & Virgo simul adstiterunt
Ore sereno.

Nunquam ulla mors suavior morte Josephi, cui Christus & Maria moribundos occlusêre oculos: Cujus exequiis parentarunt aeterni Patris filius ac sponsa Spiritus Sancti; qui eundem tumulum in Valle Josaphat nactus, in quem postea & Mater Christi est reposita.

Felicissimus Phoenix, qui non ut columba Noetica ramum Olivae, (c) sed Virgam miraculosè germinantem in testimonium reconciliationis divinae, ac mox secuturae Redemptionis Patribus in Limbo detentis attulit: Fortunatus Phoenix, qui cum surgente Christo resurrexit, ac postea Christo ascendente, corpore & animâ in coelos gloriosè est assumptus, teste Bernardino Senensi (d) supra cujus verticem, dum haec Paduae concionaretur, crux aurea apparuit.

Jam vos interrogo Auditores: dicite, an non Phoenix sit Josephus, qui Conjugem habuit, quae Virgo ante, in, & post partum permansit, qui filium habuit, cujus non erat Pater, qui nutrivit eum, qui nutrit omnia? an non Phoenix rarus Josephus, qui inter filii Dei brachia, inter Matris ac sponsae solatia, inter choros Angelorum supremum exhalavit spiritum, cui ipse Dei Filius moribundos occlusit oculos, ac mortualem pompam ad tumbam est insecutus? ultimum & supremum honorem Patri tribuens, Filius obediens usq; ad mortem.

Vive ergo millies Phoenix gloriose, non est, qui similis sit tui, unus es & secundum non habes: Cedit tibi cum Abrahamo palmam totus Venerabilis Patriarcharum Chorus; Cedunt tibi coelestem praecedentiam cuncti Prophetae, te colunt Apostoli & Discipuli Domini, te velut Phoenicem rarum venerantur cuncti coeli cives

(a) *Psal. 4.* (b) *Job. 29. 18.* (c) *Gen. 8. 11.* (d) *Bernardinus Senens. citatus à Carthagena l. 4. hom. 3. de morte S. Josephi. Benignus Kibler in Josephino c. 5. fructu 2. Salianus ad annum. 4066. Bernardinus Bustis serm. 12. de Desponsat B. V.*

li cives, exclamantes cum Seraphinis, (a) *non est inventus similis illi.*

O gloriosissime Patriarcha! O ardentissime Phœnix! O Sancte inter cœli cives Beatissime, qui tot gloriis, tot gratiis, tot privilegiis, tot prærogativis, tot benedictionibus ab Altissimo es dotatus & circumventu.

Leva in circuitu oculos tuos ac vide, (b) omnes isti congregati sunt & venerunt de longè, ad benedicendum nomini sancto tuo; omnes unanimi voce gratulantur tibi felicitatem immensæ gloriæ tuæ, ad quam te Altissimus evexit & sublimavit.

Suscipe igitur preces nostras, quas demisissimâ mente ad te effundimus, aspice in terram prostratos ac in Cœlum levantes manus & brachia, Vide lacrymas, audi gemitus & suspiria, percipe clamorem nostrum, sub tuum præsidium confugimus, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris.

Tu es enim ille, (c) qui sæviente crudeli gladio Herodis in Bethlehem noctu, monitu Angeli fugiens, Matrem & Filium in tuta Aegypti, elusâ regis irâ transtulisti.

Tu es ille, de quo memorat Cæsar Recupitus, (d) qui, cùm totus arderet Vesuvius, ac igneos torrentes latè per viciniam spargeret; ad humiles preces afflictissimæ Camillæ, inquilinæ civitatis Herculani, incendia fugientis ac derelictum domi innocentem suum parvulum tibi commendantis, securo tramite, per ignes & incendia miraculo inaudito traduxisti, ac Matri salvum & incolumem in manus consignasti.

O Sanctissime Joseph oculos tuos obsecro ad patriam nostram miseram & derelictam converte; vide & considera afflictionem ac exterminium nostrum: ardet undiq; bellis Europa, ubiq; bellona classicum canit; fremit ubiq; mars truculentus, ac in omnes partes innoxio cruore stillantem vibrat acinacem: in cineres & acervos lapicum subsidunt Urbes, flammis absumuntur villæ & pagi, ignivomis globis munitissimæ deijciuntur arces, expilantur & de honestantur Deo dicata templa, violantur Matronæ & Virgines, in exilium pelluntur integræ familiæ facultatibus suis priùs spoliatæ; trucidantur insontes, nescientes causam, cur mori cogantur.

Nunquid Sanctissime Patriarcha oculis siccis grandia hæc mala & miserias intueri vales? nunquid Patrone gloriosissime, cor tibi est, adamantinum, ut populum sub tuum præsidium confugientem deseras ac derelinquas? absit hoc à te, de quo (e) Theresa ancilla tua humillima dixit, Aures tuas benedictas ad omnes necessitates mortalium momento esse apertas.

Age ergo & benignissima illa voce nos

(a) *Eccl 44. 20.* (b) *Isaiæ c. 40* (c) *Matt. 2. 13. 14.* (d) *Cæsar Recup. de incendio Vesuviano.* (e) *S. Theres.*

ce nos ſolare, quâ Prorex Aegypti Joſeph Fratres ſuos in ultimis anguſtiis poſitos, & præſentem mortem metuentes eſt conſolatus; cum enim videret lacrymas, & audiret gemitus ac ſingultus eorum, ulterius ſe continere non potuit, viſcera quippè ejus commota erant, ſed verbis illis pacificis fletu intermixtis ſic eos eſt allocutus: (a) *Ego ſum Joſeph Frater veſter, nolite pavere:* Sonet & hæc vox tua in auribus noſtris ò Sanctiſſime Joſeph! audi obſecro ad genua tua proſtratos ſervos & clientes, ah commendamus tibi Templa & Lares, corpora & animas, omne deniq; quod poſſidemus: Tu ſcis quia iniquè inſurrexerunt in nos inimici noſtri, evaginaverunt gladium, intenderunt arcum dicentes: Euge devorabimus eos, qui non eſt, qui eripiat: eſto adjutor noſter in tempore tribulationis; Apprehende arma & ſcutum, & expugna impugnantes nos; gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur.

Si olim dilectum tuum filium Herodis acinaci, (b) ac morti jam deſtinatum mirabiliter ſubduxiſti; age & nos ab inſtanti ruina & excidio erue, libera nos à duabus caudis titionum fumigantium: Leva manus tuas in ſuperbias eorum, diſſipa gentes, quæ bella volunt, confringe potentias eorum, ſcutum, gladium & bellum, confundantur & pereant ſicut cera, quæ fluit à facie ignis.

Habete fiduciam, non averſabitur Joſeph Clientes ſuos, non derelinquet ſperantes in ſe: (c) non derelinquet Joſephum Joſephus, donec offerat illi ſceptrum regni & potentiam adverſus eos, qui eum deprimebant, arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igne.

De affectu ejus paterno nullus hæſitet, nullus diffidat; Phœnix eſt glorioſus qui omnes ſub tegmine alarum ſuarum recipit, fovet & conſolatur.

Fugite proinde ociùs ad Joſephum Auditores, ſecuri ſub pennis ejus latitabitis.

Si tribulatio & perſecutio vos infeſtat, ite ad Joſeph, conſolator eſt afflictorum & oppreſſorum.

Si tentationes mentem veſtram arietant, ite ad Joſeph, nam & ipſe tentatus eſt per omnia; Vires is vobis ſuggeret, ad reſiſtendum cunctis ignitis telis Diaboli.

Si pericula vos involvunt, ite ad Joſeph, Ariadna fidelis erit, & ex omni periculorum labyrintho educet.

Si morbi & dolores vos moleſtant, Ite ad Joſeph; ipſe medicus erit, & dolores veſtros abſterget.

Si ærumnæ ac mala egeſtas vos urget & premit, Ite ad Joſeph, fideliſſimus eſt Oeconomus ſuper familiam ſuam, in omni neceſſitate ſubſidium.

Si Orcus minatur; Ite ad Joſeph, contrivit Maria caput ſerpentis, conteret & hic molas draconis.

Si deniq;

(a) *Gen. 45. 4* (b) *Matt. 2. 14.* (c) *Sap. c. 10.*

Si deniq; magnitudo & multitudo ſcelerum vos conſternat, ite ad Joſeph, vimpetrabit vobis Veniam.

Curre (inclamat cunctis peccatoribus) B. Iſolanus, *curre o Chriſtiane ad Joſeph, pervenies per eum ad Virginem, per Virginem ibis ad Jeſum, & ſi gratioſus fuiſti Joſepho, gratiam conſequèris à Jeſu & Maria.*

Claudo Sermonem, & cum Eccleſia exclamo: (a)

Te Joſeph celebrent agmina Cœlitum,
Te cuncti reſonent Chriſtiadum Chori,
Qui clarus meritis junctus es inclitæ
Caſto fœdere Virgini. Vivant in æternum. JOSEPH, JESUS & MARIA.

(a) *Eccleſ. in hym.*



IN

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. M. V.



Missus est Angelus Gabriel à Deo, Luc. I.

VArias Legationes hinc inde ad Imperatores, Reges, & Principes vidit & admiratus est Orbis:

(a) Luctuosa, tristis & lamentabilis extitit illa, dum Trojam Urbem Apuliæ obsideret Henricus Imperator, cuncta ferro & flamma vastaturus; (b) cujus ut conceptam iram sisterent obsessi Cives, Legationem adornârunt ex meris infantibus ac balbutientibus parvulis constantem;

K Eremitâ

(a) *Kibler p. 2. tracb. 1.* (b) *Adelzreitter in Annalib. Boicis.*

Eremitâ quodam crucem præferente, ac flebili tono *Kyrie eleyson* intonante, cui tota parvulorum turba, velut lamentabilis Echo respondebat; vox lamentanda ac aspectus miserandus Legatorum parvulorum ita cæsareum pectus emollivit, ut in uberes lacrimas solutus Imperator, obsidione mox solutâ toti pepercerit civitati: Legatio verè tristis & luctuosa!

(a) Legatio altera totam Europam obstupefecit, dum ab ultimis usque Finibus terræ Anno Domini 1582. Tres Japonum famosi Reges, Franciscus Rex Bungi, Filium suum Don Mancino Itò; Prothasius Rex Arimæ Don Michaelem Cingo, Bartholomæus denique Rex Omuræ Don Julianum Nacaura unà cum Patre Walsignano Visitatore Generali Societatis Jesu ad Gregorium 13. Pontificem Maximum Romam obedientiam sacræ Sedi Romanæ præstituros miserunt: appulerunt illi Romam anno 1585. 20. Martij post triennium, inter ingentia maris & tempestatum pericula exactum, cum ingenti apparatu & jubilo excipiente eos populo Romano: Felici itinere post visitatos varios Reges ac Principes Europæ redierunt iterum in Patriam 21. Julij anno 1590. octennio integro in itinere insumpto, mille periculis Oceani expositi: de quibus meritò illud psalmistæ dici poterat, (b) *qui descendunt mare in navibus, ipsi viderunt opera Dei & mirabilia ejus in profundo.*

Legatio tertia Majestate & gravitate plena erat, quam antiqua Roma (c) Livio teste ad Antiochum Epiphanem Regem Syriæ misit, ad deterrendum eum, ne bellum inferret Ptolomæo Regi Ægypti; quam Legationem auspicatus est M. Popilius Lænas, qui ubi in regiam & conspectum Antiochi est admissus, mox Scipione in circulum reducto Regi significavit, ex hoc circulo non exeundum, nisi ea, quæ pacis essent, sponderet.

Auditores! Tres & ego hodie vobis adduco Legationes; Luctuosam & flebilem Patrum in Limbi carcere detentorum: alteram cœlestium Spirituum deprecatoriam ac dissuasoriam: Tertiam Majestate divinâ plenam, demisso poplite nobis venerandam, pacis & reconciliationis nostræ nuntiam: Spectate, videte.

Sedebat per plura sæcula in Lymbi tenebris captivum genus humanum, sub jugo infernalis Pharaonis; magnis gemitibus novum Moysen desiderans, qui eos educeret ex Umbra mortis & captivitate hac durissima: Davidem novum inclamans, qui tartareum Gigantem quotidie insultantem & exprobrantem, fundâ cœlesti sterneret Danielem suscitari exoptans, qui infernalem Draconem objecto bolo neci daret: Clamor unus erat omnium, (d) *Rorate cœli*

(a) *Cornelius Hazard. in hist. Eccles.* (b) *Psal.* 106. 23. (c) *Livius.* (d) *Isaias* 45. 8.

cœli desuper, & nubes pluant Justum: (a) *utinam disrumperes cœlos & descenderes*, Salvator Israel.

Dum igitur lacrymis & suspiriis incessanter indulget Lymbus consurgit Propheta David ac exclamat: usque quò lugetis? (b) nunquid in æternum irascetur nobis Dominus? aut extendet iram suam à generatione ingenerationem? Eamus ad Dominum quoniam bonus & multæ misericordiæ, qnoniam ipse evellet (c) delaqueo pedes nostros; ipsè catenas nostras disrempet: bonus est & non est numerus misericordiæ ejus; quis scit si convertatur ab ira sua & misereatur nostri?

Placuít hic sermo in oculis omnium destinâruntque Legatos quatuor Abrahamum Patriarchæ, Isaiam Prophetæ, Reges Davidem, Sacerdotes denique Araonem flentes igitur dicebant, ite ad Dominum, (d) *exaudiat Dominus orationes vestras & reconcilietur vobis.* Dum igitur in Spiritu rapiuntut, cœloque appropinquant exclamat David, (e) aperite mihi portas Justitiæ & ingressus confitebor Domino.

Ad clamorem hunc mox Justitia divina evaginato gladio ad cœli atria progreditur, ac interrogat, qui vos estis? aut unde venistis? prostrati ante Justitiam, percusso pectore mœstos trahentes gemitus respondent; de terra longinqua venimus nos servi tui; de terra tenebrarum & umbra mortis. Institit Justitia, & quæ est petitio vestra? uno ore responderunt, (f) *Salvatorem exspectamus Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ*: (g) *ostende nobis Domine misericordiam tuam & salutare tuum da nobis:* ne reminiscaris delicta parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris; solve catenam colli nostri, resera portas cœlorum, & ingressi confitebimur Domino.

Replicavit fronte torvâ & minitabundâ Justitia divina dicens, recedite vasa iniquitatis, Viri sanguinum, Artifices idolorum, Viri polluti labiis: (h) *Hæc porta Domini, Justi intrabunt in eam*, cumque jam flammantem in eos stringeret acinacem, adfuit de repente & Misericordia ictum gladii excipiens; quæ blandis verbis eos consolata dixit, ite in pace, quia Dominus suscitabit super vos verbum bonum, & reducet vos de captivitate vestra, ego rogabo pro vobis.

(i) Facta est ergo Bernardo teste concertatio magna inter justitiam & misericordiam: provocavit igitur Misericordia ad Tribunal Dei, & sic exorsa est pro humano genere perorare.

Advolvor genibus Majestatis tuæ divinæ, inexhaustum bonitatis & misericordiæ tuæ abyssum imploratura. Mitissime Deus, cui proprium est semper misereri & parcere, respice in opus manuum tuarum: Tu es qui

(a) *Isa. 64. 1.* (b) *Psal. 84. 6.* (c) *Psal. 24. 15.* (d) *2. Machius. 5.* (e) *Psal. 117.* (f) *Philip. 3. 21.* (g) *Psal. 84. 8.* (h) *Psal. 117. 20.* (i) *Serm. de Annunt. B. M. V.*

qui creâsti hominem ex nihilo ad imaginem tuam; nunquid vo'untas tua est ut pereat? nunquid odisti aliquid eorum, quæ fecisti? lapsus est homo per peccatum in mortem; Tu vita es, vivifica eum; sedet miser in tenebris & in umbra mortis; Tu es lux mundi illuminans orbem, irradia tenebras mentis ejus: captivus tenebrosolymbi detinetur carcere; apud te pendent claves mortis & inferni; solve catenam colli ejus, educ de custodia confitentes tibi: reminiscere miserationum tuarum, quia venit tempus miserendi ejus; audi suspiria, percipe lamenta, attende lacrymas: non dicat inimicus prævalui adversus eum: si rigida semper tonet Justitia timendi te causas, non amandi argumenta, habebit homo.

Interrupit sermonem hunc Justitia, ac sic est exorsa:

Justissime Judex, videtur mihi hodiernâ die, non loquendum de minuenda, sed addenda pœna inobedienti terræ vermiculo: mitiùs actum est cum eo, ac merebatur; & quis ita effrons, ut peroret pro eo, qui non solùm non resipiscit, sed peccata peccatis accumulat: (a) *Justus es Domine & rectum judicium tuum*: Si justus es, fiat justitia & pereat mundus: Angelis purissimis spiritibus non pepercisti, & parcas impuro homini? uterque est læsæ majestatis reus; æquale est peccatum amborum; voluit ille similis esse altissimo; & hi affectârunt esse terreni Dij scientes bonum & malum; luant igitur æquali pœnâ, qui æquale scelus commiserunt.

Illi illi danda est venia, qui culpam agnoscit & deprecatur; non qui se in latebras abscondit & crimen, quod deflendum erat, audaci contumaciâ defendit, ac in ipsum Altissimum summâ inverecundiâ transfundere conatur: serò nimis quærit pœnitentiam homo; actum est, tum tempus erat cum vocatus ad te, Adam ubi es? si culpam ibi agnovisset & reatum suum, obtinuisset veniam; at bonus vir hic non comparuit. Nunquid Domine, qui dixisti, (b) *Ego Dominus & non mutor*, irritum facies judicium tuum? statutum est, morte moriatur; sic pereant omnes peccatores terræ.

Replicavit mox cum suspirio Misericordia: Scio, soror, peccata hominum ità gravia, ut nimiùm sit humano generi indultum; scio peccata eorum quotidie in immensum augeri: sed quid mirum: cœlo sunt proscripti, exules miseri, desideriis & concupiscentiis suis pessimis traditi, â gratia cœlesti deserti, errantes in inextricabili labyrintho, à quo eluctari non poterunt nisi divino brachio educantur: si novâ iterum gratiâ donarentur, si manus ipsis cœlestis porrigeretur, spes foret emendationis secuturæ, quod utique in laudem & summum honorem tuum cederet altissime.

Adde

(a) *Psal*, 118. 137. (b) *Malach*, 3. 6.

Adde quod non ex marmore aut ære ſint fuſi, ſed ex luto & cinere compacti, hinc ità fragiles ac naturâ infirmi exiſtunt.

Quod Angeli de cœlo deturbati ſenſerint rigorem juſtitiæ tuæ: factum benè; nam ſcienter & ex propria malitia tibi ſeſe appoſuerunt, plenè illuminati: at cœcus Adam ex ignorantia, ſeductus ab ipſis reprobis Angelis peccavit: Angeli puri erant Spiritus, Adam verò caro & fœnum: affectavit quidem Adam ſcientiam Dei, at ſuperbi illi Spiritus ipſam omnipotentiam invaſêre Altiſſimi: Angeli manſêre ſemper in peccato ſuo obſtinati & pertinaces; homo ſæpius de venia & gratia multis ſuſpiriis te ſollicitavit: Fiat igitur Juſtitia in Angelis, miſericordia verò cum homine; maneat decretum Dei inconcuſſum, moriatur homo corpore, & vivat animâ; ſi ſuperbè ambiit ſcientiam Dei, ſat luit ambitionem hanc ſtultam per tot centena ſæcula, in labore & ſudore vultus ſui, ejectus à facie tua, exul, vagus & errabundus in valle lacrymarum.

Moveor argumentis tuis, ô Soror, reſpondit Juſtitia; optimè peroraſti; miſeret & me infelicis hominis, contenta exiſto, modò ſatis fiat Juſtitiæ: at quænam obſecro tandem poterit excogitari reconciliationis forma? quis pro tot enormibus reſpondebit peccatis? quis ſatisfaciet? peccatum hominis malitiæ extitit infinitæ, exigit igitur & Juſtitia ſatisfactionem infinitam, quam nec ullus cœleſtis Spiritus, aut purus homo præſtare poterit: Circuite Jeruſalem, & quærite Virum, omnes declinaverunt, omnes inutiles facti ſunt, uſque ad unum.

Obſtupuêre cuncti, altumq; ſilentium factum eſt in cœlis, amaras interim lacrymas fundente miſericordiâ: Exurgens tandem Filius Dei de ſede majeſtatis ſuæ, ad æternum Patrem ait: Domine Ecce Ego, mitte me, (a) *nolo enim mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat*: Aſſumam naturam humanam, & occultabo divinam, ac moriens pro homine, qui morti deſtinatus erat, Juſtitiæ ſatisfaciam divinæ: Adam Deus fieri voluit, fiam ego homo: Adam aſcendere eſt conatus, ego deſcendam: Adam Deo fuit refractarius & inobediens, ego ero obediens Patri uſque ad mortem: Adam in ligno peccavit, ego in ligno pœnas exolvam: Adam voluit eſſe quaſi unus ex nobis, ego erò quaſi unus ex ipſis: Adam contraxit debitum infinitum, ego illud exolvam, ac chyrographum appendam Cruci.

Obſtupuêre reſponſum hoc Angelorum Chori, unde myſterium hoc non capientes, & ipſi legationem adornârunt.

Hierarchia prima ante cœleſtem Thronum ſe incurvando ſic eſt exorſa. Domine Dominus noſter quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum Cor tuum? Si originem ac naturam ejus ſpectes, terra

K 3

(a) *Ezech. c. 33. 11.*

terra eſt, & in cinerem revertetur: inconſtantiæ imago, umbra vanitatis, fortunæ ludus, morborum ſeminarium, theatrum calamitatis & miſeriæ, ſaccus ſtercorum, cibus vermium, ſperma fœtidum, cujus conceptio culpa, naſci pœna, labor vita, neceſſe mori: ad quid ergo naturam cogitas aſſumere humanam?

Reſpondit Chriſtus, cogitationes meæ non ſunt ſicut cogitationes veſtræ; amore totus langueo.

Auditis his comparuit Hierarchia altera ante thronum cœleſtem ſupplici genu provoluta dicens

Ah Domine, cur deſcendere paras in terram? homines ſunt marmore duriores, genus crudele; nil aliud quàm improperia, contumeliæ, flagra, ſpinæ & crux maledicta te exſpectat; exempla crudelitatis ediderunt in Prophetis, hos ſerrâ diviſerunt, illos lapidibus obruerunt, alios trucidarunt, hos incarcerârunt, illos Leonibus dilacerandos objecerunt; ſi tu veneris, dicent, (a) *hic eſt hæres, venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas*: Si ad eos deſcendas, tentaberis plusquam Job; perſecutiones majores patieris quàm David; calumnias graviores ſuſtinebis quàm Joſeph, quid ſi, ut ille 30. vendaris argenteis? quid ſi funibus & catenis vinciaris ut Sambſon? quid ſi ludibrio & deriſui ſis populo ut Eliſæus? quid ſi in crucem agaris, transfigaris lanceâ, ſepeliaris in corde terræ, uti per triduum in piſce Jonas? Nihil horum me abſterret, repoſuit Dei filius; miſerias antepono felicitati, injurias honori, odia dilectioni, ſpinas floribus, ignominiam gloriæ: Ego enim non ſolùm alligari, ſed & mori paratus ſum pro eis. Hoc audito

Proceſſit Hierarchia tertia dicens: Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, loquar verba paucula: Quid quæris ab homine amicitiam? amicitia vera conſiſtit in tribus, in utili, delectabili & honeſto: at neutrum horum habebis: quam enim utilitatem ſperare poteris ab homine? Ille erit, qui te millies blaſphemabit, abjurabit pro obolo, beneficia tua ſpernet, te ſubſannabit, ac te ſpreto, hoſtibus tuis adhærebit. Si te allicit delectabile, in mundo nil niſi ærumnæ, miſeriæ, tribulationes, paupertas ac ignominia: Si honeſtum conſideres, dedecet ut Dominus commiſceatur luto, Sol obſcuretur tenebris, margaritæ projiciantur ante porcos, ſapientia miſceatur ignorantiæ, omnipotentia fragilitati, infinitum finito, æternum mortali: Ah Domine quid terram adamas? mane in ſinu Patris, in throno gloriæ, inter concentus Angelorum, nobilior eſt ſinus Patris, quàm uterus Virginis, melior thronus cœleſtis, quàm præſepe terreſtre, ſuavior cantus Angelorum, quàm mugitus boum, aut clamor aſinorum, magis decet ſtola gloriæ, quàm faſciæ infantiles; ſufficiat tibi, ô Domine, eſſe filium Altiſſimi, cur affectas filius eſſe ancillæ pauperis?

Repo-

(a) *Marc. c. 12. 7.*

Reposuit Christus, (a) *delitiæ meæ esse cum filiis hominum* : statutum est, vade Gabriel, esto Paranymphus: dic filiæ Sion, adora thalamum tuum,(b) ecce Rex tuus venit: Veniam pollicere reis, redemptionem captivis, vitam sepultis: dic populo completum, quod prædixerat Isaias, Deus ipse veniet & salutabit vos.

O excessum amoris! ut mancipium liberet Deus, ipse sibi carnis injecit vincula: an non optimè de Christo Bernardus dixit, (c) Triumphat de Deo amor, quem è solio majestatis, è sinu Patris, ex contubernio Angelorum in uterum Virginis dejecit.

Dicto interim obediens volat in Galilæam cœlestis Genius, Virginem contemplationi divinæ immersam salutat, (d) *Ave gratiâ plena*: turbatur illa, timet, stupet, hæret, quærit, qualis esset ista salutatio; timidam confortat Gabriel, (e) *ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum*: te æternus Pater elegit in Filiam, Filius in Matrem, Spiritus denique Sanctus in Sponsam :(f) *ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM: hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Reponit mox subtimidâ voce verecunda Virgo, (g) *quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco.*

Quid moraris, ô Virgo, exclamat Augustinus? (h) intuere nuntium festinantem, & Deum in vestibulo cœli subsistentem; ex ore tuo dependet redemptio captivorum, offertur tibi pretium nostræ salutis, affusus genibus tuis supplex hoc rogat Orbis, hoc supplicat flebilis Adam cum prole sua misera exul de paradiso: sonet vox tua in auribus nostris, pande sinus roseos ô Virgo benedicta, Vox tua modò homini aut aperit cœlum aut claudit.

Confortat dubitantem interim Gabriel, ac mysterium exponit, (i) *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, quod enim ex te nascetur, Sanctum Domino vocabitur: penetrato igitur divino hoc mysterio, mox Sanctissima Virgo in genua abjecta, oreque benedicto terræ apposito, felicissimum illud humano generi protulit verbum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, ac virtute virgineæ hujus vocis, teste Bonaventura,(k) velut adamas aut magnes occultâ sympathia ad se ferrum trahens, ita & Virgo Sancta ad sed eduxit de supernis Verbum Dei. O fiat potens, ô fiat efficax, ô fiat super omne, fiat perpetuo honore venerandum, exclamat Thomas de Villa nova. (l)

Vix verba finierat Maria, cùm factâ prius profundâ reverentia discessit ab ea Angelus, ac momento super omnia cœli convexa volans, consensum

(a) *Prov. 8.31.* (b) *Isa. 62.11. Matt. 21.5.* (c) *S. Bern. Serm. 64. super Cant.* (d) *Luc. c.1. v.28.* (e) *v.31.* (f) *v 32.* (g) *v. 34.* (h) *S. August. Serm. 17. de Nativit. Domini. Item Bern. hom 4. sup. miss.* (i) *Luc. c. 1.* (k) *Serm. 2. de B. V.* (l) *S. Thom. de Villanova Serm. de Annunt.*

ſum Sponſæ univerſæ cœli militiæ apportat: fit plauſus & verbo, quod modò caro factum, curvantur genua cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Gaudeamus & nos Fratres dilectiſſimi in hac ſacratiſſima die, nemo enim expers eſt gaudii, (a) *exultet Sanctus, quia propinquat ad palmam, gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam*: hæc eſt enim feliciſſima illa dies, quâ juſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe invicem: hæc eſt dies, quâ obſeratus infernus, ac reſeratum eſt cœlum; hæc eſt dies, quâ ad terras deſcendit Deus, ut ad cœlos aſcendere poſſet homo: hæc eſt dies, quâ, ut ait Auguſtinus, per Mariam reſtauratur, quidquid per Evam perierat: quâ per Gabrielem promittitur, quidquid per Diabolum erat deſperatum & amiſſum. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria; Eva occidendo obſuit, Maria vivificando profuit, illa percuſſit, iſta ſanavit. S. Auguſtin. Serm. de Aſſumpt.

Gaudeamus igitur dilectiſſimi, & ex prima Legatione diſcamus, quàm doloroſos gemitus cauſârit unicum peccatum, quot millenis planctibus, quàm denſis tenebris per tot centena ſæcula ſit punitum. Quàm ſtolidi igitur filii Adam, qui adhuc finem peccandi non faciunt, qui ſcelera ſceleribus addunt, olim æternis ignibus ac gemitibus non finiendis caſtiganda: ex ignorantia craſſa prodire hoc eſt neceſſe, dum ignorant quid ſit peccatum.

Aves hoc forſan ſcire ô infelix peccator? ecce uno ore reſpondent tibi ſacri Doctores; eſſe malum ſuper omne malum.

Lepram ſpiritualem vocat peccatum S. Bernardinus Senenſis dicens: (b) Mortalis culpa, ſpiritualis eſt lepra, deterior quàm corporalis, illa enim ejecit è conſortio hominum, hæc autem à conſortio Dei.

Mortem animæ nominat peccatum Ezechiel, (c) *anima enim, quæ peccaverit, ipſa morietur.*

De peccato ait Bernardus: (d) *Malitia crudelis & execranda eſt peccatum, quæ Dei potentiam, juſtitiam, ſapientiam perire deſiderat.*

Malorum omnium cauſam eſſe peccatum, atteſtatur Chryſoſtomus: (e) Ex peccato enim triſtitia, ex peccato bella, morbi, atque omnes, quotquot nos premunt, paſſiones, originem ducunt.

Peccatum animæ Idolum vocat Auguſtinus, (f) quod in ſe nihil eſt, quod aures habet, & non audit, nares habet, & non odorat, oculos habet, & non videt, os habet, & non loquitur, manus habet, & non palpat, pedes habet, & non ambulat.

Vis plura de peccato audire? Ecce! Peccando vendis animam tuam Diabolo, & mancipium ejus te facis: pecca-

(a) *S. Leo Serm 1. de Nativ.* (b) *S. Bernardin. Senenſ. Tom. 2. S. 27. a. 3. c. 5.* (c) *Ezech. 18. 4. 20.* (d) *S. Bern. Serm. 3 de Reſurrect.* (e) *S. Chryſoſt. Homil. 5. ad pœnit.* (f) *Auguſt. Soliloq. cap. 5.*

peccato perdis innocentiæ candorem, amittis gratiam ſanctificantem, ſine qua nemo ſalvatur: peccato aditum ad cœleſtem patriam tibi præcludis, nomen tuum ex libro vitæ deles, filium te conſtituis gehennæ, cuncta denique merita tua & virtutes in ventos & aures abeunt; nec hoc ſolùm, ſed & merita Chriſti, fructus paſſionis ejus ac effuſi ſanguinis; tormenta & dolores, quæ pro te ſuſtinuit, ipſa denique mors Chriſti pro te obita, nil proderunt.

Audi, quid tibi Sanctiſſimus Eccleſiæ Doctor Ambroſius in aures inſinuet, (a) O infelix peccator! aperi oculos animæ, & vide, quid olim fuiſti, & quid nunc es: eras templum Dei vivi, vas electionis, ſocius Angelorum, hæres paradyſi; ecce! cum hæc omnia fueris, quæ dixi, quoties dico eras, eras, eras, toties tibi lacrymandum eſt, dum ſubitam cogitas tuam mutationem; Templum Dei mutatum in ſpeluncam latronum, vas electionis in vas corruptionis & contumeliæ, ex ſocio Angelorum factum ſocium Struthionum & Draconum inferni, ex hærede cœlorum exulem paradiſi.

Quis jam amplius peccare præſumat, quando peccatum tot doloroſis gemitibus, tot ſalſis lacrymis ſtetit? quis non diligat Deum, (b) qui ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret? quis impoſterum iraſcatur ac vindictam ſpiret, quando hac die Juſtitia divina gladium recondidit in vaginam.

Ex Legatione Angelorum conſideremus vilem & abjectam noſtram originem, quæ tamen adeò à Deo eſt elevata, ut choros transcenderit Angelorum; unde meritò nos hortatur S. Leo: (c) *Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.*

Patet ex his, quantum puriſſimæ Virgini obſtringamur, quantas gratias referre teneamur, quæ humilitate ſuâ Verbum Patris è cœlo in uterum traxit Virginalem, ad redemptionem univerſi orbis.

Unde Auguſtinus ait: (d) *O Maria! quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ tuo aſſenſu* (fiat) *mundo perdito ſuccurriſti:* Scitis, quid S. Pater concludat? Sic ait: *Accipe igitur quaſcunque exiles, quaſcunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum ſuſceperis vota, culpas noſtras orando excuſa: accipe, quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus, quia tu es ſpes unica peccatorum, per te ſperamus veniam peccatorum.* Hæc ille.

Ex ultima demum Legatione diſcamus magnitudinem tanti beneficii: plurima quidem beneficia Deus conceſſit homini, ſed teſte S. Damaſceno (e) nihil majus, quàm quod Deus ho-

L mo

(a) *Ambroſ. ad Virg. lapſam c. 2.* (b) *Joan. 3. 16.* (c) *S. Leo Serm 1. de Nativ. Domini.* (d) *S. Auguſt. Serm. 2. de Annunt. Dominica.* (e) *S. Damaſc. lib. 3. de fide Orthodoxa.*

mo factus est, hoc ultimum est, quod Deus efficere potuit, amplius enim efficere aliud non valuit; unde ait S. Cyprianus: (a) *Non mundi hujus statuam admiror, non stabilitatem, non Lunæ defectum & incrementum, non Solem semper integrum, & laborem ejus perpetuum; non temporum vicissitudines; miror Deum in utero Virginis; miror, quomodo Verbo Dei caro adhæserit, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit?*

Denique in ore nostro semper hæreant & revolvantur Verba illa Archangeli: (b) *Ave gratia plena, Dominus tecum*, non recedat ab ore, non recedat à corde: oratio quidem parva verbis, ut ait B. Alanus, (c) alta mysteriis, brevis sermone, alta virtute, super mel dulcis, super aurum prætiosa: Oratio, teste Bernardo, (d) cœlo grata, inferno molesta, hominibus salutaris; unde ait, cœlum ridet, Angeli lætantur, Dæmones fugiunt, infernus tremit, quoties cum Reverentia dicimus, Ave Maria. O quot milleni à fulmine incinerati, ab undis hausti, ab hostibus cœsi, à Dæmone discerpti fuissent, nisi salutatione hac cœlesti periculo se subduxissent.

Abundè hoc patuit in Nobili illo, cujus meminit Petrus Antonius Spinelli in Throno Dei c. 38. num. 22. Erat Toparcha quidam apud Teutonas vitæ profligatæ, quem præter alia scelera continuæ prædationes supra modum infamem reddebant (nam ævo illo vis valebat pro Jure) Hic castrum possidebat, in quod velut spoliarium quidquid à prætereuntibus rapere poterat violentâ manu inferebat: & licet in omni scelerum colluvie demersus jaceret, in hoc tamen unico erat commendandus, quod Legem sibi indixerit inviolabilem singulis diebus semel B. Virginem uno Ave salutandi, quæ res eum sola ab interitu præservavit. Excubabat hic Prædo in arce sua aliquando velut in specula, intentus in rapinam; cum subitò in casses venit Cœnobita quidam, qui sese non invitum capi est passus (à Deo quippè illuc destinatus erat, ut Prædonem prædam faceret) ductus ergo ad arcem interrogatur, quæ causa viæ, quid extra Monasterii septa quærat? Respondit is, habere se secreta quædam Domino communicanda, quæ in salutem totius familiæ spectent, convocaret proindè familiam, tum se abdita aperturum: Stimulatus ergo curiositate nobilis (insidias à Præside Provinciæ sibi structas sperabat fortè patefaciendas) jubet convocari familiares: præsto sunt ad obsequium famuli; circumspicit ascetа captivus, & unum aliquem è famulitio abesse notat: censetur familia, & deprehenditur deesse ille, qui Domino serviebat à cubiculis. Ocyus mittitur, qui hominem adducat,

(a) *S. Cypr Serm. de Nat. Dei.* (b) *Luc. 1. 28.* (c) *B. Alan. L. de Psal. cap. 70.* (d) *S. Bern. Serm. super Missus.*

cat, tergiverſatur is venire, imperat iterum Herus nec ſine minis, præſentem ergo ſe tandem ſtitit Tenebrio, ſed ad primum ingreſſum mox inſtar Energumeni ſpumare linguâ, ſtridere dentibus, oculos invertere in capite, ut crederetur in dementiam lapſus: animadvertit mox Aſcetes, qualis ſub hac larva lateret Mimus, unde ſacra adjuratione eum urget, ut fateatur quis ſit: Alaſtor ſublimiori vi adactus, confitetur ſe Genium ex inferis eſſe, humana ſub ſpecie 14. annis Hero inſerviiſſe ex Imperio Principis tenebrarum ad hoc ſolummodò, ut ſi qua die Herus ſalutandæ Virginis conſuetudinem intermitteret, eum mox ſtrangulatum ad inferos ſecum abriperet, quibus dictis magno cum fœtore diſparuit, Nobilemque cum Prædonum globo attonitum reliquit, qui mox ad Religioſi pedes abjectus, affectu, quo potuit, ardentiſſimo gratias egit miſericordiæ Matri, ſcelera per confeſſionem humilem depoſuit, ad ſanctiorem vitam cum reliquis impoſterum ſe revocans documento omnibus quantas utilitates vel unica amoroſa ſalutatio angelica importet.

Unde denuò ad hoc hortatur omnes mellifluus Bernardus, (a) *in periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab Ore, non recedat à Corde,*

(a) *S. Bern. Serm. 2. ſuper Miſſus eſt.*



IN FESTO S. GEORGII M.



Traxerunt ventum quaſi Dracones, defecerunt oculi eorum. Jerem. 14.

ARdentiſſimè in hoc ſemper deſudârunt Apoſtolici Concionatores, ut motum & compunctionem in animis Auditorum ſuorum excitarent, ac à vitiis abſtractos ad ſtudium virtutis impellerent; memores verborum Hieronymi ad Nepotianum: *Docente te in Eccleſia non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur, lacrimæ Auditorum laudes tuæ ſint: Conciones enim floridæ, quæ aures ſolùm titillant, & corda non feriunt,*

riunt, suntnubes sine aqua, quæ in aëre quidem circumvolant, sitientem tamen terrã non humectant: de cathedra uti de Throno Dei necesse est (Si fructus quæritur) ut procedant fulgura, voces, & tonitrua, quatenus de veterno scelerum evigilent peccatores: tubâ æternitatis est clangendum, ut quatriduani ac in scelerum stercore computrescentes Lazari surgant de monumentis suis & audiant vocem filij Dei.

Formidanda tali Tubâ

Antiochenos suos exterruit Chrysostomus, dum ità sermonem suum est exorsus: (a) Multò sunt plures qui gehennam, quàm Cœlum ingrediantur: quot putatis esse in hac nostra Civitate, qui salvi fiant? infestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen; non possunt inveniri in tot millibus centum qui salventur, quin& de his dubito; quanta enim in juvenibus malitia, quantus in senibus torpor!

Graviori tonitru intonuit P. Bartholomæus Salutius Romanus Ecclesiastes ex Ordine Minorum, (b) qui cum vix Cathedram ascendisset Romæ in ara cœli, magnâ voce dœmones (si qui vel in Ecclesia se occultarent, aut auditorum corpora obsiderent) adjuravit, ut signo quopiam se manifestarent, ac ad ea, quæ ipse interrogâsset, responderent? paruit unus, & ex obsessi corpore respondit se præsto esse: Hunc ergo per Altissimum adjurans, edicere jubet, quot inter Auditores præsentes existant (erat accursus ingens) in gratia Dei constituti; nulli peccato mortali obnoxij? cui Dæmon cum effusissimo cachinno respondit, plures se non numerare, qui ad se non spectarent, quam Tres.

Responso accepto, ita ardenter & potenter ad populum dixit, ut præ percussione pectorum, & singultibus dolorosis, vix perciperentur verba exhortantis.

Nec contenti fuête sacri Oratores verbis solùm ceu fulgure consternâsse obstinatos peccatores; quandoque etiam ad majorem terrorem populo incutiendum, feroces & rabidas feras oculis stitêre auditorum, quorum ferali aspectu, effrenata eorum coerceretur libido peccandi.

Ita S. P. N.rum Franciscum fecisse memorat Lucas Waddingus, (c) cum enim inaudisset ferocem Lupum Civitati Eugubinæ grandia damna inferre, lacerare greges, hominibus & jumentis esse infestum; occasionem nactus populi in viam salutis reducendi; egressus extra urbem, & in virtute Altissimi lupum adjurans præcepit, ut sese præeuntem sequeretur: obsequitur mox ferox Belua, ac in medium forum usque Civitatis Eugubinæ Hominem Dei comitatur, ubi Vir sanctus habitâ Concione gravissimè in vitia invectus, ostendit hæc sola esse, quæ irato Numini

(a) *Chrysostomus hom: 40. ad Pop.* (b) *Fortunatus Hueber. fer. 2. Pent.*
(c) *Waddingus in annal. Minorum.*

mini causam præbeant, cur feris & bestiis dilaniandum populum objiciat totque flagellis castiget; cessatura mox mala, ubi cessaverint peccata; pactum inde Cives inter & Lupum, ut hi famelicum imposterum alerent, ipse verò neminem læderet: vixit post hæc biennio integro cicur Belua per Urbem innoxiè obambulans, præsentiâ suâ cunctos à peccatis absterrens, & ad laudandum Deum invitans.

Franciscum imitatus est Capistranus, Patrem sanctum, Filius optimus. (a) Hic enim cum Aquilæ versaretur cerneretque graves discordias ac dissensiones Civium, coram confertissimo auditorio concionem suam sic est exorsus: Hodiernâ die charissimi filij adducam coram vobis rabiosum & furibundum illum canem qui pacem & concordiam vestram turbare conatur; & ecce ad vocem viri Dei mox horribilis Molossus, torvo vultu minax, scintillantibus oculis ferox, hirsutis nigrisque dependentibus villis metuendus, spumante ore, latratu rauco per confertam multitudinem cucurrit, ac summa omnium consternatione & terrore evanuit, cunctis Dei misericordiam in clamantibus.

Exemplis his permotus statui & ego hodiernâ luce venerando huic consessui sistere ac præsentare monstrum horrendum, informe ingens; non famelicum Lupum Francisci; non rabiosum Molossum Capistrani; sed pestiferum venenatum & execrabilem Draconem, non lybicum illum ad Urbem Silenem, de quo triumphâsse fertur gloriosus noster Georgius: non Babylonium pro numine habitum, quem oblato bolo disrumpi fecit Propheta Daniel: non Epidauricum illum Ragusæ Mœnia infestantem, quem B. Eremita Hilarion in cineres redegit: Truculentior his omnibus, formidabilior & magis pestifer est, de quo dissero, & quia ad vivum oculis vestris monstrum hoc subjicere nequeo, ad minimum formam ejus, naturam, strages, & malitiam nonnihil adumbrare & depingere tentabo, ut justum odium & horrorem in animls vestris excitare valeam. Nec alius Draco est, de quo dicere intendo, quàm pestilens invidia, fera illa pessima.

Variè illa adumbrata est tam à (b) Philosophis quàm SS. Patribus. Serram cordis nominat eam Anacharsis. Ulcus animæ dicta est à Socrate. Animæ Tinea vocata ab Augustino Putredo ossium à Salomone Prov. c. 19. Cogitationum tabes & rubigo dicta est à Cypriano serm 2, de Zelo & limore Carnificem sui vocat eam Chrysologus Serm. 172. utpotè quæ torquet animos, discruciat mentes, & corda corrumpit.

Nec contenti his Titulis, ulterius sunt progressi SS. Patres.

Tigridi

(a) *Chron: Minor p. 4. c. 7.* (b) *Laertius cap. 7. Le. Blancin psal. 72. S. Augustinus 83. de temp.*

Tigridi comparat invidum Clemens Alexandrinus. (a) Sicut enim Tigris Musica, ita & hic felicitate proximi exasperatur.

Noctuæ invidum assimilat Bonaventura, (b) quia uti illa radiis solis, ita & hic virtutibus proximi excœcatur.

Phœnici similem dicit Augustinus, (c) utpote qui seipsum necat, & incinerat.

Basilisco eam comparat Thom. (d) de villa nova, utpote qui oculo necat & speculo necatur. (e) Hugo demùm Card. invidum vocat Feram illam pessimam & abominabilem, quæ innocentem devoravit Joseph.

Omnium tamen optimè invidiam meo judicio descripsit à Theatro suo famosus Laurentius Beierlinck dum Conc. in Festo S. Joan. Bapt. eam Draconi assimilavit dicens, Invidia non immeritò comparatur, Draconi de quo Apoc. cap. 12. dicitur, quod trahebat, caudâ suâ tertiam partem stellarum, nam caudæ suæ veneno viros sanctos & perfectos, qui velut stellæ lucent, involvit, & ne in illis virtutes splendeant, contendit. Comparatio nobilissima, maneamus in ea, & ulterius pestem hanc exenteremus.

Originem suam, ex mente eorum qui de naturis animalium scribunt, habent Dracones ex venenata congerie serpentum ac bufonum, uti observatum est sæpius.

Invidiam exitiale & pestiferum monstrum parturivit in corde suo Lucifer, Draco ille magnus & rufus, serpens antiquus, teste Chrysostomo dicente, (f) *nec aberraverit quis invidiam diaboli filiam appellans, invidiâ enim diaboli, mors introivit in orbem terrarum.*

Formam Draco habet formidandam, caput horridum & exangue, oculi flammantes & igniti, color gilvus viridi permixtus, corpus squamis armatum, dentes horridi & monstrosi, lingua venenata, ungues pedum exacuti instar tigridum, cauda spiris implexa: Hæc forma Draconum. Audite nunc obsecro, an non & hanc ipsam formam invidiæ tribuat vel Ethnicus Poeta lib. 2. Metam. (g)

Pallor in ore sedet, maciesque in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores:
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque & carpitur una,
Suppliciumque suum est,

Ars

(a) *Calomat. V. Invid.* (b) *In diæta Salutis c. 4. tit. 1.* (c) *August. ser. 18. ad ff.* (d) *Thom. de Vill. ser. 6. post. Dom. pas. 9* (e) *Hugo in c. 23. proverb.* (f) *S. Chrysost. hom. 44 ad pop. Ant.* (g) *Ovid. lib. 2. Metam.*

An non-hoc idem est dicere, quod scripsit Cyprianus, (a) *Invido est vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, os maledictione plenum & amaritudine, Venenum aspidum sub labiis ejus, veloces pedes ejus ad effundendum Sanguinem.*

Sex autem proprietates in Dracone observavit Plinius. (b)

Prima quod Rex sit serpentum & viperarum.

Altera, quod ex ore ignem & flammas eructet.

Tertia, quod venenum in lingua & felle absconditum gerat.

Quarta, quod visum acutissimum habeat ac rarò dormiat.

Quinta Sanguinis sit sitientissimus.

Sexta denique, quod nullus locus sit tutus, quin à Draconibus infestetur; nam Augustino teste, natat in aquis, volat in aëre, repit in terra.

Videamus nunc, utrum non & in invidia ferales hæ proprietates inveniantur.

Et primò quidem, licet Gregorius Nyssenus invidiæ non tribuat titulum Reginæ, (c) eam tamen vocat *Mortis matrem, primam peccati januam, vitiorum radicem, doloris initium.*

Quod invidia flammas & incendia spiret, fatetur Bernardus, (d) cunctos admonens, ut ab ea caveant: Væ vobis à Dracone, immanis est bestia, flatu igneo quidquid attigerit necat, non modò bestias terræ, seb & volucres cœli, justos & peccatores; pergit ulterius a. 42. Medit Invidia pectus urit, cor hominis, quasi quædam pestis depascit, & cuncta bona ardore pestifero consumit.

Quod Venenum gerat in lingua & felle testatur apertè sanct. Ephrem Syrus (e) dicens: grave & pestiferum est invidiæ Venenum, unde detractiones, odia & cædes pullulant.

(f) *Hæc fera Lernæo rabies maculata Veneno,*
Omnia depascit, nullis innoxia, nullos
Præterit illæsos, nulli mansuescit, in omnes.
Invehitur, quod agit, non est sanabile Vulnus.
Johann. Baptist. Mant.

Quod rarò dormiat, testatur Virgilius de livore dicens. (g)

Non somnum capit aut quiescit unquã
Torquet viscera carnifex cruentus.

Quod visum acutissimum habeat affirmat Johann. Fabri Episcopus Viennensis, (h) Invidus semper in oculo proximi festucam videt; in propriis sceleribus est talpa, lynx in alienis.

Quod invidia sitiens sit sanguinis, testis luculentus est impius Hebræo-

(a) *S. Cyprian. ser. de livore.* (b) *Plinius lib. 8.* (c) *Gregorius Nyssenus in vita Moysis serm. 48.* (d) *S. Bern. in psalmum qui habitat.* (e) *S. Ephrem de vitiis & virtutibus.* (f) *Johann. Bapt. Mant. lib. 6. calam.* (g) *Virgilius Maro.* (h) *de mis. vitæ humanæ.*

Hebræorum Rex Saul; Unica vox gratulantium Davidi *percussit Saul mille,* (a) *& David decem millia,* ità exacerbavit Saulem, ut velut Draco avidus fundendi sanguinis, insontem David, nunc gladiis Philistæorum objecerit; nunc manu propria lanceâ perfodere eum sit conatus, nunc in lecto decumbentem trucidari præceperit. Dracones similes extitêre invidi fratres Josephi, (b) unde Basilius Seleuciensis ait, (c) *aspersam vestem sanguine offerunt Patri, quasi nequeant sine sanguine invidiam extinguere.* Apud von Horn f. 2. Dom 2. quad.

Deniq; nullus locus est tutus ab invido Dracone, nam secundùm S. Augustinum, natat in aquis, volat in aëre, rapit in terra, unde doctissimus Cardinalis Bellarminus ait, (d) nullus est cancer, qui latius serpat; nam & in castris militum & in prætoriis Urbium, & in Conciliis Episcoporum, & in Academiis Studiosorum, in capitulis Canonicorum, in cœnobiis Monachorum suum locum habet, in aulis verò & palatiis principum nullus est angulus, ubi non regnet invidia.

Totus mundus in maligno positus est, solùm cœlum ab hac peste est liberum: In monasteriis latet sub cucullo; in bello sub cassìde; in Academiis sub Epomide; in aulis sub purpura; in templis sub infulâ; in hospitalibus sub centone. Invidia commune malum, Regum pulsat turres, pauperumq; casas; purpura purpuræ, mitra mitræ, figulus figulò, cento centoni invidet.

Strages nunc draconum contemplemur. Nec rugientes Leones Lybiæ, nec rabidæ tygrides Bengalæ, nec Crocodili Aegypti, nec Dipsades Africæ, nec Tarantulæ Apuliæ tantas strages ediderunt ut pestiferi Dracones.

Consternaverunt Dracones, & vel solo sibilo in fugam egerunt integros exercitus: (e) desolaverunt florentissimas Provincias: halitu venenato infecerunt & extinxerunt infinita millia hominum & pecorum.

Testis horum oculatus extitit exercitus Alexandri Magni semper invictus, (f) omnium hostium spretor, qui tamen ad unius draconis sibilum ac è spelunca prospectum horribilem, totus consternatus & excors, trepidare & fugere cœpit, cujus venenato halitu plures sunt interfecti, quàm perierint gladiis & sarissis Persarum.

Experta est Rhodus, quantum malùm sit à tali vicino pestifero infestari; (g) periisset Insula, accessisset in desolationem, nisi nobilissimus ille Eques Rhodius Goso nomine infestum Draconem adminiculo & ope duorum grandium molossorum interemisset, *liberator patriæ* inde dictus.

M Recen-

(a) 1. Reg. 18. 7. (b) *Gen. 37. 32.* (c) *Basil. Seleuciensis Orat. 8.* (d) *Cardin. Bellarm. conc. in Psal. 90.* (e) *Aulus Gellius lib. 6. c. 3.* (f) *Curtius. Ælianus l. 15. c. 21.* (g) *Kibler in Speculo de præparatione ad mortem.*

Recenſere poteſt Raguſa, quas acceperit clades, (a) à dracone Urbem velut hoſtilis exercitus obſidente, cujus metu cunctæ Urbis portæ claudebantur; fame concluſis fuiſſet pereundum, niſi eorum infelicem ſortem miſertus fuiſſet Eremita Hilarion, ac ope divinâ è ſpelunca extractum & in mapali ſtramineo concluſum, ignibus abſumpſiſſet metuendum hoſtem.

At quis invidiæ ſtrages enumeret? (b) cùm Chryſoſtomus dicat, *quodcunque malum videris, ex hac radice pululat.*

Comitamini me parumper AA. oſtendam ſtrages, monſtrabo damna, quæ virulenta intulit Invidia.

Adeamus primò campos Damaſcenos: cernite in pellibus & perizomate (c) hinc inde diſcurrentes primos Parentes noſtros, quis Paradiſo ejecit? Invidia.

Egredimini ulterius in agros, videte ibi in ſanguine jacentem innocentem Abel, (d) quis occidit? Invidiâ fraterno primò maduerunt ſanguine campi.

Videte propè Dothaim (e) in ciſterna deſolatum Joſeph; quis detruſit? Invidia: *inviderunt ei fratres ſui.*

Concedite nunc in Babylonem, (f) cernite concluſum in lacu Leonum inſontem Danielem; quis præcipitavit? Invidia.

Aſpicite in Judææ montibus (g) profugum David; quis exulem fecit? Invidia Saulis.

Secedite ad ſurburbana Solymæ, (h) videte Stephanum lapidibus obrutum; quis lapidavit? Invidia.

Aſcendite demum Clivum Calvariæ, (i) aſpicite Filium Dei cruci affixum, quis affixit! Invidia; *quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit &c.*

Has omnes ſtrages, aliaſque infinitas cauſavit Invidia.

O Monſtrum horrendum! O peſtem execrandam! Edicite obſecro invida genimina Viperarum, quid ex deteſtabili hoc vitio lucri reportatis? qui alienam felicitatem, iniquo lumine, felleo pectore aſpicitis, & occulto invidiæ veneno contabeſcitis? quem guſtum, quid voluptatis vobis affert invidia? omnia alia vitia habent objectum, quo delectentur: delectatur ſuperibus honore, gaudet poſſe digito monſtrari, & dicier hic eſt.

Habet Libidinoſus ſpurcas ſuas delicias; refert fur ſpolia, avarus opes; Iracundo dulce eſt hoſte carere; ſola Invidia nil reportat, niſi dolores & gemitus.

Mens Chryſoſtomi eſt, (k) cætera peccata

(a) *Athlas Marianus, Imag. 42.* (b) *Chryſoſt. hom. 44. ad pop.* (c) *Gen. 3.* (d) *Gen. 4.* (e) *Gen. 37.* (f) *Dan. 6.* (g) *1. Reg. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 26. 27.* (h) *Act. 7. 58.* (i) *Matt. 27. 18. Marc. 15. 10.* (k) *S. Chryſoſt. hom. 44. ad pop.*

peccata omnia veniâ videri digna, invidiam verò omni veniâ carere; omni veniâ caret hoc peccatum, prætextu enim quodam colorato se cœtera vitia excusant; Odium & vindicta allegant injurias sibi injustè ab hoste irrogatas: Luxuria prætendit fragilitatem Naturæ: Superbia allegat claros Natales, scientiam ac doctrinam, dignitates & officia: Avaritia prætendit temporum vicissitudines, hæredes copiosos, pericula incognita; metendum tempore: fur allegat paupertatem & immisericordiam divitum: Gula sententiâ Epicuri se defendit, ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

At sola Invidia nil habet quod in defensionem suam alleget, quia nemo eam læsit aut perstrinxit, nisi solùm bonum & felicitas proximi, hoc solùm falsò nituntur enthimemate, Frater tuus bene habet, ergo tibi est malè; frater meus laudatur; ergo ego vituperor frater meus est felix; ergo ego infortunatus: ò conclusionem stultam! ò excusationem frivolam! ò prætensionem sine intellectu!

Unde non miror, quod Gregorius Papa dicat, (a) *quamvis per omne vitium, quod perpetiatur, humano cordi virus antiqui hostis infundatur, in hac tamen nequitia, tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit*: fugiamus ergo inclamat nobis S. Zeno, (b) fugiamus invidiam, obicem pietatis, obstaculum re- " gni cœlorum, viam gehennæ, pig- " nus & primitias quasdam pœnæ " perpetuæ.

Auditores! quodnam remedium expellendi & enecandi hujus draconis inveniemus? de remedio invidi propè desperat doctissimus (c) Galfridus dicens, quem semel invidia veneni sui peste corrupit, pœnè " dixi carere remedio: nihilominus " tamen (d) Laurentius Justinianus invidis sequens præscribit remedium; notate: qui ab hac pestifera tentatione liberari desiderat, proximum tanquam fratrem, tanquam cœlestis regni cohæredem diligat.

Remedium alterum adfert Bernardus, (e) ac supplicando rogat invidum, ut sibi parcat, neq; carnifex sui esse velit, nomini enim plusquàm sibi ipsi nocet, velut canis rabidus lapidi dentes infigens: Verba Bernardi sunt sequentia: (f) *O quisquis es, qui saluti invides alienæ, parcito vitæ tuæ, Si enim verum ubi invidia ibi mors, profectò non potes invidere simul & vivere.*

Auditores, utinam ità felices essemus, (g) ut cum S Golinducha in antrum Draconis à Gentilibus conjecta, frœnum quoq;, uti ipsa Draconi, ità & nos invidiæ injicere possemus.

Utinam cum SS. Episcopis Rophilo &

(a) *S. Greg. lib. 35. moral.* (b) *S. Zeno serm. de livore.* (c) *Galfridus in cap. 8. Jonæ.* (d) *Laurent. Justin. de perfectione monaste.* (e) *Bernard. Epist. 7.* (f) *S. Bern. Epist 7. ad Adam Monachum.* (g) *Nadasi 11. Julii.*

lo & Mercurio (a) indicto triduano jejunio, draconem hunc noxium stolâ injectâ è specu educere ac in puteum interitus præcipitare & lapidibus obruere possemus!

Utinam cum Daniele, (b) concedatur nobis temperatum ei bolum objicere, ut medius disrumpatur.

Utinam cum Sanctissimo Papa (c) Sylvestro ac Hilarione Eremita precibus eum fugare; cum Gosone Equite Rhodio canibus & gladio perimere queamus, cum S. Donato Episcopo, signo Crucis & sputo interimere valeamus.

Sed eheu! oratio nostra nimium est tepida, preces frigidæ, Vires fragiles, metus vehemens, ità ut adoriri & impetere draconem hunc non audeamus.

Ad te proinde gloriosissime Martyr Georgi tendunt preces nostræ, victoriosa & invicta tua dextera non solùm Draconum illum Lybicum Silenen Urbem miserè vastantem, sed & illum tortuosum ac antiquum serpentem generosè devicisti, ac post tormenta, carceres, ungulas, sartagines, molares lapides ignitos calceos, aliaque centena tormenta generosè triumphasti: Audi obsecro preces & gemitus nostros, ac ex corde nostro radicitùs evelle omnem invidiam ac livorem, interfice pestiferum hunc Draconem; vel exemplo Angeli illius (d) Apocalyptici, religa catenis adstrictum hoc monstrum ad mille annos; aut præcipita eum in puteum abyssi ad parentam & genitorem suum Luciferum.

Gratiam hanc læti agnoscemus ac Victrices laudes tuas devoti servuli decantabimus in æternum. Vive Georgi Monstrorum Domitor ac in æternum jubila & triumpha.

(a) *Nadasi 18. Julii.* (b) *Dan. 14. 26.* (c) *Nadasi 31. Decemb.* (d) *Apoc. 20. 2.*



IN

IN FESTO SS. APOST. PHILIPPI ET JACOBI.



Mundabo Sanguinem eorum, Joelis cap. 3.

UTinam aliquando Oves audirent vocem Pastorum suorum! Utinam aliquando Christiani viverent ad normam & regulas Evangelii! Utinam Auditores aliquando opere complerent, quod tot ponderosis adhortationibus, tot zelosis concionibus ad ravim usq; è Cathedris illis inculcatur!

Ah quàm læta foret facies Ecclesiæ; cunctæ Urbes & Civitates ordinatæ essent, ut motus siderum atq; Cœlorum: Villæ & Pagi existerent

 amœni

amœni Paradiſi terræ : exularet ubiq; frigidum illud verbum, *meum* & *tuum*: quisq; cum Diogene contentus, requieſceret in dolio ſuo, alieni nil appetens : Pauper in patientia toleraret inopiam ſuam, ſpe fretus ſuum aliquando fore regnum cœlorum : Dives abundaret quidem auro, ſed & liberali manu illud effunderet in egentes, memor centupli olim recipiendi : (a) Subditi præ amore vitam ponerent pro dominis, Magiſtratus è contra cor divideret cum civibus : In Curiis cauſas decideret ferrea Virga Juſtitiæ, ad munera aut reſpectum humanum inclinari neſcia : Ad aulas Principum rediret iterum tam diu exul, & errabunda veritas ; Templa forent non ſpelæa latronum, ſed portæ Cœli & aræ miſerationum :

A vitiis ut à Monſtris abhorrerent univerſi, nemo ſuperbiâ extolleretur, nemo rancorem, aut odium contra proximum foveret ; nemo ſtimulis invidiæ ageretur ; nemo ventri, & concupiſcentiis indulgeret, nemo illicita quæreret, quisq; Virtutibus ſtuderet, ſola virtus coleretur ; Solus Deus meta & centrum foret, cui cultum, cui laudes tribuerent univerſi.

Verbo, Homines forent Angeli, & terra exiſteret paradyſus.

Cum injuria objiceretur nobis, quod Maſſilienſis Epiſcopus l. 3. de provid. (b) Chriſtianis ævo ſuo objecit dicens, quid eſt aliud pæne omnis cœtus Chriſtianorum, quàm ſentina vitiorum. Improperari non poſſet nobis, quod zeloſiſſimus (c) Ludovicus Granatenſis Auditoribus ſuis cum ſumma confuſione improperavit dicens; non ex operibus, ſed ex templorum ſolummodò turribus agnoſcimus, quod in Chriſtianorum finibus verſemur : Sed è contrario cum veritate diceretur de nobis quod S. Petrus 1. Pet. c. 2. ait: *Vos autem Genus electum, regale ſacerdotium, Gens Sancta, populus acquiſitionis*, hoc eſt, eſſemus omnes electi per fidem, Sancti per gratiam, juſtificati per merita Chriſti. Votum igitur meum hodiernâ die hoc unicum eſt, ut à ſuperis accipiamus gratiam, ut juxta Regulas & Leges à Chriſto traditas vivamus.

Reſpondere vos audio, placere quidem omnibus hoc votum meum, at impoſſibile eſſe illud in opus deducere : dicitis cum Averroe, legem quidem Chriſtianorum eſſe pulchram, ſed impoſſibilem.

Allegatis debilitatem naturæ, ab origine ad omne malum proclivis: aſſeritis paſſiones eſſe fortes, carnem verò infirmam; hoſtes eſſe potentes, inſidias multiplices: Objicitis ipſos Angelos; (d) ſi enim in Angelis reperit gravitatem, quid agent homines ex luto & cinere compacti? quis ergo ſanctus erit? quomodo poſſunt hæc fieri?

Audite

(a) *Matt. 19. 29.* (b) *Salvianus l. 3. de provid.* (c) *Ludovic Granat. conc. de corrupt. mor. Chriſt.* (d) *Job. 4. 18.*

Audite quid non Ego, sed S. Augustinus serm. 47. de SS. respondeat, sic ille ait, *sed dicit aliquis, & quis est, qui possit* SSrum. & Brum. *Martyrum vestigia sequi? huic ego respondeo, qui non solùm sanctos Martyres sed ipsum Dominũ cum ipsius adjutorio, si volumus, possumus imitari:* Ut Sanctus sis non opus est, ut miracula patres aut signa facias; miracula alia tibi præscribit Isidorus Hispalensis l. 1. cap. 27. *nunc in Ecclesia plus est bene vivere, quàm signa facere.*

Non opus est, ut in crucem cum Philippo agaris; cum Augustinus dicat, tota Christiani hominis vita, si secundum Evangelium vivat Crux est & Martyrium.

Non opus est, ut cum Jacobo sanguinem fundas, de pinnaculo templi dejiciaris, cum S. Gregorius hom. 35. in Evangelio dicat, *nos sine ferro & flamma Martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodiamus.*

Auditores, nolite despondere animum; Omnes Sancti fieri, esse & mori possumus, si velimus; nullus Status, nullus sexus, nulla conditio, nulla ætas excipitur: Virtus ubique terrarum, inter spinas & petras, inter arenas & saliceta florere potest, nullo constricta est tempore nulli affixa climati.

Medium autem conducibilius ad hoc obtinendum non judico, quàm ut hoc vernali tempore phlebotomiâ sacrâ utamur, quâ omnis impurus sanguis purificetur, & corrigatur, ac vetus homo in novum transformetur. Hanc sacram curam dum pluribus manifesto, patientiam vestram imploro.

Doctissimus Aloysius Juglaris S. J. Concionator, dum conc. 25. annorum series à Christo nato ad hæc nostra tempora computat, unicuique sæculo ingenioso sale conditum epiphonema apponit.

Primum sæculum vocat *Prodigiosum*, plenum miraculis, ubi cœli universo mundo annuntiaverunt gloriam Dei.

Secundum nominat *Victoriosum* ac *Triumphale*, in quo tot milleni Martyres gloriosissimè de Tyrannis triumpharunt.

Tertium intitulat *Solitarium*, in quo exemplo Pauli & Antonij integra Anachoretarum Agmina in solitudines & spelæa Thebaidis sese recondidêre.

Quartum vocat *Doctum*, in quo scriptis suis claruerunt Athanasius, Hilarius, Ephrem, Basilius M. Gregorius Naziazenus, Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus.

Quintum dicit *Barbarum*, quo ab Hunnis Italia & Gallia, à Wandalis Africa, à Gothis Hispania est devastata.

Sextum ait fuisse *Sæculum Contradicens*, cui meritò Lemma illud adscribendum *Nulli cedo*.

Septimum dicit fuisse, *Ignorans* in quo scientiæ, artes, & doctrinæ dormierunt somnum suum.

Octavum vocat *Ruinosum*, ubi Gothorum

Gothorum regnum everſum à Mauris in Hiſpania, Longobardorum in Italia, ubi ſenſim regnum unum poſt àliud corruit in nhilum, Saracenſis ubique victorioſum caput extollentibus.

Nonum ait extitiſſe *Extravagans* ſine Ordine, ſine Pondere, ſine Numero, ſine Menſura, ubi Ludovicus Pius Imperator à propriis Filiis eſt exauctoratus.

Decimum aſſerit fuiſſe *Politicum*, ubi vulpes Sambſonis ad Gubernacula ſedebant.

Undecimum vocat *Invidioſuum*, quo quiſque Princeps oculum ſibi unum eruiſſet, ſi alter caruiſſet binis, quod abundè patuit in Bello ſacro.

Duodecimum clamat extitiſſe *Miſerum*, quod meritò Threni Jeremiæ decuiſſent, dum Hieroſolyma à Saladino recepta, Cruxque Chriſti per plateas ignominioſè tractaac flagellis eſt cæſa.

Decimum tertium ſtatuit fuiſſe *Rixoſum*, ubi toti orbi imperabat frigidum illud Verbum Meum & Tuum, quando per 28. annos capite vacabat Imperium, ac cuncta primò occupanti ceſsêre.

Decimum quartum affirmat extitiſſe *Crudele*, ubi Guelphi & Gibellini miſerrimè cuncta cædibus funeſtabant: Crudele ſæculum, in quo Andreas Rex Neapolis ab Uxore ſtrangulatus; Petrus Rex Caſtellæ ſecuri percuſſus; Bajazethes Turcarum Imp. à Tamerlane ferreæ caveæ incluſus; ubi condictâ die tot centeni Templarii ſunt occiſi, ac nomen eorum funditus deletum.

Decimum quintum ſcribit fuiſſe *Schiſmaticum*, ubi diſſidiis Tunica Chriſti ſciſſa eſt in partes innumeras, ubi Bizantium expugnatum à Mahomete ac Imperium Orientale tranſit ad Turcas.

Decimum ſextum lamentatur extitiſſe *Hæreticum*, in quo totus propè Septemtrio ab avita defecit Fide, & in infinitas Sectas ac Hæreſes receſſit.

Noſtros denique nonaginta duos annos, quos hoc ſæculo viximus vocat ſæculum *apparens*, Iridi ſimile, ubi quidem colores pulchrè reſplendent, ſed ſine Realitate. Ita ille. Ego verò bonâ Authoris hujus veniâ Sæculum hoc noſtrum nomino *Bellicoſum* ſimul & *ingenioſum*, in quo Mars & Pallas Sceptra gerunt, in quo Mars per inaudita prius Mundo ſtratagemata belli, Pallas verò per recondita ſtudia & centenas inventiones novas in Europa triumphant.

Non memorabo hic ſubtilitates Theologorum, novitates Philoſophorum, Paradoxa Aſtronomorum, Aſtutias Juriſtarum: Tacebo de Tubis ac Theloſcopiis Mathematicorum, quibus longiſſimè diſſita, velut præſentia oculis noſtris obſervantur, quibus & minimas maculas in ſole luna & ſtellis ad oculum nobis repræſentant.

Non extollam artificioſum illum Tubum acuſticum Kircheri, quo in Monte

Monte Eustachiano per unam & alteram Leucam populum adiacentem velut Angelus è cœlis lapsus dissertâ voce, ad sacra alterâ die in monte celebranda convocavit.

Nil dicam de sclopis, qui non pyrio pulvere, sed aëre solùm onerantur, & tamen instar aliorum fortiter globos evomunt, quos ingeniosè Paulus Weber Viennæ excogitavit.

Nil memorabo de admirando Curru Stephani, qui non equis, sed solum beneficio ventorum tractus plurima milliaria intra paucos quadrantes confecit.

Tacebo Termoscopia Cornelij Treppel punctualiter gradus tempestatum seu caloris seu frigoris in vitro colli oblongi demonstrantia.

Tacebo admirandos modos auxilio magnetis, velut per litteras sensa & secreta animi amico absenti patefaciendi.

Solùm deprædicabo nobile studium Medicinæ, quod speculationibus suis novis, si tamen veris eò jam ascendit, ut non solùm per pulverem & emplastra sympathetica, teste Comite Dichbæo queat absentium vulnera curare, (a) verùm inauditâ arte per phlebotomiam novam desperato infirmo, unâ arteriâ apertâ sanguinem peccantem & vitiosum emittere, ac ejus loco mox in venas alterius arteriæ per artificiosos Syphones ex vena agni emissum sanguinem, rursus inspergere & instillare.

Testis horum est Anglia, Gallia & Italia, ubi experimenta novæ hujus artis, primò in canibus & equis; mox & hominibus cum operatione felici sunt facta Londini, (b) Venetiis, & Parisiis, uti Tankenius aliique celebriores medici utpotè oculati testes referunt.

AA. dilecti accingamur ergo ad sacram hanc Phlebotomiam, aperiamus venam non unam, sed plures, ut exeat quidquid impuri, venenati, putridi, aut super abundantis & peccantis est sanguinis in corde & corpore nostro.

Emittamus putredinem istam, qui jam propè in peccatis nostris computruimus, ac ab Immaculato Agno Dei, à BB, Martyribus, Confessoribus aliisque Servis Dei guttas sanguinis inspergamus, ut mentem nostram ad virtutem inflamment; gelu & frigus tepiditatis nostræ ex corde exturbent; pleuritidem conscientiæ nostræ sopiant; ardores malignæ ac pestiferæ febris extinguant; lethargum & somnolentiam in bonis operibus expellant; totum denique hominem terrestrem in cœlestem transforment: Nam si teste Marsilio Ficino aliorumque Naturalistarum steriles & arefactæ radices arborum ac fructicum sanguine humano madefactæ & tinctæ, de novo florere iterum incipiunt; cur

N non

(a) *Weber in arte discurrendi de inventionibus Cont. 9. exemplo 3.*
(b) *Ephemerides Eruditorum.*

non & guttæ sanguinis immaculati agni, ac Servorum Dei possint præstare aridæ, ac jam jam maledicendæ ficui, ut emortua & putrescentia corda peccatorum iterum denovo reviviscant?

Si Elephantes ostenso sanguine uvæ aut mori, uti 1. Math. c. 6. legimus, *ostenderunt eis sanguinem uvæ & mori, ut acuerent eos in prælium*; spiritus novos & fortitudinem accepêre, ut imperterritè hostium agmina rumperent, cur non & sanguis generosus Martyrum nos animet, ac confortet, ut certemus bonum certamen, cursum consummemus, donec coronam gloriæ reportemus.

Exemplo simili gloriosus noster Antonius Ordini nostro accessit: cùm enim Anno 12.19. SSmus Pater Franciscus quinque Fratres Bernardum, Petrum, Adjutum, Accursium & Othonem ad Mauros in Africam Evangelij, disseminandi causâ misisset, illique longo itinere emenso Marochium tandem appulissent, ac publicè Mahometis legem detestantes, Christi Evangelium prædicarent, (a) ac eapropter ab ipso Rege Maurorum Miramolino Maroci 1220 manu propria fuissent trucidati, corporaque eorum ex Africa Conimbriam advenirent, ac ad S. Crucis Cœnobium mirabiliter à Mula deportata ipso Rege ac Regina cum universo populo Sanctorum Cineres comitante ad altare summum deponerentur, moxque ingentibus signis ac miraculis corruscarent: S. Antonius Cœnobij illius Inquilinus visis his SSmis Corporibus sanguinolentis, ità in Spiritu exarsit, ut mox Ordinem nostrum ingressus ad simile certamen sese animarit. Verùm proinde est effatum Tertulliani: (b) *sanguis Martyrum, semen est Christianorum*. Nil enim aliud sunt Exempla Sanctorum, quàm calidæ & ardentes guttæ sanguinis, quæ ubi in nostras venas & cor inciderunt, mox in amore Dei nos accendunt & inflammant, ac ad viam virtutis inducunt Augustino teste l. 1. Conf. c. 2. *Exempla servorum tuorum, quos de nigros lucidos, & de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ, urebant & absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus & accendebant nos valdè, valdè.*

Vix viderat Bonifacius (nigerrimus priùs in conscientia Veneris Alumnus) Tormenta Martyrum in Tarso Ciliciæ; vix osculatus fuerat eorum manus & vulnera, vix sanguine eorum è membris defluente oculos suos linierat, cum subitò ità exarsit, ut & nobilissimus ipse paulò post Martyr evaserit, omnibus tormentis superior.

Quid mirum ergo si S. Augustinus dicat serm 3. de FF. Machab. *Martyr, cùm patitur, non sibi solùm patitur,*

(a) *Bernardus Sannius in Chronica p. 2. l. 1. c. 5.* (b) *Tertullianus in Apolog. capite ultimo.*

patitur, sed omnibus: sibi enim patitur ad meritum, omnibus ad exemplum, sibi patitur ad requiem, omnibus ad salutem.

Venite ergo omnes qui laboratis & onerati estis, & sanguis Christi ac Martyrum reficiet vos.

Ut itaque feliciter succedat cura, ante omnia ad reformandum conceptus humilitatis nostræ instillemus guttas quasdam benedictas in corda nostra avida, de sanguine immaculati Agni, hic innocens sanguis emundabit certò in corde nostro omne quod putridum, aut infectum invenerit: (a) *Si enim Paulo teste sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus sanctificat ad emundationem Carnis, quantò magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Heb. c. 9.*

Sanguis hic, ut ait Cornelius à Lapide, in Epistola 1. Petri, Balneum quoddam est pretiosissimum ad sanandos omnes animæ morbos, cunctasque virtutes conciliandas efficacissimum vigorem & spiritus novos diffundens in cordibus nostris.

Si efficax judicatum est à Medicis Balneum de sanguine Infantum ad lepram abstergendam præparatum Constantino M. Cæsari, meliùs & feliciùs hoc efficiet sanguis Christi, ac animam nostram ab omni lepra peccati emundabit, accidet nobis quod Naaman Syro, (b) qui cum septies in Jordane lavisset, mundatus est à lepra, & *restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli* 4. Reg. 5.

Post hunc pretiosum sanguinem inspergite venis vestris etiam non nihil de sanguine Apostolorum & Martyrum; (c) Isti enim sunt, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo, ut in fide & charitate Christi radicati nnnquam ab eo vos separari patiamini, ut dicere possitis cum sancto Paulo, (d) *Quis nos separabit à Charitate Christi;* sanguis enim Martyrum semen est Christianorum. (e)

Abundè hoc testati sunt Neo-Christiani Japones, & mundo monstrarunt, quàm generosos Spiritus in corde accendat cruor Martyrum. Cùm enim anno 1597. jussu Taicosamæ Imperatoris Japoniæ, viginti sex Martyres ad terrorem cœteris Christianis incutiendum Nangasaci in crucem essent acti, ac lanceis per præcordia transfossi? tantùm flammæ & ardoris erumpens sanguis è corde Martyrum (f) in pectoribus adstantium Christianorum accendit, ut mox Congregationem Martyrum instituerint, (g) cujus unicus Scopus esset pro Christo etiam sanguinem & vitam ponere, crevit adeò hæc sacra Congregatio, ut infra paucos dies ad tria millia Sodalium numerârit

N 2 Regula

(a) *Hebr. 9. 13.* (b) *4. Reg. 5. 10.* (c) *Eccles. in Breviario Romano de Apostolo.* (d) *Rom. 8. 35.* (e) *Tertullianus.* (f) *Cornelius Hazard.* (g) *Congreg. Martyrum in Haponia.*

Regula prima Sodalirij erat, si Frater bonis spolietur terrenis, ac confiscationem patiatur propter Evangelium Christi, fortiter id & patienter patiatur.

Regula secunda: Exilium, tormenta, mortem fidei causa omnes FF. pro lucro summo æstiment.

O quàm præclarè dixit Chrysostomus hom. 40. de SS. Juven. & Max. MM. *non horti aquis irrigati ità germinant, & fœcundi sunt, ut Ecclesiæ si Martyrum irrigentur sanguine.*

Ah utinam amatores mundi quibus pompa sæculi Idolum quodpiam est, quod diu noctuque adorant instilarent cordi suo vel unicam guttam ex venis Apostolorum Philippi & Jacobi, ex arteriis Francisci Alexij & Chalybitæ, qui totam mundi pompam pedibus calcarunt, & non solùm propter Christum reliquerunt omnia, sed quod perfectius est, secuti sunt Dominum, ah quàm citò fluxa mundi hujus spernerent, & cum Philippo dicerent, *Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis*: cum Francisco exclamarent, *Deus meus & omnia*, cum Alexio & Jacobono canerent. *cur mundus militat sub vana gloria cujus prosperitas est transitoria.*

Utinam illi Heluones, quorum Deus venter est, qui velitis etiam ab Ecclesia diebus à carnibus non abstinent, legis perfidi transgressores, sumerent stillas pauculas de Johanne Baptista, & Apostolo Jacobo, (a) quorum primi cibus erat mel silvestre & locustæ, ac fontana Jordanis, Jacobi verò linguam nec caro aut vinum unquam humectârunt! (b) ab his discere hi possent salutarem abstinentiam, ne aliquando audire cogantur illud Isaiæ c. 5. (c) *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.*

Utinam & in illos, qui in templis velut Elephantes altari adstant, & ad elevationem sacræ Hostiæ vix unum genu ad adorandum Numen incurvant; ex quorum ore vix per annum unum aut alterum *Pater* aut *Ave* stillat, cruoris aliquid ex genibus SSmi Jacobi stillaret; cujus genua ex assidua precatione ità induruêre, ut Camelorum instar callos obduxerint; utique hi melius exemplo S. Apostoli addiscerent adorare Deum in *Spiritu & Veritate.*

Utinam Vindicativæ Tigrides efferato suo pectori instillarent guttas nonnullas de stillicidiis Jacobi aut Stephani, quorum ambo sub imbre lapidum memores mansuetudinis Christianæ extensis in cœlum brachiis: pro hostibus sunt veniam deprecati: hi procul dubio discerent effervescentiam bilis moderari, ac condonatis offensis in hostium redire gratiam.

Utinam

(a) *Matt. 3. 4. Marc 1, 6.* (b) *Tyrin in Prolog. Epist. S. Jacobi* (c) *Isaias 5. 11.*

Utinam & Veneris mancipia evacuarent arterias à putrida tabe ac caloribus guttis ex Virgineis corporibus Sanctorum Nicetæ, Casimiri ac Thomæ Aquinatis emanantibus aspergerentur; discerent hi petulci à Niceta linguam in scorti faciem exspuere, discerent à Casimiro magis velle mori, quàm pollui & fœdari. Discerent demum à Thoma Aquinate fœdas has bestias ardente titione fugare.

O si in doloribus & afflictione positis animabus guttæ nonnullæ ex veniæ Laurentii, Bartholomæi, Lidvvinæ infunderentur, reputarent utique & illæ dolorosæ animæ cum Laurentio craticulam lectum quietis; cum Bartholomæo laudarent Dominum in tympano, cum Lydvvina ad 30. annos lecto affixa exultârent & exclamarent, *non sunt condignæ passiones nostræ ad futuram gloriam.*

O si demum in aberrantes Oviculas, in putrescentes peccatores vel unica decideret stilla cruoris ex Petri, Magdalenæ & aliorum pœnitentium sanguine, ah quantas mutationes cerneret orbis! stagnarent lacrymis ubique oculi, resonaret aër plenus gemitibus, lapidibus cum Hieronymo in omni loco tunderentur pectora; in auribus omnium audiretur terribilis ille tubæ sonus, *surgite mortui, venite ad judicium.*

O sacram & salutarem Venæ sectionem, per quam peccatorum lepra immaculati sanguine Agni emundatur!

O ter benedictæ sanguinis stillæ Apostolorum & Martyrum, quæ frigidis & tepescentibus Christianis sacro cruore generosos ad ardua quævis calores additis & terræ addictas animas ad cœli atria elevatis.

Laudetur immaculatus Agnus Dei cujus sanguis inspersus venis nostris ex peccatoribus facit Justos, ex mortuis vivos, ex inferni titionibus cedros Paradisii

Quid creditis Sebaste in causa fuisse, cur septem fragiles Matronæ ità fortiter Martyrium subierint, ut Agricolaus præfectus exclamarit, vah dedecus! ergone mulierculæ & infantes nos publico exponunt ludibrio? Ratio unica fuit, quia cum S. Blasius vinctus ac toto corpore laceratus ad carcerem duceretur, illæ stillantem de vulneribus S. Præsulis sanguinem legerunt, eoque tanquam purpurisso faciem suam liniverunt, hic fortitudinem ad Martyrium instillavit, Lippelo in Festo S. Blasii.

Lini, clamat Laurentius Justin. (a) "Lini, oculos tuos sanguine Christi, suoque livore tuis medere vulneribus, nulla esse valet ægritudo tam valida, nullus mœror, nulla tentatio, quæ non hujusmodi medicamento curetur, est quippè in eo redemptionis cruor, & purgationis lavacrum."

N 3 Phlebo-

(a) *De Triumpho Christi Agoniæ. Z. 1. Cap 21.*

Phlebotomiâ ritè peracta tria adhuc observanda restant. Primò non statim dormiendum, sed vigilandum: Secundó Diæta temperatè observanda: tertiò frigidus & nubilus Aër vitandus. Quid sunt obsecro hæc tria AA?

Vigilantia in Lege Domini monente Petro, (b) *Fratres Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret!* Vigilantia igitur opus est, ne ad Deum conversis, somnus & tepiditas in via virtutum obrepat.

Secundò Diæta est observanda, id est, passiones sunt frænandæ, ne vel in ira, vel amore, aliâve passione exorbitemus.

Tertiò Nubilus frigidusque aër est vitandus: id est, frigidi in amore Dei homines sunt fugiendi, Societasque prava vitanda, ne generosi Spiritus hausti ex sacro cruore MM. & Confessorum hâc Societate iterum infrigidentur.

(a) *2. Petri 5. 8.*



In

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.



Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis. Ecclesia.

Quis sapiens aliquando somniasset? cui in mentem venisset? quis fidem adstruxisset? futurum aliquando, ut arbores terræ, rationis expertes, discursus in capaces, politi es ignaræ, Comitia indicerent, serio mandantes; ut statuto tempore universæ adessent & communibus votis de Rege eligendo deliberarent, quæ ex ipsis sceptro aut purpurâ digna foret.

Res paradoxa hæc credi poterat, & tamen Jud. c. 9. Joathan Filius Gedeonis rebellanti Civitati Sichem Comitia hæc objecit dicens, *ierunt Ligna,*

Ligna, ut ungerent super se Regem &c. (a)

Statutâ igitur die comparuêre ad Comitia hæc ad Cœlos usq; porrectæ Cedri Libani; adstabant fortissimæ Quercus Basan; presto fuère virides Palmæ ex Cades, incomputribiles Cypressi ex Syon, latè Umbram suam diffundentes Platani ac triumphales Lauri, unaquæq; harum Coronam sollicitabat.

Cedrus allegabat altitudinem; Quercus monstrabat fortitudinem; Platanus gloriabatur in Umbra; Cypressus jactabat immortalitatem à carie; Laurus objiciebat securitatem à fulmine; Palma monstrabat virides comas, quas nec hyems nec æstas auferret: aliæ alias prærogativas allegabant, quibus dignas se sceptro autumabant; sed inventum est in unaquaq; earum quod sugillaretur.

In Cedro & Cupresso taxabant altitudinem, timentes, ne aliæ depressiores arbusculæ ab his spernerentur; in aliis culpabant nimiam duritiam, aut asperitatem, à quibus exigua compassio erga cœteras speranda; in aliis deniq; centeni alii defectus numerabantur, quo minùs sors in illas caderet; donec Vota omnium ceciderunt super Olivam, (b) *dixeruntq; Olivæ imperanobis*; *quæ noluit! dixeruntq; Ligna ad Ficum*; (c) *veni & super nos regnum accipe*; quæ noluit: (d) *Locutaq; sunt Ligna ad Vitem, Veni & impera nobis*; quæ & ipsa renuit.

His contrarietatibus perspectis sors tandem Coronæ devoluta est ad Rhamnum, (e) *dixeruntq; omnia Ligna ad Rhamnum, Veni & impera super nos.*

O Stultæ & insipientes Arbores! quid agitis? siccine Corona vobis est vilis, ut offeratis Oleæ? quid obsecro auxilii præstabit illa vobis? Si minimum quid ei accidat, exarescit, momento concipit ignem, & cinis est: quid ergo eam in regem eligitis?

Quid Ficui Sceptrum offertis? florem nullum progerminat, minimo frigore perit, & cortice nudatur quid auxilii sperandum?

Et cur in Regem abjectam Vitem eligitis? quodnam præsidium ab ea exspectatis? quæ ipsamet aliorum Lignorum fulcris est firmanda, ne humi serpat; cujus Ligna ad nihil aliud valent, nisi ut ardeant, & in cineres eant.

Rhamnum stultiùs elegistis, cui pro foliis & fructu est solùm pungens spina, quis hîc se fricet?

Erraftis toto cœlo in electione vestra: Si enim Coronâ & Sceptro dignam quæsiistis arborem, dignior & sanctior nulla fuit inter omnia Ligna silvarum, quàm Arbor SacroSanctæ Crucis, cujus Inventionem hodiernâ die cum jucunditate celebrat Ecclesia: hanc igitur postquàm inter omnes Coronâ dignissimam vobis

(a) *Ibid. v. 8.* (b) *v. 8.* (c) *v. 10.* (d) *v. 12.* (e) *v. 14.*

vobis demonſtravero, etiam Vota veſtra & electionem Crucis collimatura nullus dubito.

Tria bona habet Arbor; florem, folia, fructum; nobiliſſimum tamen horum trium eſt fructus: Unde mellifluus Bernardus ſerm. de Nicodemo ait, *fructus exaltat Arborem:* hæc omnia de crucis Arbore deprædicat Eccleſia, dum hymno hodierno canit (a)

Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis:
Nulla ſilva talem profert
Fronde, flore, germine.

Extollant licet comas & capita ſua Cedri & Cupreſſi, ac vanè jactitent incorruptibilitatem à carie; de Sacra tamen Cruce veriùs cum B. Panthaleone teſtari poſſumus, quod ſit Arbor immortalitatis, & Planta incorruptionis. (b)

Erigant ſe Platani, & glorientur in umbra ſua, quæ adeò Xerxi ſub ea requiem capienti placuit, ut aureo eam diademate cinxerit: dignior monili aureo eſt Crux Chriſti, beatus ille, cui ſub umbra ejus quieſcere eſt conceſſum.

Magni faciant Coronati Vertices Palmas & Lauros; his tempora cingant; triumphalis Arbor ſemper manebit Crux Chriſti.

Deprædicent Japones odoriferam Arborem *Calambo* ſeu Lignum d' Aquila, cujus unicam libram ad ſe ex inacceſſis Montibus Cochinchinæ (c) delatam 40. Philipeis ſolvunt, at longè prætioſior eſt Crux Chriſti, verè beata *ex cujus brachiis pretium pependit Sæculi.*

Glorietur Inſula Ceilanum de admiranda Arbore, quæ in altiſſimo monte dicto (d) *Pico d' Adam* modicæ altitudinis, at latis foliis excreſcit, ac de nocte ſplendet, & tenebras luce ſuâ illuminat: Gloriam tamen ſuam hæc cedere cogitur Cruci Chriſti, de qua (e) Ven. Beda ait, *Lumen Chriſti Crux eſt, per quam Orbem illuminavit.*

Adorent propè Mexicani Arborem ſuam *Tetlariam* ſeu *Guäo*, liquorem lacti propè ſimilem ſtillantem, (f) quo lepram corporis, ſcabiem capitis, alioſq; incurabiles morbos perſanant: adſcribenda magis erit hæc qualitas ſalutiferæ Cruci, de qua S. Ephrem ait (g) *Crux ægrotorum eſt medicina, Leproſorum purgatio, paraliticorum erectio.*

Deprædicent Mexicani virtutem alterius Arboris *Hoizmamaxal* dictæ, cujus folia veneno potenter (h) reſiſtunt & curant morſus ſerpentum; Cruci debetur hic titulus, quæ contrivit caput ſerpentis, à quo miſerabiliter

O

(a) *Eccleſ. in hym.* (b) *Serm. de Exolt. S. Cru.* (c) *Happel in Mund. mirabil.* (d) *Schottus in Phyſ. Curioſ.* (e) *V. Beda lib. 3. cap. 2 in Samuelem* (f) *Seyfrid in medulla.* (g) *S. Ephrem ſerm. T. 3. de S. Cruce, Item Chriſ. T. 3. Ser. de Cruce.* (h) *Nierenb. hiſt. naturali.*

biliter primi nostri parentes fuerunt intoxicati.

Infinitis laudibus extollat Insula Ferro, una ex Canariis, omni scaturigine aquæ ac pluviis destituta, (a) admirabilem suam Arborem ab Hispanis *Sanctam* dictam, quæ semper viridis, continuâ nebulâ est involuta, quæ si paulatim per folia nuci similia resolvatur, sufficientissimas aquas Incolis ad omnem usum, deorsum depluit: præclarior longè est Crux Christi, (b) de qua S. Leo ait, *Crux fons est omnium benedictionum, causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, Vita de morte.* Ex arbore Crucis Bernardo, teste, defluunt quotidie rivi gratiarum ac flumina benedictionum, omnes sitientes ad salutarem potum invitantes, Unde exclamat Bonaventura S. 2. de S. And. *Semper lignum Crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, & Oleum lætitiæ stillat, Balsamum sudat Spiritualium charismatum, non est silvestris Arbor, lignum vitæ est apprehendentibus eam.*

Glorietur deniq; Nòva Hispania & liberalitatem admirandam deprædicet Arboris suæ *Maguey* seu Palmæ indicæ, quæ victum, amictum, potum & cibum ad miraculum ipsis subministrat; dum cortex contusus in pulverem pro medicina servit; dum medulla pinguedinem habet, (c) oleum optimum subministrans; dum rami ejus curvati & abscissi liquorem destillant, ex quo Indi variâ arte, (d) saccarum, vinum, lac, butyrum, (e) & acetum conficiunt: dum ex foliis chartam & materiam vestium & pileorum conficiunt.

Hæc laus sola S. Crucis est, cujus altera tantùm est Umbra: ò quàm benedicit S. Ephrem hom. 3. de S. Cruce, *Crux cibus est esurientium, fons sitientium, nudorum tegumentum: ò ineffabilem atq; immensam benignissimi Dei bonitatem, qui tot & tanta bona per crucem generi humano donavit, gloria ipsius benignitati, & adoratio, atq; imperium in sempiterna sæcula.*

Ulterius pergit in Laudibus Sanctissimæ Crucis S. Chrysost. hom. 4. de cruce; *Si nosse desideras virtutem Crucis, audi. Crux est spes Christianorum, Cœlorum dux, claudorum baculus, Consolatio pauperum, periclitantium Portus Tribulatorum requies, scutum perpetuum, adversus dæmones triumphus:* verè (f)

Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis,
Nulla silva talem profert
Fronde, flore, germine.

Cunctis accidet, quod arboribus circumstantibus in India (g) *Gariophyllum Regium*, qui solùm nascitur circa Amboinum, Ternate, & Tidor, coram quo cœteræ circumstantes, quando hic flores emittit, sese curvant &

(a) *Seyfrid Benzo. Dapper.* (b) *S. Leo Serm. 8. de Pass. D.* (c) *Maphæi.* (d) *Pigafeta.* (e) *Boterus.* (f) *Eccl. in hym.* (g) *Seyfrid in medulla.*

vant, & velut honorem regium deferunt.

In consideratione harum qualitatum exclamat Bernardus ser. 28. *O verè cœlestis Planta, pretiosior cunctis, Sanctior universis, ò verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare Jesum salutis fructum*; digna ergo Coronâ & Imperio, digna, antequam omnes reliquæ sese incurvent, & adorent fructum ejus; & hoc ex prærogativa triplici.

Estq; Titulus primus ad Coronam quia sanguine Christi est tincta, A membris ejus sanctificata, cui ipse Filius Dei humeros suos subjecit.

Vigorem & gratiam omnem à Rore & Pluvia accipiunt arbores, sed Crux Christi gratiam & virtutem imbibit à Sacro sancto sanguine Salvatoris, quo tota tincta est & irrigata: Verè beata Arbor, cujus brachiis pretium pependit Sæculi.

O quanta tibi gratia facta est Arbor Sanctissima! Magna quidem gratia contigit Præcursori Baptistæ, qui verti em Christi Jordanis meruruit tingere lymphâ.

Magna gratia facta Judæ, cui non denegatum labia labjis apprimere Christi. (a)

Maxima gratia facta Joanni, (b) cui in cœna datum recumbere super pectus Domini.

Maxima gratia facta Petro, (c) quem jam jam mergentem dextera Christi erexit & è fluctibus maris eduxit.

Magna gratia facta Magdalenæ, (d) cui misericorditer pedes suos Dominus ungendos & deosculandos præbuit.

Sed tu, ò Crux, omnia & singula membra Christi attigisti, Te Te amplexus est ambobus brachiis, te humeris suis portavit ad montem Calvariæ, in te extendit manus & pedes suos clavis terebrandos: Te sanguine suo & lacrymis aspersit, & ultimum deniq; spiritum cum clamore valido tibi impressit.

Verè *Arbor decora & fulgida ornata Regis purpurâ*, (e) *digna tam Sancta membra tangere.* Hinc (f) Ecclesia in Parasceve canit, *Ecce lignum crucis, in quo Salus mundi pependit! Venite adoremus.*

Hinc etiam Justinus in Apologetico scribit, *magna vis & dignitas ✠ cui ipse Dominus humeros subjecit.*

Omnes reges terræ Christo colla sua subjiciunt, & sub eo curvantur, qui portant orbem terræ, at Christo Crux dominatur, huic soli subjicit humeros, hanc solam amorosè amplectitur, & in ea exspirat.

Titulus alter ad Coronam est, quia à ligno regnavit Deus & in eo triumphavit. Fatetur hoc expressè (g) Ecclesia canens, *O Crux Ave super omnia ligna Cedrorum: tu sola excelsior, in quâ vita mundi pependit, in qua*

(a) *Luc. 22. 48.* (b) *Joann. 13. 25. & 21. 20.* (c) *Marc. 14 31.* (d) *Luc. 7. 39.* (e) *Eccles. in hym. Vesper.* (f) *Eccles. in Offic. Parasc.* (g) *Eccles. in Offic. S. Crucis.*

Chuistus triumphavit, & mors mortem super vit.

Hinc Auguſtinus ait, (a) *domuit Orbem non ferro ſed ligno.* Hinc & Chryſoſtomus ait, *Crux ipſa regni inſigne eſt, & propterea Jeſum Regem appello, quia video Crucifixum.* Maſcenius in f. S. Crucis.

Coronam non ſemel Chriſto, & Regnum Judææ obtulère Iſraelitæ, at ſemper, ubi cognovit quod venturi (b) eſſent eum rapere & facere Regem, fugit in ſolitudines, & in cavernis montium ſe abſcondit: Ubi verò levatus eſt in crucem, titulusq; regius *I. N. R. I.* ſuper caput ejus fixus, promptiſſimè illum admiſit; oſtendens ex throno Crucis regnum ſe auſpicaturum: quod advertens latro mox clamavit ac primam regiam gratiam poſtulavit, (c) *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum*, moxq, audivit aſſenſum Regis, *hodie mecum eris in Paradiſo* (d)

Si benedictum eſt lignum, per quod fit Juſtitia Sap. 14. quantâ benedictione conſignatum erit lignum Crucis, (e) per quod facta eſt miſericordia? *per lignum ſervi facti ſumus, & per crucem liberati ſumus: Fructus Arboris ſeduxit nos. Filius Dei redemit nos*, Unde ſubdit Bernardus: (f) ſi te Regem, o JEſu, quæro, circuire poſſum Cœlum & terram, mare & aridam, & nunquam inveni te, niſi in Cruce; Crux thronus tuus eſt; ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie, quem thronum conſiderans S. Auguſtinus tract. 17. in Joan. ait, *Grande ſpectaculum, ſed ſi ſpectet impietas, grande ludibrium, ſi pietas, grande myſterium; Si ſpectet impietas deridet regem pro virga regni, lignum ſui portare ſupplicii, ſi pietas, videt Regem bajulantem lignum, quod fixurus erat aliquando in frontibus Regum.* Unde in Pſal. 44. ait, *attende gloriam Crucis Chriſti, jam enim in Fronte Regum Crux illa fixa eſt, cui inimici inſultaverunt.*

Laus tertia & Titulus ad Coronam eſt, quia Crux Chriſti nunquam putreſcet, ſed in diem Judicii reſervabitur: (g) Hoc enim ſignum erit in Cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit Matth. 24. & hoc quidem ad conſolationem juſtorum, & ad terrorem impiorum, ut ait Chryſoſtomus hom. 1. de Cruce. Sententia eſt communis. ita Waldenſis tom. 3. de Sacrament. tit. 20. cap. 198.

Paulus de palatio in Math. Cornel. Chryſoſt. hom. de Cruce & Latrone.

Auguſtinus & Cyrillus Cathec. 15. imò 3. poſteriores, teſte Cornelio, docent hanc ipſam crucem ab Angelis, ante Judicem præferendam. Auguſtinus Serm. 130. *præcedet exercitus Angelorum, qui Signum illud, id eſt*

(a) *S. Aug. in Pſal. 54.* (b) *Joan. 6. 15.* (c) *Luc. 23. 42.* (d) *v. 43.* (e) *Eccleſ. in Exalt. S. Crucis.* (f) *Bernard. Serm. de paſſ. Domini.* (g) *Eccleſ. in Offic.*

est, triumphale Vexillum sublimibus humeris deferentes, divinum Regis cœlestis ingressum terrestrium mentibus nuntiabunt: prædixit hoc ante plura sæcula, Sybilla l. 6. orac.

O lignū felix, in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis
Cū renovata Dei facies ignita micabit.

Unde Cornel. in c. 55. Isaiæ ait, Crux Christi in cœlis quasi æternum Christi trophæum statuetur & rutilabit. Jam non miror cur David Ps. 95. dicat, *tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini, quia venit judicare terram, jubilabunt* utiq; & *exultabunt* cuncta ligna sylvarum, cum videbunt crucem ita sublimatam, ità in cœlo resplendentem; exultabunt, cum cernent opprobrium & maledictionem à Cruce sublatam velut Reginam Arborum in cœlo ità gloriosè triumphare.

Econtra *tunc plangent omnes Tribus terræ.* Math. 24. plangent Judæi, quia Crux ipsis Scandalum & abominatio fuit; plangent Gentiles, quia Crux Christi ipsis stultitia est visa; plangent Christiani, quia signum salutis non agnoverunt: plangent Reges, Principes, & Præsules, qui licet in coronis & mytris fixam habuerint Crucem, memoriam tamen illius in cordibus extinxerunt.

Plangent cum cœteris Crucis Osoribus Lutherus & Calvinus, qui dicteriis & Sarcasmis Crucem sunt detestati, è templis eam eliminantes, ac in cinerem redigentes; Sacrilego ore Catholicos desperatos nebulones vocitantes, qui fingere non erubuerint lignum Crucis mirabiliter crescere, non advertentes quod S. Paulinus Ep. Nolanus Epist. 11. ad Severum scripserit Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pænè quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat &c. paulò post, sed istam imputribilem virtutem. (a) *Imputribilem Virtutem, & indetribilem soliditatem Crux Christi de illius carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non sensit corruptionem.* Videatur Gretserus l. 1. de S. Cruce cap. 77.

Planget Lutherus radiis Crucis perstrictus, & amerè deplorabit scommata & Sarcasmos contra Crucem effusos, maximè cum scripsit, tot particulas à Cruce decisas à Papistis hinc indè monstrari, ut ex illis sat magna domus fabricari queat.

O stultum & insipiens caput! nunquid omnipotenti ligatæ sunt manus? an non is, qui ex 5. panibus multiplicatis tot millia hominum pavit, etiam multiplicare queat particulas Arboris Crucis? an non Deus, qui ad diem Judicii putrida & in cinerem redacta ossa hominum reintegrare & reproducere novit, non queat reproducere & adunare abscissa ligna Crucis? *Crux contra eos perorabit*, ait Hier. (a)

Ah quantum trepidabunt hi inimici Crucis, dum oculis cernent,

(a) *Cyrillus Hierosolymitan Catechesi 10.* (b) *S. Hieron. Epist. ad Heliodor.*

quantum nunc ea sit exaltata; quomodo coram ea omne genu curvetur, cœlestium, terrestrium & infernorum; ah quanto cum ululatu clamabunt hi miseri, heu nos insensatos! qui Crucis honorem æstimabamus insaniam, & finem illius sine honore; ecce quomodo in cœlis nunc rutilat & triumphat; ò nos miseros & insensatos! pereat dies, in qua nati sumus, pereat nox, in qua concepti fuimus.

Exultabunt è contra Justi & lætabuntur in aspectu hujus signi amabilis, quod omnem lacrymam absterget ab oculis eorum.

Ultimò demum & ipse Christus calculum ad coronam, Sanctissimæ Cruci visus est dare, dum libentiùs in brachiis Crucis, quàm in amplexu dilectæ Matris inclinato capite mori voluit, Sacræ Cruci tanquam instrumento salutis, (a) quo salutem operatus est, in medio terræ ultimum honorem profundâ inclinatione capitis exhibens, & eam Reginam arborum constituens.

Ave ergo millies Crux benedicta! mille osculis suavianda, mille sacris amplexibus stringenda, mille mille laudibus & præconiis deprædicanda; ad te anhelare est pietas, te ferre est gloria, in te mori est consolatio & salus.

Totus orbis, ut ait (b) Rabanus Episcopus Moguntinus, te ò Sanctissima Crux beatificat, te Cœlorum agmina collaudant, coram te genua flectunt Reges & Principes: O Crux pretiosa! tu excelsior es Cedris Libani, dignissima Coronâ & Imperio, quod doctè innuit Calixtus III. Papa pingens in Symbolo suo Crucem super tiaram Pontificiam cum inscriptione *Omnes Gentes servient ei.*

Optimè ergo hodie S. Ecclesia cum exultatione & gaudio Inventionem Crucis celebrat, per quam nobis Porta cœli est reserata, per quam Chirographum peccatorum nostrorum est delatum, per quam salus perdita est reparata.

Gloriemur ergo hodie Fratres in Cruce Domini nostri JEsu Christi, in qua est vita, salus & resurrectio nostra, per quam salvati & liberati sumus.

Sed heus boni Viri, æq; Cruces Spirituales, quas vobis Deus immittit, sunt honorandæ ac ipsissima S. Crux; quia eadem virtus illis à Deo est indita, æq; participant, de passione & cruore Domini æq; sunt Clavis Cœli, æq; hæ magni ac illa sunt æstimandæ, æq; patienter ac illa à Domino, nostris humeris ferendæ, æq; ac illa ardenter desiderandæ, æq; cum gaudio ac illa acceptandæ, Turpe enim est si ad Crucem ferendam cogendi simus, & angariandi, ut Simon Cyrenæus. (c) Salutandæ illæ potiùs cum Andrea sunt de longè, ac in quacunq; tribulatione dicendum, *Salve Crux pretiosa.*

Si morbo tentaris dic à longè, *Salve Crux pretiosa.*

Si calum-

(a) *Psal. 73. 12.* (b) *Raban. de laude Crucis.* (c) *Marc. 15. 21.*

Si calumniâ appeteris, si in fortunium pateris, si damnum incurris, semper cum Andrea de longè clama, *Salve Crux pretiosa, diu quæsita ardenti animo concupita.*

At teste Thoma de Kemp. l. 2. c. "12. durus multis videtur hic sermo, "abnega temet ipsum, & tolle Cru- "cem tuam & sequere JEsum, sed "multò durius erit audire illud ex- "tremum Verbum, (a) *discedite à me maledicti in ignem æternum*, qui Sanctissimam Crucem inhonorastis, & Cruces, quas humeris vestris injeci, portare noluistis; ò quàm benè "citatus Author scripsit. 2. c. 11. ha- "bet JEsus nunc multos amatores "regni sui cœlestis, sed paucos bajulatores suæ Crucis. Concludo ego sermonem cum illo, & omnibus inculco, *quid times tollere Crucem, per quam itur ad regnum & requiem æternam.*

(a) *Matt. 15. 41.*



IN

IN FESTO S. ANTONII DE PADUA.



Viderunt Inſulæ & timuerunt, extrema terræ obſtupuerunt, Iſa. 41.

Quis mihi tribuat, ut ſonorus hodie exiſtam Tubicen ac intenſo tubæ meæ clangore, ad ſolemnitatem B. Antonii celebrandam, univerſum quà latè patet convocem Orbem! ad normam illam, quâ Germaniæ decus Athanaſius Kircherus, in monte S. Euſtachij ad veſperam cunctos circum circa adjacentium pagorum inquilinos, ad aliquot milliaria diſtantes Tubo ſuo acuſtico velut

velut Angelus Dei ad solemnitatem ibidem in crastinum peragendam convocavit.

Quis mihi det, ut artificiosus hodie fiam Apelles, ac ingenioso penicillo depingam vivis coloribus, non Alexandrum M fulgurante dextrâ metuendum, sed grandem Antonium in cœlesti gloria refulgentem!

Quis mihi tribuat, ut existam hodie portentosus Archimedes, qui geometrico Quadrante, non terrarum spatia, aut regnorum longitudines, sed præclara merita, ac immensam gloriam Antonii condigno pede dimetiar.

Quis mihi tribuat, ut sim hodie Phidias, Lysippus aut Praxiteles, qui ex auro, aut candido ebore, non Minervæ, vel Jovis Olympi, sed Antonij Paduani sacram Statuam & Imaginem sculpam ac elaborem cælaturâ tali, cui similem nec Roma nec Athenæ aspexêre; quam totus obstupescat Orbis.

Quis mihi tribuat, ut in famosum hodie transformer Livium aut Curtium, qui non Alexandri aut Romanorum gesta, sed portentosa Antonii per orbem miracula erudito calamo in grandi ac regali volumine describam.

Quis mihi tribuat linguam Chrysologi, quis mihi concedat Os aureum Chrysostomi, ut eloquentiâ debitâ laudem, extollam, ac deprædicem Antonium.

Quis mihi demum tribuat, ut novus hodie fiam Briareus, vel Ægeon qualis, (a) centum cui brachia dicunt, centenasque manus: haberent abundè centenæ dextræ quod laborarent ac desudarent, tam in extruendo theatro honoris, quàm erigendis Arcubus ac Obeliscis, nectendis gloriosis sertis & coronis triumphantis hodie in cœlo magni Antonij.

Sed prô dolor! vota mea sunt irrita, desideria vana, conceptus inanes: deest mihi Tuba Kircheri, deest penicillum Apellis: absunt circini Archimedis, scalpra ac manus Phydiæ, abest facunda penna Livii, aureum os Chrysostomi, desunt mellea verba Bernardi: Unde id unicum restat, ut cum Jeremia exclamem A. A. A. Domine nescio loqui Memor igitur tenuitatis, ac nihili mei utpote cui ingenium sterile, sermo incultus, vox blæsa, lingua indiserta, eloquium nullum, ne agresti oratione potius dehonestem quàm laudem Antonium, consultò tacebo, ac bonâ veniâ vestrâ alios Oreatores constituam, qui laudes Antonii enuntient.

Favete auribus.

Iisdem verbis, quibus olim Christus Apostolus suos est allocutus, dum pertransiret partes Cæsareæ Philippi, ac diceret, (b) *quem dicunt homines esse filium hominis?* & vos hodie alloquor ò illustres civitates, Ur-

(a) *Virgilius* 10. *Æneidos.* (b) *Matt.* 16. 14

bes & Emporia, quem dicunt homines esse Antonium?

Audio vos uno ore respondentes iisdem verbis, quæ olim Petrus Damiani de SSmo. Episcopo Nicolao protulit: (a) *Glorificatur in Mari, laudatur in terra, in omnibus periculis invocatur, miracula ejus per totam latitudinem mundi diffunduntur.* Optimè respondistis: sed non contentor hoc responso, particularia enim judicia exposco.

Age Ulysippo Urbs regia, Metropolis Lusitaniæ, quæ primam vitalem auram Antonio dedisti, quid censes de Antonio? quem dicunt homines esse Antonium? quemnam titulum honoris eidem tribuis?

Audire mihi videor ab hac Urbe regia, voce lugubri reponi sequentia.

Nunquam credidissem Antonium "meum adeò immemorem futu-"rum Matris ac Nutricis suæ, ut eâ "derelictâ, nomine Ferdinandi depo-"sito, in peregrinis oris spreto san-"ctissimorum Ascetarum consortio "sanctitatem inquireret, alienas ter-"ras beneficiis ac portentosis mira-"culis impleret, natali solo, matre "& fratribus suis derelictis: sed quia "vocantem Deum est secutus, pati-"enter hæc fuêre toleranda.

Gaudet nunc mater Ulsiyppode "tam grandi filio, cui magni Thau-"maturgi nomen ingentia per orbem "peperêre prodigia.

Lætatur & gratulatur sibi vita m dedisse Antonio, qui centenis aliis, imprimis verò parenti suo vice alterá vitæ prolongavit stamina, admirandâ postâ per millena milliaria Ulysipponem ex Italia ministerio Angelorum momento delatus, ubi desperatam Genitoris sui causam non solùm defendit, sed intentatum jam acinacem à jugulo ipsius avertit; ac mox hoc pietatis officio perfunctus eodem temporis articulo priorem in Italiam viam relegit, corona quercinâ veteri] Romanorum more coronandus, quia non civem, sed Genitorem ipsum à morte servavit: Uude Titulum ei tribuo novi cujusdam Habacuc, qui, uti ille ex Judæa repentè in Babylonem est raptus, ac fame jamjam pereuntem Danielem servavit, ità & ipse à parentis cervice mortem præsentem evertit.

Vera dicit civitas regia: actum fuisset de optimo parente, nisi in tempore periclitanti subvenisset Antonius.

Quæstoris regij officium gerebat Parens, homo antiqui moris, qui itendidem iis, qui aulicis muneribus fungebantur; aliquid vel de suo petentibus, vel mutuum rogantibus, ex ære publico depromebat non petito chyrographo, quo fidem accepti facerent; cum verò rationes dati acceptique urgerentur, pernegarunt illi quidquid sibi datum. Vir invocens ergo humano nudatus præsidio ad divinum confugit. Illuxerat jam

(a) *Bernardus serm. 2. de S. Nicolao.*

rat jam dies 5. decretoria, quâ Antonij Pater à Senatu regio repetundarum postulatus comparere jussus est in judicio; quo se verteret miser omni cautione & syngraphâ destitutus? dum ita consternatus hæret, necquid respondeat habet: Ecce vir religioso habitu venerandus ingreditur, ac torvo supercilio præsétes intuens, nominat diem, horam, locum, monetam accepti ab illis argenti, fraudes manifestat, & minas intentat Numinis: obriguère ad inopinatum causidicum ministri regij, moxque datis syngraphis accusatum judicio liberarunt. Nec hoc satis:

Duplicavit Antonius beneficium, quando eidem suæva calumnia oppresso suppetias æquè mirando prodigio tulit Homicidium quidam sicarius patrârat memorata in Urbe, ac ut crimen lateret, cadaver in horto parentis Antonij contiguo inhumavit: rumor spargitur crimen ad ædium illarum dominum pertinere; subornantur falsi testes, habetur fides mendacio, capitis damnatur iterum innocens pater: re pridie divinitus intellectâ Antonius à Superiore licentiâ petitâ quasi tantisper in apricum prodeundi repentè velut alter Habacuc Patavio Ulyssipponem iterum deportatur, præfectum rerum capitalium convenit & obtestatur, ne insonti sanguine manus com naculet, in signum innocentiæ ex t imulo occisum ad vitam revocat, qui ubi testimonium innocentiæ reddidit, mox absoluto à vinculis patre Patavium rursus revectus est in cœnobium Ribadeneira. Surius. Pexenfelder historia duodecima. Vivat Igitur Antonius novus Habacuc, veredario celeriore usus, quam ipse Phœbus.

Quid tu docta Conimbria, sedes sapientiæ & scientiarum ais? quem dicunt homines esse Antonium? Respondet illa experta sum Antonium omni tempore morigerum discipulum, devotissimum ac religiosissimum in Asceterio S. Crucis: instruxi illum liberalibus disciplinis instillavi illi pietatem cum scientia SS. rum, sed non arriserunt ei epomides doctorum, vel mitræ Abbatum, ad altiora aspirabat mens Antonij: nam quamprimùm intellexit quinque S. P. Francisci Asseclas Marochij in Africa ob prædicationem Evangelij à Barbaris funestâ morte interemptos, ac sacra eorum pignora plurimis miraculis jam clara à Serenissimo infante Petro Conimbriam adducta, ita sacro desiderio Martyrij exarsit, ut multis lacrymis & precibus à Prælato suo obtentâ licentiâ mox habitum humilem B. Francisci susceperit, ac paulò post fundendi sanguinis pro Christo avidus trans mare ad Africæ littora abnavigârit, nullis adhortationibus amicorùm, cœptum ejus iter retardare valentibus, in quò itinere teste Rudolphio non alia suspiria, die noctuque audiebantur, quàm, misericors Deus, quandò præstabis mihi, ut lictori ferire parato, poplites meos flectam: putasne videbo, putasne experiar aliquádo, quod

totis præcordiis concupiſco !

Hinc titulum ei aſſigno Martyris in deſiderio, ac eum SSmo. Martino Pontifici æquiparo, cui æque acclamari poteſt quod Martino, O ſanctiſſima anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen Martyrij non amiſit. Vivat ergo vir deſideriorum Antonius, cui non voluntas Martyrio, ſed voluntati Martyrium defuit.

Fare & tu Meſſana: quid ais de Antonio? Reſpondet illa: ſtitit quidem ventis contrariis ex Africa pulſa navis ad portum meum, Antonium, ſeb ægrum, debilem, & afflictâ valetudine: cum charitate ſuſcepi eum nec aliud de eo habeo dicere, quam fuiſſe in patientia joboparem, in humilitate verum Minoritam. In teſtem adduco refectorium Meſſanenſe, in quo cum Antonius totus innocens à P. Quardiano aſceta nimium rigido, ob culpam quam non admiſerat, acriter eſſet correptus, ita humili & patienti animo correptionem pertulit, ut nec minimo verbulo excuſationem ullam prætenderet, multò minus contradiceret: in cujus humilitatis ſignum locus, ubi in genua procubuerat Antonius nulla ratione lapide firmari impoſterum potuit, unde in hodiernum diem ad perpetuam humilitatis memoriam locus lapide vacuus clathris ferreis eſt obductus, ſimile quid præferens veſtigiis impreſſis in monte oliveti. Abraham de S. Clara in Juda f. 325. Interì cumà me diſcederet Antonius litteris ejus dimiſſorialibus nil aliud inſcripſi, quàm quod, *Pius prudens, humilis, pudicus, ſobrius, caſtus* fuerit & *quietus*.

Triumphet ergo in gloria Antonius humilis Minorita. Ita.

Audiamus quid Æmilia de Antonio dicat: quem dicis fuiſſe Antonium? Reſpondet illa, à Fratre Gratiano redeunte à capitulo generali recommendatus eſt mihi Antonius, recepi eum cum gaudio, paulòque poſt transmiſi eum ad horridam eremum S. Pauli, experti ſunt inibi in Antonio antra & ſcopuli novum in vigiliis & precibus Hilarionem & Macarium: in ſilentio Agathonem & Pachomium: in contemplatione Stylitam & Arſenium: in paupertate Beſſarionem & Alexium: in caſtigatione corporis Paulum & Hieronymum: in jejunio denique & abſtinentia novum Johann. Baptiſtam ita enim carnem jejuniis, abſtinentiâ vigiliis & precibus afflixit Antonius, ut horâ refectionis inſtante, nutante præ nimia imbecillitate greſſu, ſeipſum interdum vix ſuſtentare poſſet, utique in veritate verba pſalmi centeſimi octavi uſurpare valens, (a) *genua mea infirmati ſunt à jejunio:* Unde illum comparo Paulo caſtiganti corpus ſuum & magno illi Joanni Baptiſtæ, de quo Evangelium ait Math. c. 11. erat (b) *Joannes non manducans neque bibens.*

Et quid tu cenſes Forum Livii de Antonio? verbo dicam: abſque lucerna Diogenis, deprehendi ego luce clarius

(a) *Pſal.* 108. 24. (b) *Luc.* 7. 33.

„clarius in Antonio Doctorem ab-
„sconditum: cum enim Alumni S. P.
„Dominici ad ordines suscipiendos
„missi ad me diverterent, ac rogati,
„ut verbum salutis & consolationis
„proferrent, tanquam imparatos de-
„missè se excusarent, Minister loci il-
„lius ad Antonium confessus (cujus
„eruditio & sapientia hactenus late-
„bat, quique plus ad culinæ vasa elu-
„enda, quàm ad verbum Dei prædi-
„candum credebatur aptus) age ait,
„Antoni, dic verbum salutis, fare
„quidquid tibi suggeret Spiritus S.
„Antonius reverentiâ factâ volens
„libentius humilitatis pallio occul-
„tare acceptam à Deo sapientiam,
„verecundè sese cum Moyse excusat,
„dicens: (a) Obsecro, venerande Pa-
„ter, *non sum eloquens ab heri & nudius*
„*tertius, impeditioris enim, & tardioris*
„*linguæ ego sum*, habe me excusatum,
„at cum obedientia Prælati urgeret,
„neque tergiversandi locus ultra da-
„retur, ascendit demum pulpitum,
„ac tanto verborum pondere, sen-
„tentiarum varietate, mysteriorum
„altitudine dixit, ut cuncti obstu-
„pescerent ac dicerent, (b) *nun-*
„*quam sic locutus est homo:* sic qui
„prius in lavandis lebetibus occu-
„pabatur, subitò factus est Vas
„electionis; quæ rudis idiota puta-
„batur, apparuit Doctor abscondi-
„ditus; qui latebat hactenus sub
„modio humilitatis, positus est su-
„per candelabrum, ut luceret omni-
„bus.

„Moysi ergo eum æquiparo, qui
„dum præ humilitate balbutientem
„suam linguam missioni Dei osten-
„dit, constitutus est à Domino Deus
„Pharaonis: (c) nam teste Gregorio
„Magno in Pastorali t. 1. f. 872. *Hu-*
„*miles dum se dejiciunt, ad Dei similitu-*
„*dinem ascendunt:* Hinc tritum illud,
„Scientia ornat Religiosum, sed vir-
„tus & humilitas eum coronat.

Ad te venio Ariminum: ain quem dicunt cives tui esse Antonium? Vox
„omnium est, Antonium novum exi-
„stere Arionem non lyrâ aut testudi-
„ne, sed sacra facundia Verbi Dei ad
„litus, ubi flumen Marochia se in ma-
„re præcipitat, ad audiendum sermo-
„nem Domini, Balænas, Delphinos,
„Rhombos, Mugiles, Murænas sua-
„vitate vocis pertrahentem. Cùm
„enim aliquando obstinati hæretici
„Conciones ejus audire recusarent
„& contemnerent, excusso de pedi-
„bus pulvere egressus ad mare con-
„vocato universo squamigero grege
„concionem suam ita est exorsus.

„Audite Cete grandia, & omnia,
„quæ moventur in aquis: Verbum
„Dei loquetur os meum ad vos:
„Magnus Dominus & laudabilis ni-
„mis, qui creavit cœlum & terram,
„maria & flumina terræ, cujus vos
„cives estis & incolæ: benedicite Do-
„mino, qui dominatur potestati ma-
„ris, & motum fluctuum ejus miti-
„gat, laudate & superexultate eum
„in sæcula. Et ecce grandi numero
„è profundis gurgitibus ad litus emer-

(a) *Exod. 4. 20.* (b) *Joan. 7. 46.* (c) *Exod. 7. 1.*

„ fere pisces, attonita erigentes capi-„ ta, ac caudis applaudentes Concio-„ natori sacro, nec prius se sub undas „ condidêre, nisi postquam extentâ „ manu benedixit illis Antonius: Viso „ tanto prodigio mox & capita sua „ submisêre, ac victas manus dedêre „ perfidi hæretiti, impia soboles Be-„ rengarii. Triumphat ergo Antonius utpote

Orpheus in silvis, inter delphinos Arion.

Quid tu septicollis Roma censes, quem dicunt Romani esse Antonium?

Respondet Roma, renovata Apo-„ stolorum tempora ego experta sum „ in Antonio, dum Apostolorum mo-„ re in Pentecoste variis linguis loque-„ batur magnalia Dei: nam B. Viri „ linguam ita instruxerat gratia Spiri-„ tus S. ut licet suo idiomate loque-„ retur, attamen Itali, Galli, Germa-„ ni, Angli, Græci, Poloni, cœteræque „ nationes, velut nativâ suâ linguâ „ loqueretur, intelligerent.

„ Unde non opus est, ut novo titulo „ sanctum condecorem, cùm id abun-„ dè præstiterit Grægorius Nonus, „ Summus Christi in terris Vicarius „ *Arcam Testamenti* eum nuncu-„ pando.

Supra modum contentasti me septicollis Roma Elogio hoc in Antonium collato, Titulus enim hic adeò grandis & nobilis est, ut nulli hactenus Sanctorum, nisi soli cœlorum Reginæ sit attributus ab Ecclesia, dum in Lauretanis Lytaniis salutatur, *Fœderis Arca ora pro nobis.* Licebit ergo & hodie nobis cum jubilo hoc titulo salutare Sanctum, ac dicere, *Sancte Antoni Fœderis Arca ora pro nobis.* Vivat arca hæc benedicta, & benedicat nobis, sicut benedixit domui Obededon; (a) econtra confundantur & erubescant cuncti irrisores, Viri Bethsamitæ.

Adesto Verona, da gloriam Deo & Antonio: edissere quem dicunt homines esse Antonium? Reponit illa, sileat Carthago Hannonem, qui primus domitum Leonem generosâ manu circumduxit.

Taceat Nursia Florentium Monachum, qui pro tutela gregis non alium opilionem, quàm prægrandem ursum adhibuit, statâ horâ pecus ad pascua educentem ac reducentem. (b)

Sileat Ægyptus Abbatem Hellenum, qui Crocodilis pro navi usus rapidos fluvios cum sarcina sua transfretavit. Marulus l. 4. c. 5.

Domitores quidem hi extitêre bestiarum: at ad Antonii verba cicurata est bestia sævior Leone, crudelior tigride, rapacior lupo, ferocior urso, monstrosior Crocodilo: Portentum scelerum, sentina iniquitatis, invisus terræ, exosus cœlo Ezelinus, famosus à vitiis, execrabilis ob feritatem, notus à rapinis & libidine, detestabilis ob tyrannidem.

Hoc monstrum, quod nemo cicurare poterat, vidit & obstupuit Verona ultrò ad genua Antonii prostratum. Cum enim quadam die Vir Sanctus

(a) *2. Reg. 6. 12.* (b) *S. Greg. in dial.*

ctus misertus tot cædium, audientiam à facinoroso Ezelino impetrâsset; sine ambage, & absque fumo verborum eum est aggressus.

Quousque rabide canis ac Tyranne scelestissime desæviet mucro tuus, ac tingetur sanguine innocentum? ut qui unâ die ad 11000. insontium Paduanorum barbarie inauditâ trucidari fecisti? an nondum cernis cervicibus tuis incumbentem furorem Domini? resipisce ô monstrum scelerum, & age pœnitentiam, si fortè misereatur tui Dominus.

Obstupuit ad liberam objurgationem istam tota adstantium caterna, nilq; exspectabat, quàm ut Antonius novum funus adderet, reliquis; sed præter omnem exspectationem tigris hæc est cicurata, ac agni instar in genua procidens, cingulumq; Viri Sancti collo suo circumponens veniam est deprecata, ob enormia scelera condignam spondens pœnitentiam.

Hinc pro Elogio merito Titulum ei tribuo Zelosi Eliæ corripientis impium Achab, (a) aut Leonis Magni, (b) qui Tigridem illam terribilem Hunnorum Regem Attilam, tota obstupescente Româ suis pedibus adstratum vidit ac perdomuit.

Monstrorum ergo domitor manet Antonius.

Et quem tu Antonium esse dicis Regia ac grandis Civitas Neapolis? quis tibi videtur esse Antonius? Audio respondentem ac dicentem: Titulum alium non attribuo Antonio, quàm quod similis existat Angelo illi Apocalyptico c. 1. cui datæ sunt claves mortis & inferni.

Monstravit id abundè Neapoli anno 1632. 4. Julii. Erat Neapoli Vir potens, qui inter alios censuum debitores quendam habebat Villicum è pago Nicera, haud ita procul à Civitate Neapolitana, ac ignivomo illo monte Vesuvio distante.

Villicus ergo hic, cum statuto quodam tempore ingenti labore comparatam pecuniam Domino persolvisset, nullam tamen ab eo apocham obtinere potuit, jussus solo verbo Nobilis esse contentus.

Paucis post annis Domino vitâ functo hæredes Colonum alterâ vice ad solutionem adigunt, quia verò defectu apochæ solutionem à se factam contestari non poterat, neque dicenti fides adhibebatur, in maximas conjectus est calamitates & ærumnas: humano ergo destitutus auxilio, mœrore plenus ad Conventum FF. Franciscanorum Sancti Laurentii se contulit Neapoli: Guardianum evocat, miserias aperit, ac quædam sacrificia in honorem S. Antonii exposcit, quæ & obtinuit, ac præsens devotè audivit, dum ita desolatus, in Antonii tamen confidens patrocinio domum repetit, in via Vir quidam habitu Franciscano ei se associat, ac amicâ salutatione peractâ causam mœstitiæ exquirit, mox bono animo esse jubet, ac secum ad montem Vesuvium deducit: eò ubi perventum, pede terram pulsat

(a) *3. Reg. 21.* (b) *Breviar. Rom. 11. April.*

pulsat ter Antonius: progreditur mox dæmon ex flammis Vesuvii, quem Sanctus interrogat, num quendam Virum talis nominis in ardenti suo spelæo contineat? respondet affirmativè dæmon: affer ergo illum huc, inquit Antonius, qui paulò pòst adductus comparuit.

Inquirit ex eo Sanctus, cur Colono huic legitimâ solutione præstitâ apocham non tradidisti? Resp. ille horrendo ululatu ob hanc aliasque à me exercitas injustitias justo Dei judicio nunc æternas pœnas sustineo: subjungit Antonius, Tu ergo apocham trade, ne ulterius à tuis gravatur hæredibus. Quibus dictis mox dæmon scribendi exhibuit instrumenta, damnatus verò apocham conscripsit ac subscripsit. Datum in monte Vesuvio 4. Julii 1632. subscribere itidem pro testibus coacti sunt & alii 2. damnati ad hoc ex monte educti.

Obtentam apocham tradidit Clienti suo Antonius, quærens, num illi jam satisfactum? ubi ille humili cum gratiarum actione annuit, subitò Antonius disparuit: Colonus ergo spe plenus cum de monte descendisset, remq; Neapoli Guardiano indicâsset, isq; quid actum Episcopo & Inquisitori retulisset, citati sunt ab his hæredes, ac cum rationum libris à defuncto Nobili relictis adesse sunt jussi: Inde apocha cum aliis scriptis collata, decreta fuit convenire omnimodè manui Nobilis: in cujus rei memoriam apocha ibidem adhuc asservatur, ac interdum ostenditur. Ita refert F. Pacificus Beutgen in fasciculo gemino Miraculorum & Pietatis in S. Antonium fol. 75. Manet ergo, Antonium esse stupendum illum Angelum, habentem claves mortis & inferni.

Et quid tu ais Urbs Lemovices? quem dicunt esse Antonium Cives, tui fidei heterodoxæ, quos ad caulam Ecclesiæ portentosis signis reduxit Antonius?

Quid dicerent respondet illa: stupent, admiranturque Antonium tanquam hominem cœlo lapsum videntes eum ex arida vite recentes botros producere: ad mandatum ejus irrationalia animalia coram Creatore sub speciebus panis tecto in genua procidere; absque noxa in testimonium fidei veneno tinctos cibos sumere, Bufonem portentosâ metamorphosi in pinguem capum transformari, hinc uno ore clamant, *nemo potest hæc signa facere, nisi Deus fuerit cum eo*, Joan. 3. Thavmaturgon indè Gregorio similem prædicant, imò prisca miracula Exodi c. 9. renovata clamant: Nam dum in patenti campo Incolis Burgensibus aliquando concionaretur, densissimis nubibus cœlum cœpit obduci, ac tonando, fulminando metuendam tempestatem minitabatur; populus turbine tenebroso perterrefactus cœpit tumultuari, fugere ac tecta, quibus se ab imminenti tempestate defenderet, inquirere. Antonius diaboli technas advertens, spe nixus in Domino, jussit populum sistere, vaticinatus, nec à minima gutta molestias infe-

ren-

rendas; evenit mox, quod prædixerat Sanctus: exonerârunt se gravidæ illæ nubes, & magno impetu circumjacentia loca inundarunt, circulum autem Auditorum nec in minimo attingere sunt ausæ; ita in favorem Sancti nix, grando, spiritus procellarum stabant ad verbum ejus. Verificatum tum, quod in Exodo cap. 9. legitur: (a) *Dominus dedit tonitrua & grandinem ac discurrentia fulgura super terram:* (b) *Grando & ignis mista pariter ferebantur;* (c) *& percussit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum, cunctamq; herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.* (d) *Tantùm in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit.*

Euge Padua! quid tu de Antonio tuo censes? Coronæ gloriæ illius quam tu imponis gemmam? Respondet Padua: Immortales ipsi titulos debeo: si Liberatorem Patriæ dico, non mentior; in felicissima enim Octava illius libertati pristinæ Urbs afflictissima est restituta. Si murum & antemurum Urbis meæ eum nomino, veritatem fateor. Si imaginem Trinitatis eum intitulo, utpotè in qua per miracula resplendet potentia Patris, per Verbum Dei prædicatum, sapientia Filii, per sanctitatem denique & beneficia Spiritûs Sancti bonitas & munificentia; minimè aberro.

Sed præ omnibus arridet Titulus, qui ex ore infantium & lactentium prodiit: unde voco eum *PATREM SANCTUM*, (e) juvenem quidem annis, sed gratia & meritis similem Sanctissimo Seni Simeoni, dum & ipse meruit parvulum Jesum in ulnas suas accipere ac dicere: *Nunc dimittis servum tuum Domine.* (f) Nam vix obierat Antonius, cum mortis ejus inscii pueri, hinc inde per urbem discurrentes clamavêre: *Mortuus est S. P. Antonius,* (g) verè Pater Sanctus, ad cujus exequias Ulissiponæ ultrò campanæ læto sonitu parentârunt, ac S. P. mortem insciis Patriotis proclamârunt. Gaudeat proindè Sevilia, quod felices Antonio dederit cunas, Paduæ sufficit, quod S. Patri extruxerit Mausolæum.

Agite vos Antipodes, edicite, num & vos perstrinxit gloria Antonii? num fama ejus per maria ad vos devolavit? Respondent hi verbis Prophetæ Isaiæ cap. 24. *à finibus terræ laudes ejus audivimus, gloriam Justi.* „Sed quem vos dicitis esse Antonium? Titulum nos ei tribuimus nobilissimum, ac eum vocamus Petrum „Secundum, hunc enim omni jure est „promeritus anno Domini 1595. dum „velut alter Petrus stupente America „super fluctus maris ambulavit, audite mira, quæ de lignea statua S. Antonii ambulante super aquas memorat Petrus Jarricus in relatione de „rebus indicis.

Rupellani Piratæ Calvinistæ 1595. Bajam deprædaturi cùm solvissent

vela,

(a) *Exodi c. 9. v. 23.* (b) *v. 24.* (c) *v. 25.* (d) *v. 26.* (e) *Ex Annal. & Histor. Ordinis.* (f) *Luc. 2. 29.* (g) *P. Sedulius in vita.*

vela, priusquàm ea in Brasiliam tenderent, arcem quandam Lusitanorum in Africa ad promontorium candidum sitam deprædati sunt, jugulatoque Præfecto cum militibus, mœnia ad terram dejecêre, nec hoc contenti templum quoque, altaria, imagines, ac quidquid religiosum ac sacrum erat, sunt demoliti, servatâ duntaxat ad ludibrium S. Antonii statua, quam ubi in navem primariam recepêre, mox contumeliosè gladio accinctam, sclopo oneratam ac mille convitiis illusam per contemptum de genibus rogârunt, suam ut navem ad portum Bajensem feliciter perducat: at brevi ultrix Dei manus adfuit, ac fœdâ tempestate universam classem, huc illucque disjecit, ita ut binæ solùm naves oram Bajensem attigerint, quarum tamen prior in conspectu portûs aquis hausta, altera verò, qua divi Antonii statua vehebatur, ut prius ridendo postulârunt hæretici, paulò pòst Bajam est perducta: veriti verò sua ne pateret impietas, imaginem truncatam ac mancam in mare præcipitem dederunt, sed frustra; statua enim ringentibus inimicis, velut alter Petrus, cùm per aliquot dies inter medios fluctus maris, tanquam in solido gradiens velut phantasma à longè ab iuquilinis Bajensibus esset conspecta, ad portum tandem Bajanum exscendit, ac in littore stetit, impietatem Iconoclastarum in se admissam apertè patefaciens: interrogati enim de statua hac, scelus admissum cum negare non possent, condignas pœnas non multò pòst dedère. Statuam mox Urbis Præfectus plausu totius populi ac supplicatione Cleri exceptam in Ædem sacram FF. Minorum Ord. S. Francisci honorificè transtulit. Ita ludibrium, quod à Sacrilegis passus erat Antonius, in gloriam transiit æternam.

Eusebius Nierenbergius, in historia naturali de statua ambulante cap. 60.

Et cur Antonio Petri secundi titulum non tribuamus, cum in portentis & miraculis eum sit imitatus. Miraculum primum, quod patravit Petrus, fuit persanatio claudi ex utero matris, ante portam speciosam jacentis, quem in verbo Domini salvum & incolumem in pedes erexit: (a) majus quid Petro præstitit Antonius. Nam cum aliquando Ticini præberet aures confitentibus, adfuit & Juvenis quidam, Leonardus nomine, (b) hic cum inter alia peccata se accusâsset, quod ex ira Matrem suam pede in terram dejecisset: Antonius enormitatem sceleris arguere volens, inter alia Juveni dixit, pedem hunc promeritum esse abscissionem. Juvenis ratus, quod Sanctus Pater pro pœnitentia hoc sibi injunxisset, quamprimùm domum venit, arreptâ securi pedem ex simplicitate detruncat; fit clamor & concursus viciniæ; Mater irâ fremens, ad Antonium properat, simulque exprobrat, quod causa mortis existat filio; negat ille mansuetè sese hoc Juveni imperâsse, comitatur tamen

(a) *Act, 3. 7.* (b) *P. Sedulius in Vita.*

tamen mœstam & desolatam Matrem ad domum, quam ubi intravit, reperit Juvenem inter dolores mortis jacentem in sanguine suo: in genua ergo sua procumbit Antonius, factaque oratione ad Deum, abscissum pedem in manus sumit, ac cum læso poplite conjungit, protinusque ambo ita fortiter coaluêre, ut ne signum aut cicatrix truncationis ullæ fuerit derelictum, apprehensâ igitur manu cum eum elevâsset, exiliens stetit Juvenis ambulans & laudans Deum, qui mirabilis est in Sanctis suis.

Triumpha igitur in æternum Sanctissime Petre secunde, vive in cœlis, floreto in terris, laudes tuas enuntiet Ecclesia Sanctorum: Vive Antoni! Gloria Europæ, Splendor Africæ, Lux Asiæ, Salus Americæ, Gaudium universæ terræ.

Vive nove Habacuc! & sicut periclitanti Parenti in tempore succurristi, ita & ad adjuvandum nos festina.

Vive Martyr desiderio, & vel unicam guttam tui sanguinis nobis instilla, quatenus in amore Dei ita accendamur, ut citiùs vitam perdere, quàm Deum offendere malimus.

Vive humilitatis Magister, Doctor absconditus ac verus Minorita, & fac, ut vestigiis tuis, quæ Messanensi Triclinio impressisti, cum omni demissione & humilitate insistamus.

Vive rigidissime Baptista, in Eremo S. Pauli non manducans neque bibens; instrue nos per jejunia & abstinentiam, mortificare carnem cum concupiscentiis suis, ac petulans corpus in servitutem redigere.

Vive nove & dulcis Arion, admirande Thaumaturge, qui per portenta & inaudita signa contumaces Hæreticos in semitam justitiæ reduxisti; illustra obsecro, & irradia etiam corda nostrorum incredulorum, ut abjectis erroribus ad verum Petri redeant ovile.

Vive zelose Elia, qui marmore durius, ac in sceleribus inveteratum pectus Ezelini, verborum tuorum tonitru perfregisti, age & hodie disrumpe cunctorum indurata corda peccatorum, ut meliora spondeant, & quæ promiserunt, opere exequantur.

Vive Pater Sancte, ad quem divertere, manibusque tractari divinus Pusio non est denignatus: age & Jesum, benedictum fructum Mariæ, nobis post hoc exilium ostende.

Vive demum ac vale *Arca Testamenti*, & sicut illa benedixit domui Obededon, (a) ita & Tu benedictionem suam in nos benignus effunde, cui enim portentosa manus tua benedixerit, erit benedictus.

(a) 2. *Reg.* 6. 12.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.



Quis est Hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Eccles. 31.

Mortalium studia semper eò collimârunt, ut portentosa Ædificia, magnifica templa, pomposa extruerent Palatia, quæ velut rara mundi miracula tota obstupesceret, & admiraretur Posteritas.

Ita Posteri Adam post inundationem universi orbis turrim illam cœlis ipsis minitabundam moliti sunt in Campo

Campo Sennaar, (a) *Venite faciamus nobis Civitatem & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum, & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras*, nec destitissent ab ambitiosis his conatibus, nisi Dominus confudisset labia eorum.

Exemplum eorum mox secuta est Semiramis, quæ defuncto Rege Nino Babylonem, ad sexaginta millia passuum dilatare, ac validissimis muris, quorum altitudo 200. pedes, latitudo 50. complectebatur, cingere cœpit: Muros hos coronabant 150. elevatæ Turres; centum portis æneis civitas claudebatur, eratq; hoc alterum miraculum Orbis.

Palmam Chaldæis cedere nolebat Asia minor, unde immensis sumptibus centum viginti annis catenato labore desudabat, ut tandem Templum Dianæ Patronæ suæ dignum consurgeret: Longitudo ejus erat pedum 425. Latitudo 220. operosam hanc machinam sustentabant 227. superbæ marmoreæ columnæ, quarum una quæq; in altitudine 60. numerabat pedes, variâ cælatura, arte & industria nobiles, à totidem Regibus in æternam memoriam exstructæ, & hoc Templum velut tertium portentum adorabat Orbis.

Admirabantur Rhodij stupendam hanc machinam, mente tamen volvebant opus aliud, quod & pulchritudine & novitate ac arte alterum excederet: hinc Charetem Lyndium famosissimi Statuarij Lysippi discipulum conduxêre, qui ex are statuam Solis funderet ad portum Maris Jonij erigendam, duodecim annis Is desudavit in hoc Solis Colosso elaborando: Altitudinis erat octoginta cubitorum, cujus pollicem vix unus homo brachiis complecti poterat tantâ tibiarum & pedum intercapedine, ut facilè navis ingens explicatis velis, per media colossi crura secura portum subiret, constititq; machina 300. talentis.

Nec defuêre Reges Aegypti in extruendis ad Nili ripas portentosis illis Pyramidibus potentiam suam Orbi ostentantes. Maximam harum fieri curavit Cheospes Rex ex quadratis lapidibus adeò enormibus, ut minimus 30. pedes complecteretur; 20 annis in construenda illa insumpserunt 360000. hominum millia, quibus solùm in raphanos, allium & cepas erogata sunt 1800. talenta: Basin habebat quadratam, latus quodlibet continebat 324. passus: 220. gradibus in altum ascendebatur tota deniq; altitudo pyramidis in millenos se erigebat pedes.

Taceo ex candidissimo marmore extructum ab Artemisia sumptuosum illud Mausolæum, æternum in defunctumConjugem amoris monumentum.

Sileo stupendam à Rege Philadelpho non procul Alexandriâ in rupe mari circumdata, exædificatam Pharum navigantibus illàc ad 30. mil-

Q 3 liaria

(a) *Gen. 11. 4.*

liaria nocturnis ignibus prælucentem.

Non memoro auream Cyri Regis Medorum domum, quam arte prodigâ Menon alligatis auro lapidibus (a) pretiosis fabricavit, de qua Majolus ait, laquearia ejus fulserunt auro gemmis & margaritis eo ordine, ut totius cœli & siderum ordinem repræsentarent.

Et hæc erant rara illa & stupenda miracula, quæ stolidus celebrabat Orbis, de quibus non aliud dico, quàm quod Martialis, (b)

Barbora pyramidum sileat miracula Memphis,
Assiduus jactet nec Babylona labor,
Aëre nec Vacuo pendentia Mausolæa,
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.

Sileant igitur hæc barbara miracula Orbis, dum hodie vobis Joannem Baptistam *triplex miraculum Mundi*, uti eum Villanova vocat, ob oculos pono,

"Juvenem innocentem & rigidè
"pœnitentem,
"Inter applausus & honores non tu-
"mescentem,
"In aula deniq; versantem, & à ve-
"ritate non aberrantem.

Habebit in eo mundus, quod plus admiretur & obstupescat, quàm in septenis miraculis Mundi.

Salomoni licet Sapientissimo tria tamen erant cognitu difficilia, & quartum penitus se ignorare est professus: (c) *Viam Aquilæ in cœlo, viam colubri in Petra, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia sua*; difficultatis hujus rationem dat Ambrosius, dum ait, (d) lubricæ sunt & perplexæ viæ Juventutis, labyrintho similes, in quo mille meandros, gyros & errores est invenire, beatus cui Ariadne filium porrigit; vix inter millenos est unus, quem Minotaurus non discerpat.

Miramur plurimùm Hilarionem sexto decimo ætatis anno; Paulum verò primū Eremitam decimo quinto ex hoc labyrintho evasisse incolumem, atq; Aegypti solitudinem intrâsse; miremur & magis obstupescamus Joannem, dum vix terræ nascitur, & jam ad cœlum anhelat, dum vix mundum aspicit, & mox vanitatem ejus despicit, dum quinq; annorum parvulus, relictâ paternâ domo, spretis divitiis, repudiatis illecebris, mundo valere jusso solitariam vitam in deserto auspicatur, uti de eo Ecclesia canit. (e)

Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens petisti
Ne levi posset maculare vitam
Crimine linguæ.

Unde exclamat Bernardus, (f) *mira rerum conversio, hominem vix mundum*

(a) *Majolus in Canicul.* (b) *Martial. de Amphitheat. Domit.* (c) *Prov. 80. 18.* (d) *S. Ambros. in obitu Valentiniani.* (e) *Brev. Rom. in Offic. Fest.* (f) *S. Bern. Serm. de Nat. 40.*

dum ingressam, mundi fugere consortium, & sæculi cupiditates non solùm oblivisci, sed nescire.

Adeste, & mente mecum parumper in solitudinem concedite; cernite ibi puerulum inter scopulos hærentem, ac in Dei laudes intentum: cernite ut innocens corpus in utero matris jam sanctificatum alterat, dum nunc frigore congelantur, nunc è contra calore solis aduruntur teneri ipsius artus; dum nudi pedes hinc lapillis, inde vepribus sauciantur. Cernite! vestem ei præbet aspera & hirsuta pellis cameli; innocentes lumbos cingit zona pellicea: habitatio ejus sunt excavati scopuli & antra ferarum; deliciæ & mensa regalis locustæ & mel silvestre; potum præbent fluenta Jordanis, Lectus est terra, cervical saxa, socii ipsius feræ & gementes turtures.

Ecquæ amabo sunt tua scelera Pusio sanctissime? quamnam petulantiam castigat asperitas cilicij? quodnam scelus expiat jejunium tuum perpetuum? Respondet pro Joanne Ecclesia, dum canit. (a)

Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens petisti
Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguæ.

Ah quàm confundunt nos senescentes in delictis nostris prima, eaq́ tam aspera rudimenta Joannis, heu quantùm jejunia ipsius gulam & ebrietates nostras damnant, heu quantùm asperitates ipsius lascivias nostras pungunt; vivebat ille more conchârum nutritus solo rore Cœli; & nos peccatores insensati, qui sicut aquam, sic iniquitatem bibimus, pro palmaribus nostris peccatis refugimus castigare sceleratam nostram carnem, aut in sevitutem redigere, condignas & meritas pœnas de ea sumere! heu quantùm distamus à Joanne! meritò proindè nobis socordiam nostram exprobrat Bernardus, dum ait, (b) *considera* (peccator impie) *hominem Angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in utero, & novum in eo pœnitentiæ admirare fervorem:* Signum quidem nullum legeris fecisse, sed ipsa tua Juventus innocens ità austerè habita signum sufficiens erat, quod milites è castris, cives ex domibus, Pharisæos ex templo, totam deniq; Solymam ad Jordanis ripas excivit.

Quod olim ad conspectum decidentis de cœlo maña obstupefacti exclamarunt Israelitæ, (c) idem ego Joannem in applausu & honore constitutum, humiliter tamen de se sentientem considerans reiterare cogor ac exclamare *Manhu!* quid est hoc? quid enim mirabilius honorari, & non elevari, coli, & non extolli, cum expressè (d) B. Thomas de Villanova fateatur, *Nemo est, quem dulcedo hæc non tangat*; Mel enim quod-dam

(a) *Brev. Rom.* (b) *S. Bern. serm. in Nativ. S. Joan.* (c) *Exod. 16, 15.* (d) *B. Thom. à Vill. nov. de S. Joan.*

dam eſt honor, & laus humana, quod omnes à vidè lambunt; dulcis eſt muſica adquàm aures omnium tinniunt; liquor eſt gratus, quem cuncti ſitiunt, Odor eſt ſuavis ſuper omnia aramata, quem univerſi expetunt, & patulis naribus attrahunt.

Obſtupuit Neo-Cæſarea Ponti Gregorium Thaumaturgum montem Eccleſiæ ædificandæ obſtantem ſolâ oratione aliò transferentem.

Admirata eſt Barcino Raimundum Pennafortium abſq; remis & navigio, ſolo ſuper undas ſtrato pallio mare ſulcantem, ac intra 6. horas ex Baleari Inſula Barcinonem uſq; id eſt 160. milliaria itineris conficientem.

Conſternata eſt Africa cernens Epiſcopos in perſecutione Wandalorum abſcissâ licet linguâ loquentes tamen magnalia Dei.

Obſtupuit Babylon tres pueros in fornace ignis ardentis illæſos cantantes & benedicentes Dominum.

Verùm S. Bernardus magis ſtupet & admiratur hominem honoratum, (a) & tamen humilem, dum ait, *magna prorſus & rara virtus eſt humilitas honorata*, rarus & inſolitus Phœnix; nam ſicut impoſſibile eſt glaciem ad prunas poni, & non liquefieri, aquam per mineras ſulphureas labi, & ſaporem non imbibere, picem contrectare & non inquinari, ignem tangere & non aduri, ità impoſſibile eſſe videtur, audire applauſus, & non titillari, laudibus extolli, & aures non tinnire, in honore & reſpectu eſſe, & caput non attollere, (b) nam, Auguſtino teſte, *facilè eſt laudem non cupere dum negatur, difficilè eà non delectari cùm offertur.*

Tua hæc laus eſt, ò maxime inter natos mulierum, quem ſtirps antiqua Araonis, non populi ardens ſtudium, non aulæ obſequium, non laudum tituli vel minimùm in transverſum flectere potuerunt; quocunq; oculos levabas laudum tibi occurrebant præconja.

Si ſanguinem avitum conſiderabas, à Regali Sacerdotio originem trahebas; ſi cognationem Chriſti eras conſanguineus: (c) ſi Parentem attendebas, erat is Sacerdos Altiſſimi, juſtus ante Dominum; ſi Matrem, (d) erat hæc de filiabus Aaron: (e) ſi populi affectum; confluebat ad te omnis Hieroſolyma; (f) ſi Aulam Herodis tanquam Prophetam te habebat, ſi Chriſtum, pedibus tuis adſtratum in Jordane noveras; ſi te ipſum contemplabaris, ſciebas te repletùm Spiritu S. ſanctificatum in utero, nutritum in eremo, Virginem corpore, prophetam Spiritu, Converſatione Angelum, auſteritate admirandum orbis miraculum: Verbo, Aula, Urbes Campi, Compita, ſilvæ ac fluenta Jordanis, nil niſi laudes tuas reſonabant, & tamen cunctis his Syrenibus cum Ulyſſe tu aures obturabas tuas,

(a) *Bern. homil. 4. ſuper Miſſus eſt.* (b) *S. Auguſt. Epiſtola ad Dioſcorum.* (c) *Luc. 1.* (d) *Matt. 3. 5.* (e) *Marc. 1. 5.* (f) *Matt. 14. 5.*

tuas, ſurdus ad omnem applauſum populi.

Nil tamen humilitatem Joannis nobis magis ſpectabilem & admirandam reddidit, quàm Splendida Legatio ab Jeroſolyma ad Joannem contendens, quam odor Sanctitatis & auſteritas vitæ ad Jordanis ripas pertraxit: Sacerdotes Levitis & Phariſæis ſunt intermixti, hi uno ore interrogant Joannem: *Tu quis es?* (a)
Scimus jampridem populo Iſrael Salvatorem promiſſum, Novimus vaticinium Jacob, (b) *non auferetur Sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium*, & cum nunc ab extraneo & Idumæo Judææ ſceptrum violentis armis occupatum cernamus, hinc auguramur, diu exoptatum tempus Meſſiæ, noſtræq; libertatis advenisſe, & ni fallimur, ſplendor & ſacra Majeſtas ex facie tua promicans te illum ipſum eſſe declarat, id ipſum vita tua confirmat, hoc oculi tui terræ clauſi, ac cœlo ſolùm aperti clamant, hoc membra tua millenis auſteritatibus macerata inſinuant.

Tu quis es? Reſponſum exſpectat univerſus Iſrael, age, manifeſta temetipſum, & velut diu deſideratum Meſſiam omni plauſu & honore univerſus excipiet Iſrael.

Hic, Rhodus, hic, Saltus.
Quid ages humilis Eremita? undique laquei te circumdant: ſi taces, conſentire videris, reclamante conſcientiâ tuâ; ſi veritatem Fateris, actum eſt de tuâ famâ & nomine, tot jejunia, tot aſperitates & Vigiliæ in nihilum ibunt; Hypocritam te dicet Judæa, recedent à Magiſtro ſuo diſcipuli; baptiſmum tuum & pœnitentiam deridebunt cuncti, Impoſtorem te totus clamabit Orbis; age, accommoda te tempori, obſequere populo, ac Meſſiæ titulum, quem auſterea tua vitæ meretur, connivendo accepta.

Non paſſa eſt hoc humilitas Joannis, (c) ſed mox confeſſus eſt & non negavit, *quia non ſum ego Chriſtus*, nec ſtitit hic demiſſio humilis: nam & titulum Eliæ aut prophetæ recuſavit, cum tamen Chriſti teſtimonio plusquam Propheta eſſet.

O rara virtus humilitas honorata! ò præconium inſuetum, ò inſolitus triumphus humilitatis!

Princeps eſſe poterat Joannes, (d) mavult tamen eſſe ſervus, indignus, qui ſolvat corrigiam calceamentorũ.

Lux mundi eſſe poterat Joannes, (e) contentùs tamen manet titulo Lucernæ.

Sponſus poterat eſſe Joannes, ſufficit tamen Joanni modò ſit amicus ſponſi.

Verbum æternum videri poterat Joannes, (f) contentus tamen eſt, ut ſit ſolùm *Vox clamantis in deſerto*:

(a) *Joan. 1. 19.* (b) *Geneſ. 49. 10.* (c) *Joan. 1. 21. & c. 3. 28.* (d) *Matt. 3. 11. Marc. 1. 7. Luc. 3. 16 Joan. 1. 27.* (e) *Joan. 5. 34.* (f) *Iſa. 4. 3. Matt. 3. 3. Marc. 1. 3. Luc. 3. 4. Joan. 1. 27.*

Maximus in oculis omnium, minimus est in oculis suis.

O rara virtus humilitas honorata! (a) Unde ait S. August. nullum tantum meritum habuit Joannes, quàm de hac humilitate, quod cum posset reputari Christus, confessus est apertè, se non esse Christum: Magnum quidem erat in utero sanctificari, magnum inter miracula nasci, magnum in eremo enutriri, magnum jejuniis & asperitatibus atteri & consumi, at demissio Joannis honores & cunctam gloriam mundi generoso pede calcans palmam de omnibus refert. Et hoc ait Chrysostomus, *fidelis servi officium est, non solùm Domini sui gloriam non occupare, sed à multitudine tributam propulsare.*

Ah quàm benè ad cor nostrum loquitur (b) Abbas Guerricus dicens utinā nos haberemus humilitatem in peccatis nostris, quàm sancti habuerunt in Virtutibus suis, majores profectò essemus coram Deo, quam cum magni coram hominibus esse volumus.

Sed ad tertium pergo miraculum, ac ex Jordane ad Aulam Herodis gradum facio.

Si Aulas mihi comparare concessum foret, similes eas esse dicerem templis Aegyptiorum, erant illa structuræ superbæ, auro incrustata, verùm ante ea foris stabat statua Serapidis, digitum ori imponens, & silentium indicens: sic sunt constitutæ Aulæ, quisquis ingredi cupit, digitum ori imponat necesse est; regnant omnes Dji in aulis: Jupiter, Mars, Mercurius, Venus, Pluto, Neptunus, unicus excipitur Veridicus, cui Aulas introire est interdictum: Regibus enim obloqui, idem est ac apibus mel detrahere, & aculeos non sentire, serpentem pede calcare & veneno non aspergi, super carbones ignitos ambulare, & pedes non adurere: Tange montes hos, & fumigabunt: Testantur hoc abundè Eliæ fuga, Jeremiæ compedes, Danielis lacus, Isaiæ serra, Zachariæ deniq; sanguis innoxius ad ipsum altare effusus.

Tanges montes hos & fugimabunt.

Videamus AA. quomodo & hoc in passu se gesserit Joannes.

Erat Joannes in Aula Herodis notus omnibus, singulis charus ac Venerabilis: (c) *Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum Virum justum & Sanctum &c. Et audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Accidit interea, ut Rex Uxoris suæ pertæsus, alterius captus amore, fratri suo Philippo raperet Uxorem: accendit injustum facinus Zelum & justam bilem in Joanne, unde omni adulatione sepositâ Aulam Herodis ingreditur

(a) *S. August. Tractatu 4. in Jo.* (b) *Guerricus Abb. Serm. 1. de purif.* (c) *Marc. 6, 20.*

ingreditur, ac torvo ſupercilio ore liberrimo intonat, (a) *non licet tibi habere uxorem fratris tui.*

Quid agis Joannes? quid moliris? quis es tu, qui clamas & inquietas regem? an neſcis, Reges Leges condere, ſed nolle ijs obligari? *Licet illis quod libet* juxta impiam regulam Neronis: Fabrum imperitum agis, ferrum amore candens percutis, ſed ignitæ ſcintillæ te brevi adurent: tormento bellico ſimiles ſunt Reges, vel minimo digito tacti ignitos globos evomunt; ſiſte, ſiſte! Serpentem calcas, mordebit ut coluber; Urſo catulos eripis, fatalem time complexum; Tigridem ſtimulas, in furias agetur; Jovem oppugnas; fulmen certum tibi impendet; Mægeram aggrederis, in furias agetur & acheronta movebit; *non eſt* enim *ira ſuper iram mulieris.* Eccleſ. c. 25.

Et quale motivum efficacius ad irritandum erat, quàm opponere ſe regjis delicjis, arcere cupiditates, quas nequit linquere, Actum eſt de tuo favore, mi Joannes, hactenus Herodes venerabatur te ut Patrem, timebat ut Prophetam, & multa faciebat, nunc omnis Veneratio & reſpectus evaneſcet in nihilum.

An non mulieroſus Rex hâc repræhenſione irritatus clamabit ſibi imperari à Servo? contemni ac vilipendi à mancipio? an non illa ſeparationem à thoro judicabit eſſe degrationem à regno? quid non irâ & amore perciti reſolvent? quas non inſidias ſtruent? Ambo in necem & mortem tuam jurabunt, ſanguis tuus ſcelus eorum eluere aut dealbare debebit.

Hæc omnia noverat Joannes, (b) ſed corde intrepido, velut Leo confidens, qui ad nullius occurſum pavet, conſtans ſibi, Regem adoritur, & altâ voce intonat, *non licet tibi:* non Sceptra veretur, coronam non reſpicit, ſecures non metuit, carceres non formidat, ſed velut adamas in ſententia immobilis perſtat, ac omni momento regiis auribus inclamat, non licet conſanguineos inceſtare thalamos; nefas eſt ſacra conjugij jura revellere; *non licet tibi:* iraſcatur Herodes, inſidietur Herodias, fulminet & tonet, turbetur & minetur Aula, nec ille minis, nec hæc inſidiis obfirmatum animum expugnabit.

O quàm verè, Joannes, de te dixit Salvator, (c) quod arundo, mobilis non exiſtas, ſed velut palma omni vento ſuperior, quam nec indignatio Regis, nec Reginæ furor de ſententia concepta dejicere poterant; jure dicere poteras, (d) *loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum & non confundebar.*

R 2 Quid

(a) *Matt.* 14. 4. *Marc.* 6. 18. (b) *Prov.* 30. 35. (c) *Matt.* 11. 7. *Luc.* 7. 24. (d) *Pſ.* 118. 46.

Quid ad hæc vos aulicæ vulpes obgannitis? qui velut altetnativi Prothei, velut versicolores Chamæleontes, velut mobiles & constantes Vertumni, ad omnia Regum & Principum scelera id unum acclamatis, *quod libet licet*, probra aularum, inutilia pondera terræ, dehonestamenta regnorum, pestes republicæ.

Detruditur interea in carcerem Joannes, vincitur funibus, constringitur catenis; liber tamen clamat, *non licet tibi habere uxorem fratris tui.*

Ad est spiculator ac feralem mortis sententiam nuntiat; intrepido tamen ore Joannes repetit, *non licet tibi.*

Obvelantur sudario innocentis Prophetæ oculi; intonat tamen Joannis solemne suum, *non licet tibi.*

In genua procumbere jubetur, clamat tamen nihilominus, *non licet tibi.*

In altum levat lictor fulminantem acinacem; nec tamen timet aut, tacet Joannes.

Amputatur deniq; sacrum caput; trunco tamen capite respondet vox clamantis, *non licet tibi* Age, macta, occide, trucida sanguisuga Herodes; invanùm laborabis; vox clamantis est Joannes, quæ occidi nequit, sed corporis absoluta angustjis, magis ac magis detestabile tuum scelus toti patefaciet orbi, & si hæc vox tacuerit rupes & saxa Macheruntis crudelitatem tuam lachrimabili Echone detestabuntur; linguam unam sustulisti, ait Basilius Seleuciensis, (a) sed vicel inguæ Joannis, totus est mundus ad te accusandum.

O Miraculum rarum, quod totus obstupescat orbis! ò gloriosum præconem veritatis! ò insolitum speculum humilitatis! ò inauditum pœnitentiæ & abstinentiæ exemplar! cum omni veritate nobis hodie illud Lucæ cap. 5. exclamare licet, *quia vidimus mirabilia*, Sanctum nimirum, quo major non surrexit inter Natos mulierum, conceptum miraculo sanctificatum in utero, natum inter prodigia, educatum in eremo, mortuum in carcere, Virginem corpore, Prophetam Spiritu Eremi incolam, Laureatum Martyrem, Christi consanguineum Præcursorem Domini, sanctitatis prodigium, innocentem Juvenem & tamen austerè pœnitentem; honoribus circumdatum & tamen humiliter de se sentientem; in Herodiana aula versantem & tamen à veritate & Sanctitate non deviantem.

Adesto

(a) *Basilius Seleuciensis orat. 18. cap. 6.*

Adeſto nunc univerſe orbis ac à Joanne regulas ſalutis addiſce; non ſolùm ad ripas Jordanis aut carcere Macheruntis reſonat vox clamantis in deſerto, ſed & hodie vocis illius Echo aures filiorum Adam vellicat, & ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ hortatur; ſi enim quinquennis parvulus faſciis innocentiæ adhuc involutus, ne mundi pice contaminarerur in ſylvas & ſolitudines ſe recepit pœnitentiam acturus? quid faciet progenies illa viperarum, quæ in veterno ſcelerum per 10. 12. 20. 30. annos computreſcens nil minus quàm de pœnitentias facienda ſomniavit? ſi inſons & peccati neſcius ità ſeverè in corpus ſuum animadvertit: an non & peccatores rigidè peccata præterita caſtigent? & laudabilem Joannis pœnitentiæ imitentur fervorem, ne forſan ſecuris ad radicem arboris poſita ſubitò aridum incidat truncum æternis flammis deſtinatum.

Diſcant à Joanne Reges & Principes, nil præcipitanter cum Herode agere, moderari ſua decreta, nil temerè jurare, aut promittere, ne ob reſpectum honoris patiatur innocens, & longum ſequatur *pœnitere.*

Diſcant à Joanne ſacratæ Deo perſonæ, ut ſint lucernæ ardentes & lucentes, (a) *eſt enim* ſecundùm Bernardum, *tantum lucere vanum tantum ardere parum; ardere & lucere perfectum.*

Diſcant ſuperbæ Junones, quæ mollibus induuntur, in byſſo & purpura ſuperbiunt, luxuque corporis indecenti innocentibus ad tartara viam ſternunt, exorbitantiam veſtium moderari, & coërcere, memoris hirſatæ veſtis & zonæ pelliceæ Johannis.

Diſcant bibuli Helluones impoſterum colore temperantiam, & Joannis imitari ſobrietatem; dum vident tantum prophetam locuſtis, ac melle ſylveſtri contentum, ſobrios traduxiſſe dies.

Diſcant à Joanne, clamante, *non ſum*, demiſſionem & humilitatem ſuperbi pavones, licet enim ſe magnos credant, grandia nomina fingant; fateri tamen ultimò coguntur, ſe nil eſſe, quàm cinerem & lutum terræ.

Diſcant denique à Joanne omnes præcones verbi divini zelum honoris Dei; non ſint canes muti non valentes latrare Iſaias c. 56. ant correptiones ænigmate involvant; ſed cum Nathan apertè dicant, (b) *Tu es ille vir*; exemplo Joannis clament.

Non licet tibi Domine pollicem fovere domi, aut januam obſervare Vicini.

Non licet tibi ò Judex munera recipere & prodere Juſtitiam.

(a) *S. Bernardus ſerm. de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ.* (b) *2. Reg 12. 7.*

Non licet tibi ò Mercator fallere.

Non licet tibi ò animarum Paſtor ovibus ſcandalum præbere.

Non licet tibi ò domicella itâ nudè incedere.

Non licet tibi vetitis cum Hæreticis carnibus veſci.

Ita admonet (a) Bernardus, *ferveat etiam in nobis Zelus iſte, nemo vitia palpet peccata diſſimulet nemo.*

Nullus in aulis principum inveniatur. Itaiſta, ne reputetur pro Atheiſta.

(a) *S. Bernardus ſerm. de Nativitate S. Joannis.*



IN

IN FESTO SS. APOSTOL. PETRI ET PAULI.



Fecit Deus duo luminaria magna Gen. 1.

SI jure Ariſtogitoni & Armodio columnæ binæ cum ſtatuis ſunt erectæ, (a) quia Athenas à Tyrannide Piſiſtrati liberarunt; æquiore jure binæ columnæ cum ſtatuis ponendæ erunt Petro & Paulo, qui Romam à colluvie falſorum Deorum expurgarunt.

Si Aſtylo Crotoniatæ, quia tribus vicibus victor ex Olympicis rediit, (b) ſi Polydamæ athletæ, quia Leonem inermis in Olympia interfecit,

(a) *Plinius l. 34.* (b) *Raviſius.*

fecit statua generosa cum columna est posita; ponatur & talis Paulo, qui teste Epist. 1. ad Corinth. cap. 15. Ephesi fortiter pro Christo pugnavit ad bestias; (a) de se ipso fassus, (b) *bonum certamen certavi, cursum consummavi.*

Si Marco Porcio Catoni ob restitutos bonos mores, (c) à Romanis statua est erecta; potiore jure talem merentur Apostolorum 2. Principes, de quibus S. Pontifex Leo serm 1. ait, (d) *Isti sunt, viri, per quos tibi Evangelium Christi Roma resplenduit, & quæ eras Magistra erroris, facta es discipula veritatis*

Si Claudio Marcello ob Hañibalem apud Nolam in Campania superatum & deletum, Columna cum statua posita est in Æde Palladis; meliori jure talem merentur Petrus & Paulus, utpote belli triumphales Duces, qui vexillum Crucis primi Romanis arcibus intulerunt.

Si Flavio Josepho ob historiam de expugnata per Titum Hierosolyma Cæsari dedicatam, statua est erecta; (e) quid ni meliùs Apostolis talis ponatur, ob Epistolas spiritu & verbo Dei plenas variis Ecclesiis in consolationem & fulcimen virtutum transmissas.

Si Athenienses Beroso ob varias prædictiones Columnam & statuam deauratâ linguâ posuêre: (f) majori æquitate talem merentur bina Ecclesiæ capita, quorum linguæ à spiritu sancto auro charitatis deauratæ Evangelium universo Orbi añuntiarunt & divulgarunt.

Si Antonio Musæ medico celeberrimo ob Cæsarem Augustum (g) à morbo feliciter curatum, Romani statuam proximam Aesculapio erexêre, quid non merebuntur Petrus, qui claudum ex utero Matris ad portam speciosam in nomine Jesu in pedes erexit; quid Paulus, qui Eutichum Trojade de tertio Cœnaculo cadentem, (h) & mortuum sublatum in vitam resuscitavit,

Si Horatium Coclitem, eò quod Hetruscorum aciem in sublicio Ponte solus sustinuisset, quousque Pons à tergo interrumperetur, statuâ excelsâ honorârunt Romani, quis denegabit honorem simiiem Apostolis, qui contra phalanges Dæmonum, contra assultus Hæreticorum, contra arietes Idololatrarum imperterriti steterunt, ac cum confusione summa Hostes Christi in fugam egerunt?

Sed amabo, quasnam Columnas ac statuas in honorem tantorum Apostolorum erigemus?

Displicet mihi primâ fronte statua Regis Nabucodonosor, cujus caput quidem aureum, pectus de argento, (i) venter ex ære, tibiæ ferreæ, pedum pars quædam ferrea, altera fictilis; lapis enim de monte abscissus sine manibus percussit & contrivit eam Dan, c. 2.

Displicent

(a) *Vide Cornelium.* (b) *2. Tim. 4. 7.* (c) *Plutarch. in Catone.* (d) *In Natal. Pet. & Paul.* (e) *Textor Ravis.* (f) *Plinius l. 7.* (g) *Suetonius in Aug.* (h) *Actorum c. 20.* (i) *Daniel cap 2.*

Displicent & binæ columnæ Herculis, quia inscriptionem earum pomposam non plus ultra delevit Carolus quintus, ultra has victorias suas in alterum orbem gloriosè extendens.

Displicent & binæ columnæ Salomonis Joachin & Booz (a), in porticu templi Jerosolymitani erectæ; quia jam pridem cum templo & Porticu in cineres redactæ.

Erigamus ergo Pyramides novas, quæ laudes Apostolorum loquantur; statuamus eas super unum montium in septicolli Roma; inferius incidantur eorum Palmæ & relatæ victoriæ; in apice primæ ponatur rutilans siderum Dux Sol in altera collocetur Luna noctis decor.

Nec aberro cum binos Apostolos his duobus mundi luminaribus comparo, fecit hoc pridem ante me mellifluus Doctor Bernardus Sermone primo de duobus Apost. Petro & Paul. dicens, (b) *Isti sunt præclari Martyres Martyrum Duces Apostolorum Principes, duo magna mundi luminaria*; dum igitur excellentias & qualitates horum binorum siderum Apostolis applico vestram patientiam imploro.

Præconium, quo Ecclesiasticus c. 50. Simonem Oniæ Filium sacerdotem magnum honoravit, meritissimo jure ego hodie attribuo Simoni Petro, ac dico Simon Barjona Sacerdos magnus, (c) *quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.*

Si enim Christus Math. c. 13. dixit, *Justi fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum*; cur Soli non comparem Petrum? cùm expresse S. Antoninus citans Linum Papam testetur, Petri faciem cum ad Regem Agrippam adductus esset, ut solem resplenduisse: patebit hoc magis, si proprietates Solis & Petri conferamus.

Tametsi solem à Deo ex nihilo esse creatum ex cap. 1. Gen. 5. constet nihilominus Zeno & antiqui Philosophi principio illi innixi, ex nihilo nihil fit, ex mari productum, & tandem in cœlos elevatum credidêre.

Si Petri initia cum S. Augustino aspiciamus, (d) ecce insidiatur is piscibus & dum insidiatur gregibus æquoreis in mari, ipse incidit in rete Salvatoris, juxta illud Psalmistæ psal. 17. *misit de summo & accepit me, & assumsit me de aquis maris* è fluctibus mundi eripuit eum & gratiosè transtulit in cœlum Apostolicum, ubi tanquam Sol refulgeret. Instar filiæ Pharaonis adoptavit eum, & dedit illi nomen, non Moysis, sed Petræ, super quam erat ædificaturus Ecclesiam suam.

Excellentia prima Solis est, quod sit astrorum Dux, Princeps siderum, claritate cunctas stellas præcedens, medius in Planetarum Choro. Quis excellentiam hanc denegabit Petro? qui princeps extitit inter cœteros

(a) *3. Reg. cap 7.* (b) *Bernard. ferm. 1. de Apost.* (c) *Ecclesiast. c. 50.* (d) *August. ser. 27. de SS.*

Apoſtolos Domini, primatu nobilis, poteſtate maximus, cui traditæ à Chriſto claves Regni cœlorum, Sol illuſtris refulgens in Eccleſia Dei.

Excellentia non minor Solis eſt, dum radios ſuos undequaque diffundit in omnes beneficus Planeta; ab oriente in occidentem ſingulos terræ angulos illuſtrans, calefaciens & fœcundans. Petrum quod attinet, ſpargit & is in omnem terram radios gratiarum & beneficiorum: (a) Circuibat teſte Leone M. Pontum Gallaciam, Cappadociam, Aſiam Bythiniam, luce ſuâ ubique tenebras Idololatriæ, ubique ſanitatum dona conferens, & oppreſſos à Diabolo perſonans; quin & Solis hujus umbra ità benefica erat in omnes, ut Act. 5. *in plateas ejicerent infirmos,* (b) *& ponerent in lectulis & grabathis, ut veniente Petro ſaltèm umbra illius obumbraret quetquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.*

Vitalem ac fœcundum influxum Solis in arbores, plantas, gemmas ac metalla nemo ſanæ mentis negabit juxta commune effatum, Sol cuncta vivificat & vgetat; at calor illius & radii omnes non tantæ virtutis extitêre, ut minimus radius Petri, quem Actor. cap, 3. in claudum ex utero Matris ad portam ſpecioſam conjecit, vix enim dixerat ad eum Reſpice in nos, intende oculos tuos in ſolem, & protinus conſolidatæ ſunt baſes hujus & plantæ, *& exiliens ſtetit & ambulavit.* Eâdem vitali influentia octo annis jam in grabato decumbãs Æneas paraliticus juſſu Petri in pedes erectus eſt Act. 9. (c)

Major radiorum ſolis hujus virtus ſe exeruit in Tabitha, quàm Petrus vocatus in Joppen, (d) ac mortuam in cœnaculo inveniens, binis verbis *Tabitha ſurge*, à morte ad vitam revocavit.

Nullibi tamen vitalis vigor & influentia ſolis hujus magis eluxit, quàm in S. Materno Epiſcopo Colonienſi, diſcipulo Petri. (e) Hic ſanctus anno Chriſti 48. in ſocium itineris à S. Petro aſſumptus, poſtquam Romam devenit, in Galliam & Germaniam remiſſus unà cum Euchario & Valerio poſt plurimos exantlatos labores, (f) toleratas perſecutiones, ac diſſeminatum Evangelium, tandem Ellæ in Alſatia febri obiit: bini ejus ſocij poſtquam corpus terræ mandarunt, Romam abiêre, mortem Materni Petro cum lacrymis nuntiantes; auditâ morte Petrus mox tradito baculo ſuo paſtorali mandat, ut ad ſepulchrum Materni redeant, id aperiant ac Materno dicant: *Frater Materne, Petrus Apoſtolus Jeſu Chriſti mandat tibi, ut in nomine Patris & Filij & ſpiritus ſancti è mortuis reſurgas, & officium tuum Epiſcopale continues.* Et ecce Maternus, qui non ut Lazarus quatriduanus

(a) *Leo Papa ſerm. 1. de Petro & Paulo.* (b) *Actorum c. 5.* (c) *Actor. c. 9.* (d) *Actorum c. 9.* (e) *Cronica 3. plex Fortunat. Hueber pag. 962.* (f) *Adamus Weber fonte 29. exemplo 4.*

nus, sed ultra 40. dies jam in tumba jacuerat, ad verba illa & impositum baculum, velut ad orientem solem oculos aperuit, & surrexit; ac per plnrimos annos Rheni Apostolum ac Coloniensis Ecclesiæ Episcopum donec egit, tandem alterâ vice Coloniæ in Domino requievit. Ecce virtutem & vitalem influentiam Solis nostri etiam in alio Hæmisphaerio existentis.

Referunt Poetæ fabulam de Icaro Dædali Filio, cui cùm pater alas cereas adpatâsset, isque gloriæ cupidus in aëra sese librâsset, ac ad Solis orbitam contenderet, mox liquefactis alii ardore radiorum Solis decidisse in mare Jonium, ac in fluctibus sepultum.

Quod Poetæ fabulati sunt de Icaro, id veritas extitit in Simone Mago, erat hic ob præstigias suas Neroni Imperatori charissimus, inimicissimus è contra Petro, utpotè qui fraudes illius non semel cum grandi confusione patefecerat: iratus igitur Galilæis seu Christianis ad Neronem venit, denuntians, sese à Petro offensum velle evolare ad cœlum sedem suam paternam repetiturus, rumoreque tali totumRomanum populumad spectaculum excivit; aderat Petrus cum Collega Paulo audaciæ tantæ iratus, ac in genua sese ante Dominum abjecit, rogans cum lacrymis, ne fidem suam his vestigiis Simonis sineret periclitari, & ecce vix oratio Petri penetravit ad cœlos, cùm temerarius impostor ex aëre velut alter Icarus fractis cruribus decidit in terram. Unde S. Maximus serm. de Apostolo ait: *factum est orante Petro, ut qui paulò ante volare tentabat, subitò ambulare non posset; & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.*

Qualitas alia Solis est, ut per rimas intima penetralium penetret, cũcta rimetur ac illuminet: hinc Cassanæus solem non immeritò vocavit *Oculum ætheris.* Nec hanc qualitatem Solis denegare Petro possumus, utpotè qui cor hominum, de quo Jeremias ait, *inscrutabile est cor hominis, & quis cognoscet illud*, (a) intimè penetravit, ac suis radiis perstrinxit. Abundè hoc monstravit in Anania & Saphira, quorum, (b) mendacem linguam & animum repentinâ morte castigavit.

Rimatus est & arcana pectoris Simonis Magi; detexitque fraudulentiam in corde illius latentem, unde Actor. cap. 8. in faciem ei improperat *in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse; pœnitentiam itaque age, ab hac nequitia tua, & roga Dominum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*

Quod antiquis credibile non erat, hoc fecerunt credibile Astronomi nostri, monstrantes ad oculum teloscopiis suis in serenissimo cœteroquin sole maculas non unas teste Gallilæo & Tichone. Fateri eheu cogimur, & in sole nostro muculas deprehen-

(a) *Jeremiæ c. 17.* (b) *Actorum cap. 5.*

ſas plures: Macula grandis erat abnegatio trina in atrio Pontificis. (a) Maculam alteram incurrit in horto turpi fugâ Magiſtrum ſuum deſerens. (b) Macula iterum gravis erat modica fides & titubatio in mari, unde meritò à Chriſto culpatus cum dicterio cordi ejus infixo *modicæ fidei* (c) *quare dubitâſti?* has tamen infames maculas continuis lacrymis & ſingultibus velut lixivio ſacro delevit: (d) audite quid Nicephorus de Petri lacrymis ſcribat: Ex tunc Petrus traxit in conſuetudinem ut in primo Gallorum cantu, uſque ad horam matutinam fleret, tanta cum abundantia, ut oculi ex fletu continuo madidi ac ſanguine ſuffuſi apparerent: (e) De lacrimis his ait S. Leo felices lacrymæ tuæ ò Petre, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuerunt baptiſmatis. Maneat ergo Elogium Petro, *quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei*; (f) Hinc ait Chryſoſtomus quot Reges Urbes everterunt, portas extruxerunt, & nominibus ſuis inſcriptis deceſſerunt; nec tamen eis quidquam profuit, ſed ſilentio & oblivioni mandati ſunt; Piſcator autem Petrus etiam poſt mortem reſplendet ſole clarius: (g) & Auguſtino teſte, *nunc ad memoriam Piſcatoris flectuntur genua Imperatoris.*

Hæc de Petro, ad Paulum nunc nos vertamus, à Sole ad Lunam, à vaſe admirabili, ad vas electionis, à Petro ad Paulum, (h) qui ſicut Luna plena luxit in diebus ſuis.

Qualitates varias Lunæ adſcripſêre Philoſophi; videtur tamen S. Ambroſius. (i)

Omnium optimè eas adumbrâſſe, dum ait.

Luna eſt decor noctis.
Æmula Solis.
Dominatrix Maris.
Præſaga tempeſtatum.
Solamen iter agentium.

Omnes hæ excellentiæ & qualitates apprimè cadunt in vas electionis: Jure meritò appellari poteſt Paulus Decor noctis, utpote miſſus à Deo ad tenebras Gentilitatis & Idololatræi illuſtrandas, ut eſſet luminarie minus, quod præeſſet nocti, (k) juxta id quod Iſaias prædixerat, *poſui te in Lucem gentium.*

Noctem utique dicetis fuiſſe tenebroſam, ubi allia & cepæ pro Diis culta ſunt: fecit hoc tamen Ægyptus;

Noctem utique dicetis, ubi argento & auro, ligno & lapidi curvata ſunt genua; ubi pro Deo adoratæ ſunt creaturæ; fecit hoc totus propè orbis; unicum angulum Judææ ſi excipias.

Nox utique erat, ubi ſapientiſſimi Areopagitæ ità cœcutiebant, (l) ut Aram ignoto Deo Athenis erexerint.

Nox utique erat, ubi ſceleri nulla pœna ſed laus & merces; ubi flagitiorum nullus metus, nullus modus.

Nox utique fuit, ubi Princeps tenebrarum ſceptra gerebat, & legem ponebat impiis ut malè agerent. Nox

(a) *Math. c. 26.* (b) *Math. c. 26.* (c) *Math. c. 14.* (d) *Nicephorus 2. c. 37.* (e) *S. Leo ſerm. 9. de paſs.* (f) *Chryſoſtomus hom. in pſal. 48.* (g) *Auguſt. ſerm. 28. de SS.* (h) *Eccleſiaſt. c. 50.* (i) *S. Amb. in Hexam.* (k) *Iſaiæ.* (l) *Actor. c. 17.*

Nox utique erat Lystris, quando viso miraculo personati Claudi: (a) Barnabæ & Paulo, tanquam supremis Diis Jovi & Mercurio, Sacerdos Jovis cum victimis & coronis processit obviam, in honorem eorum sacrificaturus cum populo, nisi Paulus obstitisset.

Verbo Oriens & Occidens, Meridies & Septentrio tenebris totus erat obductus.

Ad noctem hanc tetram depellendam; ad tenebras has illuminandas segregavit Dominus Paulum; vocans eum de tenebris in admirabile lumen suum: lumine hoc corruscante mox in orbe dissipatæ sunt tenebræ gentilitatis; *populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam*; fugatus est error, ac veritas illuxit, dum Paulus sicut Luna plena luxit in diebus suis; Decor utique noctis.

Qualitas altera Lunæ est, ut sit æmula Solis: & hoc convenit Paulo: Paulus enim ex omni parte est æmulus Petri, unde accommodari illi potest illud Isaiæ 30. *Erit lux Lunæ sicut lux Solis*: & quis negabit, Paulum esse æmulum Petri? cùm apertè id confiteatur Leo Papa ser. 1. de Apost. dicens, *de eorum meritis ac virtutibus nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit esse æquales.*

Humilis erat Petrus, dum post admirandam capturam tot piscium ad Salvatorem dixit: (c) *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*: humilior in lotione pedum, dum protestatus est, (d) *non lavabis mihi pedes in æternum.* Humillimus denique in morte; dum demisso in terram capite in cruce mori voluit.

Luna est æmula Solis, Paulus æmulus in humilitate Petri; dum se vocat minimum Apostolorum, (e) nec dignum, qui vocetur Apostolus: dum se turpe abortivum nominat, novissimè tanquam abortivo visus est & mihi (Dominus Jesus): dum denique se peccatorem primum & maximum dicit 1. Timoth. 1. *Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*: en ut æmula Solis est Luna.

Patiens erat Petrus, patiens & Paulus; (f) ambo catenas, virgas, carceres, contumelias, persecutiones cum gaudio pertulêre; gaudentes à conspectu concilii egredientes, quod digni essent, contumeliam pro Christi nomine pati.

Deflevit amarè Petrus delictum suum, (g) & multis lacrymis Paulus deflevit & luxit peccatum suum, quod ignorans persecutus esset Ecclesiam. (h)

Grandis erat charitas Petri, (i) unde trinis vicibus interrogatus à Christo, Petre amas me, totus contristatus resp. Domine tu scis, quia amo te.

(a) *Actorum c. 14.* (b) *Math cap. 4.* (c) *Luc. cap. 5.* (d) *Joan. cap. 13.* (e) *1. Corinth. cap. 15.* (f) *Actorum cap. 5.* (g) *Matthæi cap. 26.* (h) *1. Timoth. cap. 1.* (i) *Joan. cap. 21.*

Paulus æmulus Solis adeò in charitate ardens erat, ut omnes creaturas & tormenta provocaverit ad certamen, (a) *quis nos separabit à charitate Christi?* tribulatio an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? certus sum, quia neque vita, neque angeli, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.

Pares ambo extitêre in laboribus; pares in animarum zelo; pares in miraculis, pares in morte; pares in gloria.

Umbrâ Petri sanabantur infirmitates; (b) semicinctia & sudaria Pauli fugabant morbos. (c)

Erexit Petrus claudum ex utero matris in pedes ad portam speciosam templi; (d) idem præstitit Paulus Lystris. (e)

Ad vitam revocavit Petrus Tabitham; (f) Eutichum de 3. cœnaculo cadentem in terram, ac sublatum mortuum in pedes vivum erexit Paulus. (g)

Debellavit Petrus Simonem Magum, ac volantem ex aëre dejecit: (h) debellavit Paulus Elymam Magum, ac cœcitate percussit. (i)

Ambo pares, ambo æmuli; nec in morte sunt separati; ambo martyrium subiêre sub Nerone, ambo Romæ passi & sepulti.

Nec minor qualitas est Lunæ, quod sit dominatrix Maris & præsaga tempestatum. Dominium maris si Paulum vocem, non erro: (k) Ter naufragium quidem fecerat Paulus, die noctuque in profundo maris jactabatur, sed nunquam dominati sunt ei fluctus maris; semper emersit, semper eum manus Domini de limo profundi extraxit.

Testari hoc poterunt animæ illæ ducentæ septuaginta sex, certò aliàs in pelago sepeliendæ, nisi precibus Pauli delinitum Numen, universas charitati Pauli donâsset Actor. 27.

Non tempestatem maris solùm & naufragium nautis prædixit Paulus, sed de graviori tempestate & interitu brevi secuturo admonuit Andronicum Comnenum Imperatorem Constantinopolitanum: (l) Hic enim, Niceta teste, (m) cùm in honorem Pauli in templo 40 Martyrum auream erexisset imaginem; visa est illa paulò ante necem Cæsaris copiosis lacrymis diffluere, quas licet famuli strophiolis abstergerent, novæ tamen semper guttæ eruperunt, interitûs & necis ipsius prænuntiæ: ô quàm verè tunc dici poterat:

Pallida Luna pluit, Rubicunda flat, Alba serenat.

Non minima laus est Lunæ, quod sit solamen iter agentium. Ah quàm perversum iter inceperat Paulus Damascum

(a) *Rom.* 8. (b) *Actor. cap.* 5. (c) *Actor. cap.* 19. (d) *Actor. cap.* 3. (e) *Actor. cap.* 14. (f) *Actor. cap.* 9 (g) *Actor. cap.* 20. (h) *Baron. An. Chr.* 68. (i) *Actor. cap.* 13. (k) 2. *Corinth. cap.* 11. (l) *Cornelius in Proœm. in Ep. Pauli.* (m) *Nicetas Lib.* 1.

malcum versus, *dum spirans minarum & cædis in Discipulos Domini accessit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo Epistolas in Damascum, ut si quos invenisset hujus viæ Viros & Mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem*, Actor. cap. 9. Iter sanè perversum; simile Balaami, cui in via evaginato gladio restitit angelus Domini: non Angelus Paulo restitit in via, sed ipse Dominus; cùm enim appropinquaret Damasco, subitò circumfulsit eum lux de cœlo, & cadens in terram audivit vocem dicentem sibi, Saule, Saule, quid me persequeris?

Ah quàm grande solamen hoc est peccatoribus: Heu quoties currunt cum Paulo vindicativi ad fundendum sanguinem! heu quoties ambulant in via peccatorum & iniquitatis! imò ob multitudinem & gravitatem peccatorum desperabundi properant ad barathrum inferni! sed gratia Dei & exemplum Pauli, eos subindè gratiosis radiis illuminat, ac ab interitu retrahit, ne desperent; sed potiùs confidant exemplo Pauli ex vasis iniquitatis fieri adhuc posse se vasa electionis. Luna igitur solamen iter in peccatis agentium.

Tot excellentias & prærogativas licet habeat Luna; habet tamen illa juratis inimicis canes, qui eam, ubi plena est, allatrare non desinunt, ejus lucem non ferentes; nihilominus illa incontaminata refulget, ac cursum suum prosequitur.

Vah quot rabidi canes insurrexêre contra Paulum, ac eum vocibus magnis allatrârunt? quot persecutiones ac insidias ei struxêre, ut eum perderent?

Allatratus est Ephesi Actor. c. 19. ubi omnis populus contra Paulum insurrexit.

Allatratus est Lystris, ubi lapidibus adversus eum est concursum. Actor. cap. 14.

Allatratus est ab Elyma Mago, Act. c. 13. quem tamen splendor Lunæ hujus mox excœcavit.

Allatratus est demum Actor. c. 23. à 40. Judæis, qui sese devoverant, non manducaturos priusquam Paulum occidissent: semper tamen intrepidè cursum suum peregit Paulus, semper exclamans, quis nos separabit à charitate Christi: sæviant Judæi, insurgant tyranni, latrent impudentes canes; cursum consummabo, fidem servabo. Quis ergo non exclamet? sicut Luna plena luxit in diebus suis.

Manet ergo, Petrum fuisse in Ecclesia Luminare majus, qui ut Sol effulsit in domo Dei: Paulum Luminare minus, æmulum tamen Soli in claritate, in fulgore, in virtutibus, in meritis & gloria.

Nunc ad vos me converto, ô Sanctissimi cœlorum Principes: quasnam vobis ô Beatissimi Apostoli referemus gratias? Vos estis, qui tenebras splendore vestro è mundo eliminâstis.

Vos estis, qui Christum nobis & Evangelium ejus annuntiâstis.

Vos

Vos eſtis, qui idololatriam, quâ totus mundus polluebatur, in fugam egiſtis.

Vos eſtis, qui gaudentes ibatis à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti eſtis pro Chriſto contumelias, carceres, virgas & verbera pati.

O Glorioſi Apoſtoli! gratulamur vobis triumphos veſtros, deoſculamur catenas & compedes, quibus vincti; lapides, quibus appetiti; virgas, quibus cæſi; crucem & gladium, quibus martyrio affecti; Jubilamus ad victorias & triumphos, quos de Nerone retuliſtis; ad palmas & coronas, quibus à Chriſto in cœlis condecorati eſtis: nunc finem acceperunt labores veſtri; hyems tranſiit, imber abiit, tempus æternæ felicitatis advenit; nunc laborum veſtrorum mercedem copiosè vobis reddidit Deus, lacrymasq; & ſudores veſtros abſterſit; nunc redimiti coronâ gloriæ & ſtolâ immortalitatis æternùm cum Chriſto in cœleſti Solyma triumphatis.

Reſpicite obſecro, ô magna cœli Luminaria, ſedentes in tenebris ac umbra mortis; conſolamini deſolatos in valle lacrymarum jacentes; intercedite pro populo Dei & Eccleſia Sacroſancta; ac impetrate nobis, ut in fide, quam prædicâſtis conſtantes; in amore, quo arſiſtis ferventes; in patientia, humilitate, cœterisque virtutibus, quibus nobis præluxiſtis, imitatores ſeduli exiſtamus; donec poſt pugnas & labores pro Domino exantlatos, paradiſi januam nobis pandatis.



IN

IN FESTO VISITATIONIS B. M. V.



Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in Montana cum festinatione. Luc. I.

ASpexerunt hodie Montana Judææ, rem prorsus insolitam, factum variis suspicionibus, temerariisque Judiciis obnoxium; dum nempè Juvencula Virgo, ætate florida, decora facie, annis tenera, à verecundia & honestate ubiq; laudata, in publico raro comparens, orationi aut manuali exercitio in abscondito semper intenta, plus solita conversari cum Angelis, quàm hominibus, insolitam resolutionem capi-

ens

ens, relictâ domo paternâ, unicâ solùm ancillula comitante, Petaso caput tecta, scipione in manus sumpto, iter longinquum ac perquam difficile aggreditur, & cum festinatione montes & colles Judææ transcendit, donec ventum in Hebron, ubi ignotam domum ingressa, spatio trium propè mensium in ea est demorata.

Quid de hac actione judicandum existimatis auditores? Ipsi Angeli eam obstupescunt, ac præ admiratione illam non capientes, sese interrogant: (a) *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* Quasnam ergo cogitationes, quas suspiciones, quæ judicia non formabunt homines? quibus etiam actiones innocentes subindè sunt suspectæ.

AA: Non simus præcipites in judicando, sed castigemus judicia nostra, ne & nobis à Christo objiciatur id, quod olim Math. c. 9. objectum est Scribis & Pharisæis taxantibus opera Christi, *ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?*

Apage cum Judiciis his perversis, quæ non capiunt mysteria Dei.

Sancta prorsus & gratissima altissimo extitit peregrinatio hæc, à Spiritu Sancto dictata, à Filio Dei in utero Virginis pauculos ante dies concepto ratihabita.

Plena est omni sanctitate & gratiâ, devotissima peregrina nostra Maria, quæ acceptâ salutatione ab Archangelo Gabriele, post obumbrationem Spiritûs Sancti & incarnationem filii Dei, mox relictâ Nazareth cum festinatione ad Montana Judææ contendit, donec ad sacerdotalem urbem Hebron pervenit, ac domum Zachariæ ingressa amantissimam cognatam Elisabeth salutavit & complexa est.

Ita apertè docet hodiernum Evangelium Lucæ cap. 1. *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in Montana cum festinatione in civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.*

Sed quis difficultates Evangelii hujus & recondita Sacramenta sufficienter enodabit? cùm vix per anni decursum occurrat Evangelium, quod tot pariat curiosas quæstiones, tot intricata generet dubia, tot moveat sacras speculationes SS. Patribus, quàm hodiernum; dum ab iis disceptatur.

Cur Evangelista nomen taceat civitatis Juda, ad quam ita festinantèr Maria contendit?

An civitatis illius nomen proprium sit Montana? uti docet Euthymius ac Nicolaus de Lyra in cap. 1. Lucæ.

An secundùm Adrichomium in descriptione terræ S. sit Emaus, ubi incipiunt Montana Judææ? an secundùm Card. Toletum Bethlehem civitas David? in c. 1. Lucæ.

An verò Cariath-arbe seu Hebron juxta Baronium in annot. super c. 1. Lucæ?

An domus Zachariæ juxta Brocardum in descriptione terræ S. sita fuerit ad vallem Raphaim?

Quot

(a) *Cant. 8.*

Quot dies aut milliaria in hoc itinere insumpta?

An pedes iter confecerit, aut humili vecta asello, exemplo filio suo præiverit?

An ministerio angelorum cum festinatione in domum Zachariæ sit deportata?

An Jerosolymam prius diverterit Virgo ex itinere? uti opinatur Cornelius in cap. 1. Lucæ, gratias ob beneficium incarnationis altissimo actura?

An Joseph Sponsam sit comitatus, uti perperam censet Jansenius?

Quali salutatione ad Elisabeth veniens sit usa?

An Joannes in utero agnoverit Christum, adeoque ei usus rationis acceleratus?

Sufficiet nobis hodie transmissis curiosis his quæstionibus, causam festinati itineris solùm indagare, dabit id nobis doctrinam sufficientem, quatenus & nostras visitationes imposterùm sanctè instituamus.

Sine præmeditato consilio Virginem peregrinationem hanc in Montana ita festinanter esse aggressam, nemo sanæ mentis dixerit: latent prægnantes causæ, videamus, an eos deprehendamus.

An fortè ad Hebron Virgo properat, urbem trium Patriarcharum, Abraham, Isaac & Jacob tumulis illustrem? Votum suum ibidem exolutura exemplo Absolonis, qui 2. Reg. c. 15. ad Patrem suum dicebat, vadam & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.

An certificata ab Angelo (a) filium suum modò in utero conceptum regnaturum in domo Jacob, exemplo Davidis, auspicatura ibidem regnum ascendit in Hebron 2. Reg. c. 2.

Num fortè insidias à Dracone fœtui suo cœlesti metuens instar mulieris illius apocalypticæ (b) duabus alis aquilæ assumptis fugit in Montana cum festinatione?

An abominatio desolationis prædicta à Daniele Propheta Math. 24. modo appropinquavit, *ut qui in Judæa sunt, fugiant ad montes?*

An fortè Maria est Heroina, de qua Isaias c. 40. dixit: *Super montem excelsum ascende Evangelizatrix Syon* [uti Hebræus textus habet (c)] *dic civitatibus Juda, ecce Deus vester*, scilicet quem in utero gesto.

Cogitationes hæ quidem sunt plausibiles, sed ne abeamus à Semitis Doctorum, sensum SS. Patrum hac super re investigemus.

Si Mediolanensem Antistitem Ambrosium interrogemus, inveniemus eum hanc festinationem adscribere verecundiæ & virginali pudori, dum in cap. 1. Lucæ ait, *Festinavit Virgo, ne extra domum diu in publico moraretur*, suo exemplo erudiens Virgines, publicum fugere; unde addit, discite Virgines non demorari in plateis, non in publico miscere sermones; nam Virgo, quæ sæpè in publicum

(a) *Lucæ c. 1.* (b) *Apocal. cap. 12.* (c) *Vivien conc. 5. de Visit. Virg.*

ſine cauſa prodit, rarò melior domum redit.

Si Bonaventuram conſulamus, arbitratur is, hoc iter à Maria non alia de cauſa ſuſceptum, quàm ad demisſionem & charitatem proximi exercendam, ut inſerviret cognatæ Eliſabeth, unde in ſpec. Virg. c. 4. B. Virginem figuram humilis Abigaelis hic adimpleſſe contendit, quæ per nuntios ad Davidem vocata reſpondit: *Ecce famula tua ſit in ancillam, ut lavet pedes ſervorum Domini mei*; Confirmat mentem Bonaventuræ mellifluus Bernardus, dum ſerm. 1. ſuper ſignum magnum ait, Maria totâ alacritate montana aſcendit, ut miniſtraret cognatæ Eliſabeth; nec mirum, quæ enim paulò prius à Gabriele ſalutata ſe ancillam Domini aſſeruit, etiam in obſequio cognatæ, humilis famula eſſe deſideravit, memor illius effati, *quantò major es, humilia te in omnibus*, Eccleſ. c. 3. Obſtupuit ipſa Eliſabeth demiſſionem hanc, hinc teſte Euſebio Emiſſeno hom. de viſitat. B. V. ait: *Unde mihi hoc, ut Mater Domini mei veniat ad me?* quaſi dicere vellet: Ego potius ire debui ad te: Ego in utero ſolùm fero Luciferum, tu Solem juſtitiæ; Ego ſolùm vocem clamantis, tu verbum, per quod facta ſunt omnia; Ego præcurſorem, tu Meſſiam & Dominum. Unde ergo mihi hoc? Verùm tua tuique filii humilitas te coëgit venire ad me. Chriſtus ergò in Virginis utero deliteſcens erat Virgini humilitatis incentivum & Exemplar; humilem enim paritura, quidni & ipſa humilitate præluceat? Si Filius venit, non miniſtrari, ſed miniſtrare, cur Mater ſervitia hæc dedignetur?

Undè concludit Bonaventura l. c. O verè admiranda humilitas! Ecce non ſolùm Domini ancilla, ſed etiam ſervorum Dei ancilla dignatur eſſe Maria.

Cauſam aliam æquè ponderoſam affert itineris hujus & feſtinationis venerabilis Beda hom. 1. ſup. 1. c. Luc. gaudium nimirum & exultationem; dum Deo plenam ſe ſenſit, ac ab Angelo intellexit, opprobrium longævæ ſterilitatis tandem à cognata Eliſabeth ablatum, hinc ait, intrat Virgo domum Zachariæ, non quaſi dubia de oraculo, quod acceperat, ſed ut congratulatura de dono, quod conſervam Eliſabetham accepiſſe didicerat. Unde ait Rupert. Abbas l. 1. in Cant. habent Ss. hoc proprium, ut ita gratulentur de beneficiis, quæ aliis impenſa perceperunt; quemadmodum & de illis, quæ ſibimet collata ſunt. Tangere viſa eſt & ipſa Virgo B. M. hoc gaudium dum in illas lætiſſimas voces præ jubilo erupit: *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna, qui potens eſt.*

Veneror & exoſculor rationes has Patrum, magis tamen arridet mihi, quod Origenes hom. 7. in Lucam, Concilium Baſileenſe Seſs. 43. ac Cyrillus Alexandrinus in c. 1. Lucæ ſentiunt, quorum ultimus in cap. Lucæ ita loquitur: *Feſtinavit Maria, ut Joannem per Filium ſuum, quem in utero ferebat, in utero Matris ſanctificaret, & ſuam ſic pro peccatoribus patefaceret curam.*

Nove-

Noverat siquidem benignissima Virgo Joannem originali peccato obstrictum, gratiâ divinâ orbatum, filium iræ & maledictionis, Diaboli capitivum & mancipium; volebat proindè initium dare operi, ad quod exequendum Christus in uterum descenderat virginis, nempè ut peccatores salvos faceret, Et quia illa hoc non poterat de se (*quis enim potest mundum facere de immundo conceptum semine*, (a) nisi solus Deus) Hinc confisa Sacro ponderi, quod benedicto claudebatur utero: tantâ cum festinatione properavit per montana, ut captivum vinculis Sathanæ exolveret; Sedentem in tenebris sole justitiæ illustraret; ex filio iræ, filium adoptionis & gratiæ faceret, maculâ demũ originali denigratum dealbaret.

Pergit Ergo Ovis immaculata portans agnum Christum, qui portaturus erat peccata mundi. In quæ verba ait doctissimus Deaponte in cap. 1. Lucæ. Quò abis ò Virgo purissima nunquid in montana? Cur relinquis quietem domus tuæ? Cur ita properas, ut intres domum Zachariæ bajulans in utero tuo, quem diligit anima tua?

Inde respondentem sic introducit, propero, ut dilectum, quem inveni, celeriter introducam in domum Matris meæ, (b) Charitas Christi urget me; semper in auribus meis insonant verba Sapientis Prov. 6. *discurre, festina, suscita amicum.*

Unde jure meritissimo hâc suâ acceleratione & festinatione merita est Maria titulum Refugii peccatorum, ac vocari Mater viventium, quia cum peccatores per peccata moriantur, patrocinante tamen Mariâ iterum vivificantur.

Accommodè proindè exclamat S. Epiphanius serm. de laud. Deiparæ: felix visitatio, quæ tantam invexit felicitatem in domum Zachariæ.

Accidit hîc in domo Zachariæ, quod olim in templo Dagon & domo Obededom, quam primùm enim arca Domini illata est in Templum, mox Dagon pronus cecidit in terram, & caput, manus ac pedes rupit, vix Maria ingressa est domum Zachariæ, mox ille fortis, qui originali peccata vinctum detinebat Joannem, cecidit pronus in terram, submittens caput suum fortiori; unde in signum lætitiæ mox Joannes exultavit in utero Matris, quia per salutationem Mariæ factus in animam viventem.

Nec absimilis existit domus Zachariæ domui Obededom. Sicut enim mox ubi arca Dei translata est in domum Obededom, (c) *Benedixit Dominus Obededom & omnem domum ejus*, ita ubi advexit ac divertit arca Domini Maria in domum Zacharias benedixit Dominus omnem domum ejus, muto Zachariæ reddita est vox, Elisabeth repleta est Spiritu Sancto, sterilis peperit & prophetavit, infans sanctificatus est in utero.

(a) *Job. c. 14.* (b) *Cant. c. 3.* (c) *2. Reg. c. 6.*

Felicia fuêre proinde montana Hebron, in quibus â vinculis originalis peccati Joannem necdum natum suâ præsentiâ exolvit Virgo Mater, titulum refugii peccatorum ibidem primùm promerita.

Ascendamus & nunc parum per montem Calvariæ, ibidem quoq; deprehendemus titulum hunc refugii peccatorum â Christo inclinato capite confirmatum esse Virgini.

Quam causam existimatis, Auditores, extitisse, cur latro tot scelerum reus ita repentè ex filio gehennæ factus sit hæres paradisi?

Adscribetis fortè conversionem hanc insolitam cum Doctore Ambrosio, (a) inconcussæ fidei Latronis, dum patientiam Salvatoris inter millenas injurias, maledicta, derisiones, tormenta & dolores adeò invictam admirans intellexit, quod pro alienis peccatis has plagas susciperet, pro alienis sceleribus hæc vulnera sustineret, credens, quod illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera, sed Latronis atq; ideò plus amare cœpit, postquam in corpore ejus sua vulnera recognovit, undè mox audire meruit: Hodie mecum eris in Paradiso; hanc tantam gloriam Latroni Fides præstitit: fides enim est, quæ peccata cooperit, quæ vincit Crimina, quæ facit de Latronibus innocentes; Hæc magnus ille Doctor.

Aut cum Sancto Vincentio Ferrerio id adscribetis salutiferæ umbræ Christi Latronem obumbrantis? (b) Si enim umbra pertranseuntis Petri adeò potens erat, ut in via jacentes infirmos quoslibet persanaret, (c) quantæ virtutis credendum est, fuisse umbram Salvatoris? juxta effatum Oseec. 14. *convertentur sedentes in umbra ejus.*

Aut fortè cum Abbate Ludovico Blosio assignabitis hoc dexteræ Christi, sic enim ille ait. Unde Latroni huic tam cita correctio? ℟. postea: hæc mutatio est dextræ Christi, ad quam infelix pendebat, de qua virtus hæc exibat.

Aut cum Ruperto (d) abbate Tuitiensi ad meliora tractum asseretis, ubi oratio illa Christi adeò intensè Patrem pro inimicis obsecrantis: Pater dimitte illis &c. auribus ejus velut sacrum tonitruum est illapsa.

Aut cum Hieronymo lucem divinam Latroni abortam arbitramini, ubi *tenebræ factæ sunt super terram.* (e)

Aut immutatum cor ejus lapideum, ubi petræ scissæ, ita enim sentit ille dicens, sole fugiente, terrâ commotâ, (f) saxisq; disruptis & ingruentibus tenebris Latro cœpit credere & confiteri Jesum. Consentit Hieronymo August. serm. 130 de parasceve in eodem passionis tempore, Crucifixus universam creaturam turbavit & saxa disrupit, duriorem

veiò

(a) *Parte 3. serm. 44. & 45.* (b) *Fer. 6. in Parasceve.* (c) *Actor. c. 5.* (d) *Rupertus in verba hodie mecum eris.* (e) *In c. 27. Math.* (f) *Hieron. loc. cit.*

verò lapidibus animam (Latronis) attraxit.

Omnia sanctè, omnia doctè, omnia benè.

Verùm magis arridet mens S. Anselmi de excell. Virg. magis placet quod loquitur Hesichius tom. 2. B. B. de laud. M. V.

Magis approbo, quod Cardinalis Petrus Damiani serm. de pass. Domini testatur, idcircò Latronem resipuisse, eò quod Maria Virgo inter Crucem Christi & Latronis posita filium pro Latrone sit deprecata, hoc suo beneficio antiquum Latronis obsequium, quo fugientes in Ægyptum â cœteris prædonibus defendit ac hospitio suscepit recompensatura, verba ipsa audite piissimi Cardinalis: Latro in Cruce conversus est, sed cur? cur non resipuit, cum JEsum in via sequebatur? cum eum Crucem ferentem vidit? ac respondet, tunc convertitur Latro ille, cum Maria juxta Crucem stabat, ac pro eo deprecabatur filium, qui inclinato capite annuens, nil denegandum fore peccatoribus monstravit, si ad hoc refugium peccatorum accederent.

AA. Si vobis hactenus non satis est probatum, Mariam in binis his montibus titulum refugii peccatorum esse promeritam, ascendite obsecro mecum adhuc & in tertium, & monstrabo vobis ad Cavernam quandam aureis literis hunc titulum exaratum: Refugium peccatorum ora pro nobis.

Mons, ad quem tendimus, est perpetuis ignibus & sulphure infamis Æthna, in hoc monte miles quidam exauthoratus, Dionysius nomine, ex milite factus prædo, speluncam quandam elegerat futuram sibi receptaculum prædarum, ex hac Pharo observabat omnes transeuntes, & si quis fortè ad insidias ejus devenit, actum erat de eo, nam tractum ad cavernam suam mox jugulabat, pejor jllis Latronibus in Jerichuntina via, qui semivivo relicto abierunt.

Negotiorum causâ compulsus erat periculosum hoc iter inire Mercator quidam Catanensis Aegidius nomine; dissvadebant omni ratione infame iter amici & cognati, utpote quod plurimi eò îssent, sed non redjissent; monebant ut saltem armis probè se muniret ad omnem vim hostilem propulsandam, quibus is non aliud reposuit, quàm si Deus pro nobis, quis contra nos, sic Deo fretus in viam se dedit.

Olfecit mox pinguem hanc prædam â longè infamis hic Cacus, & ex insidiis notis deturbatam ex equo, fune ad collum alligato ad spelæum suum pertraxit, gulam illi præcisurus, cum Aegidius in tanto periculo ad Mariam conversus multis lacrymis opem ejus in extremis implorat, actum de se jam ratus: & ecce dum jam sub cultro Latronis fatalem ictum exspectat, totus mons horrendo terræ motu concutitur, dissiliunt saxa Cavernæ, ac vox ignota

nota ter nomine suo Dionysium inclamat: stupet ille, tremit ac Pauli instar quærit, Domine quid me vis facere? Cui subitò apparens Virgo ac splendore totam specum illustrans, ait, desine crudelis Latro insontem ferire, dissolve vincula servi mei Ægidij, & in pace eum dimitte, tu autem perditissime homo emenda vitam tuam, & in loco hoc, ubi tantum insontis sanguinis effudisti, pœnitentiam age, & deplora scelera tua, quibus filium meum & me ad iracundiam provocasti, ac proximam urbem Acim adi, & indica, ut supplices huc cum Cruce & vexillis compareant, ac in eo loco ubi viderint per circulum stantes grues, in honorem mihi & filio meo templum exstruant, gratias exindè sentient infinitas, hæc ubi dixit, disparuit jacebant interim ambo cœlesti lumine in terram dejecti, Dionysius veluti alter Saulus tremens ac stupens, Ægidius instar victimæ ictum supremum exspectantis, amborum oculi lacrymis diffluebant, Ægidio lacrymas eliciebat gaudium, quod ita mirabiliter eum â morte eripuisset Patrona Virgo; flebatècontra amarissimè Dionysius in recordatione anteactæ vitæ, ambo laudibus extollebant providentiam Numinis & auxilium Virginis, unus, quod neci Subtractus, alter quod ab interitu servatus.

Quod autem maximè stupendum erat, fuit admiranda Metamorphosis Latronis, qui non mente solùm, sed & specie & habitu corporis â Maria transformatus fuit in virum alterum: Amictus enim erat ad talos usq; rigido cilicio, renes succincti fune, capilli capitis omnes abrasi, barba cana ad pectus usq; defluens, ita ut in veritate cum Paulo ad Galat. 2. dicere posset, *vivo autem ego jam non ego, vivit verò in me Christus.*

Ubi ergo ambo ex consternatione sese nonnihil recollegêre, actis infinitis gratiis Deo & Virgini, Aegidius cœptum iter ad negotia sua peragenda est aggressus, Dionysius autem in viam se dedit versus Acim imperata Virginis acturus.

Obstupuit nimiùm quantum universa civitas Acim, ubi novum hunc & insolitum Eremitam aspexit; crevit in immensum admiratio, ubi jussa & mandata Virginis, ac quid circa se & Ægidium actum exposuit: mox enim adornatâ Processione ad antrum Latronis universus populus sese effudit, ac in loco illo, ubi â Virgine designati in circulo grues stabant, initium structuræ templi datum, vix aliquot ictus facti erant pro fundamento eruendo, cùm fons salutarium aquarum erupit, & cum profundiùs alibi in terra foderetur, eruta est etiam Imago Virginis pulchritudinis eximiæ, amicta erat Virgo peplo cœruleo stellis intermixtis, dexterâ tenens filium, qui unâ manu veluti benedicebat populo, sinistrâ

vero

verò tenebat gruem, quasi Symbolo hoc significaturus, gratam & cordi esse civitatem eorum Acim, ac pro populo gruis instar se semper vigilaturum.

Devotio & liberalitas populi tanta extitit, ut brevi insigne templum steterit, cujus dedicationi ipse interfuit Rex Siciliæ Fridericus. Historiam descripsit P. Octavius Cajetanus & ex eo Athlas Marianus Imag. 609.

Et quis nunc ita audáx erit, ut deneget Mariæ titulum refugij peccatorum? an non meritissimo Jure de Virgine dici potest, quod Cant. 4. de sponsa legitur, veni de Libano, veni de monte Sanir, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum, veni, coronaberis, quid sunt enim peccatores, nisi per vindictam r[illegible]entes Leones, ac maculis peccat[illegible]rum conspersi Pardi, Leo erat Dismas, Pardus Dionysius, an non ergo coronanda Virgo, quæ his bestjis cum festinatione eis succurrendo non solùm in agnos, sed Angelos transformavit.

Agnoverunt hanc prærogativam Virginis jam pridem SS. Patres, unde id non uno titulo sunt contestati. Hinc

â Germano Constantinopolitano Patriarcha dicta est spongia ad delenda peccata. (a)

â Bonaventura vena misericordiæ.

â Blosio Esca ad capiendas animas peccatorum.

â Methodio ara & altare miserationum.

ab Ephrem gratum diversorium peccatorum.

â Jo. Damasceno tuta civitas refugji.

Quibus deniq; tota assentitur Ecclesia ac pleno ore clamat: Refugium peccatorum ora pro nobis.

Manet ergo, Sanctissimam Virginem in montanis Judeæ, in Sanctificatione Joannis omnium primò initiatam esse titulo refugii peccatorum.

In monte Calvariæ titulus hic est confirmatus annuente Christo inclinato capite versus eam.

In Æthna deniq; toti orbi idem est manifestatus, ut in ore trium montium favores & adjutorium Mariæ decantantium stet omne verbum, hisq; ex montibus centies resonet amabilis Echo: Maria refugium peccatorum ora pro nobis.

Duo solùm sunt, quæ velim ut â Virgine addíscatis; Primum est, ut sicut illa ad maculam originalem in Joanne delendam cum festinatione Montana Judææ conscendit, ita & vos, si fortè ex fragilitate humana macula vobis peccati adhæsit aut aspersa est, mox cum festinatione properetis ad montem Domini, ut dealbentur animæ vestræ in sanguine agni.

U Alterum

(a) *Maraccius in Polyanthea Mariana.*

Alterum eſt, ut ſicut Viſitatio glorioſæ Virginis ex Sanctiſſimo fine proceſſit, ut nimirum labes peccati â Joanne abſtergeretur, ita & vos caveatis, ne viſitationes veſtræ ullo modo contrarientur Sanctitati, & ſceleſtâ veſtrâ urbanitate animæ innocentes potius pervetantur, quàm convertantur, ad ſcelera potius, quàm ad virtutem inducantur.



IN

IN FESTO S. HENRICI IMPERAT.



Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Eccleſiaſt. 31, c.

TOtus perplexus ac dubius hodiernâ luce, velut in bivio Herculis conſtitutus hæreo, quonam competenti honoris encomio, reverentiâ & demiſſione debitâ Sacratiſſimum Cæſarem Henricum ſalutem: Tot enim merita, tot excellentias, tot virtutes eſt reperire in illo, ut difficile videatur, inveniri poſſe elogium condignum, quod univerſas excellentias ejus adæquet.

Si enim Magni nomen ej attribuam, vera quidem dico, sed novi nil apporto; nam pluribus sæculis, ante eum, titulo hoc â mundo condecorati sunt, Alexander, Pompejus, Cato, Constantinus, Theodosius, omnes nuncupati Magni.

Si Pium ac probum dicam Cæsarem veritati contentanea loquor; sanctitas enim & probitas ejus universam illustravit Europam: Sed & hoc elogium ei præripuit Quintus Metellus, Antoninus, Ludovicus, Albertus, omnes dicti Pii.

Si Victoriosi nomen ei imponam, nil extra Rhombum affirmo; meruerunt hoc, expeditiones ejus victoriosæ in Græcos & Apulos, in Longobardos & Flandros, in Bohemos & Polonos. Sed & iterum Austriaci duo prodeunt Imperatores Rudolphus & Albertus, ac de titulo hoc contendunt, Primus ex 14. Prælijs victoriosi nomen sortitus, alter ob 12. præclaras victorias ab hoste reportatas, â militibus suis triumphator cognominatus.

Si Henrico encomium liberalitatis & munificentiæ adscribam in Deum & homines; veritati adstipulor, Testes sunt hujus magnifica templa & Episcopatus, quos hinc inde plusquam Regiâ munificentiâ erexit, Testis Bamberga, quam ex asse hæredem scripsit; sed & hîc præter alios controversiam movet Henrico, Alphonsus Rex Castellæ, cujus liberalitas Teste Mariana l. 9. c. 8. adeò magna, ut passim Alphonsus â perforata manu diceretur: affectat & pro se titulum hunc Jacobus I. Rex Aragoniæ, cujus liberalitate in solo Aragoniæ Regno ad 2000. Templorum in honorem Dei, ac Genitricis ejus sunt extructa. Fornerus l. 3. Palmæ triumph. cap. 12. cui dabo?

Si Henricum nuncupare velim defensorem Ecclesiæ, jam publico diplomate Pontificio, concessus est titulus iste â Leone Decimo Henrico VIII. Regi Angliæ; â S. Gajo Pontifice, Sebastiano glorioso Martyri.

Si nomen ei imponam Catholici, non patientur id Reges Hispaniæ, â Ferdinando, qui Mauros ex Hispania gloriosè ejecit omnes dicti Catholici.

Si Justi deniq; Encomio Henricum honorare tentem, jam pridem nomen hoc Justi Athenæ imposuerunt Aristidi, Roma Trajano.

Titulus igitur vix ullus, exprimens excellentias gloriosi Cæsaris, videtur super esse, nisi is, quem Othoni 3. Imperatori, undecimo anno ætatis ad moderanda Imperii Sceptra electo, ob præcocem sapientiam & prudentiam Germania & Italia uno ore dedit, vocans eum Mirabilia Mundi. Hunc igitur Titulum (cujus se Otho Barbarâ cæde Crescentij Consulis Romani, injustâ nece Comitis Mutinensis fœdis demum amoribus, indignum reddidit) ab Othone sublatum, meliori jure in Henricum transferemus vocantes eum

Mira-

Mirabilia Mundi.

Dum ſtupente univerſo Orbe Imperatorem ſanctum egit in Aula, militem probum in caſtris, conjugem caſtum in Thalamo. Juſtè enim Othoni ſuccedit in Titulo, qui omnium votis ei ſucceſſit in Imperio. Regum & Principum Aulæ, nobiliſſimi cultiſſimique exiſterent Horti, niſi accideret illis, quod contigit Agro illi Evangelico Math. cap. 13. lætam & uberem meſſem ſpondebat is, utpotè optimo tritico ſeminatus, at tempus meſſis longè aliud oſtendit, dum loco Tritici mera progermināvunt Zizania, quæ inimicus homo, cùm dormirent homines, malitiosè ſuperſeminavit.

Hoc idem malum patiuntur vel maximè aulæ magnatum; omnia ſancta, omnia præclara, omnia generoſa ſpondent aulæ, ſed ſpes concepta fallit, & eventus aliud docet: nam ubi excreſcere deberent ſublimes Cedri ac Triumphales Lauri; earum loco ſe erigunt vacuæ arundines, ac ſylveſtres Rhamni.

Ubi ſurgere oporteret pacificas oleas, generoſas Palmas; earum locum occupant umbratiles fagi, infructuoſæ ficus, ſteriles ulmi.

Ubi ſpectari deberent longo ordine Aurantia, Citrea, Perſica, Punica Mala; dant ſolùm Poma Sodomæ, Salices ac peſtilentes Taxi: hinc non immeritò Anonymus quidam in Polyanthea ità ſcribit.

Aula profanatæ Sedes aptiſſima menti,
Virtutum ſimulans, vitiorum immerſa profundo:
Exulat integritas, probitas & candor ab aula,
Languent virtutes, regnat ſcelus omne per aulam.

Nec malum hoc Arbores ſolùm tangit, ſed & peſtem afflat floribus, dum in nobiliſſimis areolis, ubi nil niſi lilia puritatis, Narciſſos ſinceritatis, Roſas dilectionis, Violas demiſſionis naſci oporteret, harum loco ſolùm heliotropia, cardui, flores Adonidis, ac omnium colorum tulipæ progerminant, vera ſymbola politicorum, quibus pro odore fœtor: imò quod maximè dolendum, non ſolùm delicioſiſſimus hortus abortum in floribus eſt paſſus, ſed & ipſæ Statuæ, Religio, Pietas, Juſtitia, Temperantia, Prudentia, Fortitudo, Manſuetudo, Liberalitas, Clementia hortum per circuitum coronantes, crurifragium ſunt paſſæ; in quarum locum ſubſtitutus bifrons Janus, Cypris cum Adonide, Proteus, Vertumnus, Momus, Satyri, Centauri; veritati ex gratia indultum, ut extra hortum ſtaret, digido labris tamen apoſito: ita depravatus eſt nobiliſſimus hortus, non malignitate ſoli, ſed vitio inimici ſuperſeminantis Zizania.

Authorem mali ſi ſcire vultis, ſcitote unius crimen id non extitiſſe, ſed trinum perditiſſimorum tenebrionum, quorum adunatâ operâ nobilis Aularum hortus adeò miſerè eſt deformatus:

Adulator enim ſeminavit Ambitionem

tionem, Delator iram & vindictam: Leno denique flores veneris, conjunctim verò carduos juniperos & spinosos paliuros, ita ut vix ex mille sit invenire Principem, qui in has spinas pedem non impingat: Hæc mali causa & origo.

Nihilo secius inter hispidos hos carduos & Rhamnos adolevit candidissimum Lilium à consuetis aularum spinis prorsus intactum & illæsum, gloriosissimus nimirum Imperator Henricus, cui aula non solùm non nocuit, sed potiùs ad sanctitatis fastigium gradum præbuit; dum à Purpura & Corora humilitatem & demissionem, à gladio & hasta clementiam & mansuetudinem, à Thalamo denique & thoro in contaminatam addidicit puritatem.

Quis ergo obstabit, quò minus Henricum nominem,

Mirabilia Mundi?

Admiror quidem Franciscum hiemali tempore ex vepribus odoriferas collegisse rosas; Franciscam verò Romanam ex arbore mense Januario recentes decerpsisse uvas.

Stupeo baculum Petri de Alcantara infixum terræ, salutares protulisse ficus:

Non capio quomodo frustilla panum pauperibus à B. Rosa eroganda transmutata sint in Rosas.

Non assequor lampades Goæ ad tumbam S. Xaverii pendentes, malitiosè ab Ethnicis aquâ repletas nihilominus arsisse, ac si repletæ forent oleo.

Obstupesco mortuo S. Antonio Paduæ, companas O lissipone urbe tot centenis milliariis nemine impellente læto bombo Patriotæ parentâsse.

Hæc cuncta licet rara existant Prodigia, non suspicit, non admiratus Bernardus; at honoribus sæculi demissè de se sentientem, in applausu aulæ humilem, hunc satis admirari nequit, unde hom. 4. supermissus est ait *magna prorsus & rara virtus humilitas honorata*; quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriâ nescit: ardua revera res est hæc, & candido simillima corvo: Dulcedo enim gloriæ suave nimis est Manna, quod omnibus orexin movet: Thus honorum odore suo etiam sapientissimorum nares titillat: Purpuræ color, etiam reluctantium oculos fascinat: Adulatorum Palb etiam generosas animas corrumpunt, nam teste Augustino super psal. 69; *Nihil est quod tam facile corrumpat mentes sicut Adulatio plus enim nocet lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris.*

Sed hæc laus tua est Sanctissime Imperator Te enim nec coronæ fulgor nec purpuræ splendor, non magnitudo principatûs, non gloria Imperii non aulicarum syrenum cantus dementare, aut in transversum agere potuerunt, nunquam mens tua Ambitionis fumo est afflata, nunquam animus superbiæ vento intumuit, semper demissè de te sentiebas, semper cum Davide cor tuum canebat, *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque*

neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me psal. 130.

Prædixerat quidem Henrico sub ænigmate cœlum coronam & Imperium, dum ad Tumbam B. Wolfgangi Ratisbonæ oranti apparuit sanctus, digtium intendens in parietem ubi exaratæ erant binæ litteræ *Post sex*: verum humilis Princeps omnia alia quàm Imperium est interpretatus, suspicatus sextum ab oraculo diem sibi fore ultimum; hinc omnia cæpit ad supremum mortis casum adornare & fatalem diem sedulo exspectare; cum verò dies sextus nullo mortis judicio abiisset, credidit sextam septimanam futuræ ad superos abitioni esse præfixam, rursumque semestre in mente procuranda posuit, ubi tandem sextum Mensem valens & incolumis permansit, sexennium dedit sanctæ mortis meditationi, donec vocatus ad Regnum anno sexto, D. Wolfgangi præsagium intellexit.

Sed quid hoc commemoro; jam Romanorum Rex proclamatus eras, & tamen Regiæ Majestatis oblitus, ubi audisti B. Romualdum Abbatem ad S. Emmeranum Ratisbonæ mortuum, propriis humeris, uti olim S. Angliæ Rex Eduardus paraliticum, ita & tu Abbatem hunc mortuum, in feretro ad scrobem extulisti, vespillo verè Regius. Adlzreiter part. 1. lib. 15. Annal. Boic.

Et quanta non dem ssio fuit, cum in Synodo Episcoporum Bambergæ congregata, votum tuum & Conjugis de erigendo Episcopatu patefaciens, flexis genibus id egisti, nec prius assurgere voluisti, donec Willegisi Electoris Moguntini manibus es erectus; & cum cerneres nutare Episcoporum vota, allegantium non nulla privilegia, quo minus id fieret, rursus in genua procidisti, a: pro favente suffragio es deprecatus. Adlzreiter part. 1. lib. 15. Annal. Bou.

Et si unquam Humilitatem & Demissionem Regiam demonstrâsti, factum est id abundè quando Heriberto Archiepiscopo Coloniensi es reconciliatus; cùm enim mortuo Othone tertio Imperatore, cum ipsius exuviis ex Italia Imperij insignia essent allata, ac tibi custodienda tradita, sceptrum videlicet, globus aureus & corona; ac secum sacram lanceam, præcipuam Regnantium Tutelam S. Heribertus Episcopus Coloniensis jam clanculum detulisset, ei demum daturus, quem vota Imperatorem salutâssent; Aulicorum dicacitate factum est, ut inter binos hos Sanctos orta sit materia dissensionis, quam tamen non multò post cœlum diremit, quando Henricus cœlitus cognitâ Sanctitate Heriberti Blaterones aulæ, ac in consultam suspicionem detestatus in Procerum oculis, detractâ purpurâ, ad pedes Heriberti supplex ac lacrymabundus veniam petiit, nec ante surrexit, quàm is veniam lacrymis quoque ubertim cadentibus impertiretur, attonitâ universâ aulâ ad hoc spectaculum humilitatis, Regibus inusitatum.

Non igitur nocuit Henrico primus Aularum inversor Adulator, non aulæ splendor, aut purpuræ nitor mentem ejus extulit aut vitiavit, in omnibus non est exaltatum cor ejus.

O quàm dissimiles Henrico extitère ambitiosa portenta mundi Nabucodonosor, Xerxes, & Alexander Magnus, qui dum Dii esse affectant stulti facti sunt, à mundo ut in sensati exibilati, & explosi.

Tu verò quia demissè in omni gloria de te sentiebas, meritò ad astra usque extolleris, & laus tua resonat in omni terra; dum ab universo orbe ut rarum miraculum mundi adoraris. Nihil enim teste Hieronymo in regali cervice splendidius fulget quàm humilitas.

Quod in Aulis Principum graves subinde & metuendæ exoriantur tempestates; quod donet & fulminet, non est mirandum: tange montes ait sacer Textus, & fumigabunt.

Tempestatum harum unica causa sunt plerumque delatores, & maledicti susurrones; qui mite ingenium principum exasperant, in iras & vindictas vel nolentes impellunt, acclamantes cum Persarum Satrapis illud irato Asvero, *Justa est indignatio Regis.*

Causas quidem millenas habuisset Henricus irascendi, nec deerant incentores similes, sed semper iram in fræno habuit, memor illius Statii 8. Theb.

- - - *Ne fræna animo permitte calenti,*
Da spatium tenuemque moram, malè cuncta ministrat,
impetus;

Clementia enim juxta Vopiscum in Aureliano prima Dos est Imperatorum & Principum.

Vix erat electus Henricus Rex Germaniæ, cùm competitores in eum raptis armis insurrexère. Primus erat Hermannus Dux Sueviæ & Alsatiæ, coronam Henrico vi & ferro erepturus, sed ubi collatæ sunt acies, fusus est in fugam Hermannus, cumque videret se à cœteris deseri, Henricum verò crescere, supplex ad Henricum venit, veniam petiit clementiæ ejus confisus.

Quem exitum exspectatis AA. num fortè injuriâ hâc irritatus irrugiit Leo Bojicus exemplum secutus Jacobi Regis Angliæ, qui Comiti Atholicæ regnum affectanti, coronam ferream candentem capiti ambitioso clavis ferreis affigi jussit?

An aureâ pelvi soli exposita excœcari eum jussit, uti fieri præcepit Bernardo Regi Italiæ, Imperator Ludovicus cœtroquin Pius.

An exemplo Tamerlanis usus, qui captum Bajazetem ferreæ caveæ inclusum per Imperium suum circumduxit?

Nil simile passa est mansuetudo Henrici ignovit clementer Regni æmulo, ac hoc solùm pro pœna injunxit, ut damna, quæ milites ipsius, exspoliando Templum Argentinense fecerant, resarcirent; magis sollicitus de injuria Numini illata recompen-

compenſando, quàm ſua vindicanda, & ut ſe placatum monſtraret, cum poſthac inter primæ admiſſionis Proceres & amicos coluit & dilexit.

Poſt hunc in Henricum conjuravère Hezilo Dux Franconiæ, Boleslaus Rex Poloniæ invaſor ſceptri Bohemici, & quod duriſſimum, uterinus Frater Cæſaris Bruno, omnibus tamen his perduellibus, quia ſupplices veniam petière, clementiſſimè ignovit; Fratri inſuper ne quid irarum crederet reſiduum, Epiſcopatum & Infulas Auguſtanas contulit.

Gravius exaſperârunt eum binæ Civitates Ticinum in Italia, Troja in Apulia. Ticini cum Henricus Rex Italiæ eſſet inauguratus, ac in ſignum lætitiæ & regiæ liberalitatis ex fontibus undique vina fluerent, ſole in veſperum declinante inſtigati ſunt, Cives ebrii ab Ardoini PſeudoR-egis aſſeclis, tempus nunc eſſe jugum Italiæ à Germanis impoſitum excutiendi, irent proinde & milites dormientes unà cum Imperatore trucidarent: volatur ergo ad arma, fit concurſus pellitur palatina cuſtodia, irrumpitur vi in Regiam, effringuntur portæ, depoſcitur ad necem Henricus, Germani ad lanienam; ac in primo conflictu Giſelbertus Cunegundis Imperatricis Frater Adoleſcens floridus perimitur; audito tumultu evigilant militum cohortes qui extra Urbem ſub pellibus pernoctabant, ac magnâ vi accurrunt, Portas effringunt, adjuti ergò Prætoriani ab his, animosè in perduelles cives ruunt, ac in fugam agunt, ut ſpatium datum fuerit Henrico in proximam Arcem extra Urbem confugiendi, inde miles furens tectis ignem injicit, ac miſerè civitate deprædata Cæſarem ſequitur commodius extra quàm intra Urbem eum defenſurus.

Quid ad factum hoc deteſtandum creditis feciſſe Henricum? læſa erat atrociter Majeſtas; ſi Theodoſio Imperatori hoc contigiſſet, vah quanta Tempeſtas Ticino incubuiſſet, accidiſſet utique ut more Theſſalonicenſium ad unum omnes fuiſſent trucidati; & merebatur hoc enormitas criminis eorum. Sed tanta erat Cæſaris clementia, ut alterâ die ſobrios & atratos ad ſe venientes ac crimen inexpiabile confitentes, non ſolùm à vultu non repulerit, ſed (ringente licet milite) direptæ Urbi condoleret, ac ſatis haberet brevi, ſed nervosâ oratione eorum perfidiam increpare.

Non dubito, inquiebat, è vobis multos eſſe innocentes, nec lubet de ſontibus habere quæſtionem; quàm facilè peccatū eſt, tam facilè ignoſco, vos tamen velim ſuperioris noctis neque diu meminiſſe ad mœrorem, neque citò ad licentiam oblivíſci, facilè ut dicatur nocturno ſupplicio extinctam eſſe perfidiam, & veſtra fides æternâ luce perennet, mihi certè longè jucundius eſt clementiæ, quàm ſeveritatis famam aucupari, & beneficum potius quàm auſterum

fortèmve audire. Adlzreiter art. 1. l. 15.

Rectè & sanctè pronuntiatum? nam Senecâ teste lib. de clem. c. 24. non minus Principi sunt turpia multa supplicia, quàm Medico multa funera.

Nec minus ferrum Cæsaris promerita erat Trjoa Urbs Apuliæ, ausa venienti Henrico, non solùm portas claudere, sed & armis bilem ejus provocare, ad tertium mensem pertinaci audaciâ obsidionem tolerando: Si vixisset Barbarossa quispiam, funditus Urbem, uti olim Mediolanum, evertisset, in æternam contumeliam sale superseminato.

Si in Tamerlanem itá peccâssent hi Græci, sensissent lanienam similem illi, quam olim experta est Damascus, portas illi occludere ausa, ubi Urbe captâ à barbaro victore, loco Trophæi, tres Pyramides, excelsarum turrium instar ex meris cæsorum civium Calvariis sunt erectæ, æternum utique barbaræ crudelitatis monumentum.

Nec Græci itá cœci erant, ut non à longè impendentem sibi & Urbi ultimam ruinam cernerent, quam ut averterent, ac iratum Cæsarem mitigarent, quidquid in Urbe erat ætatis innocentis, in longum coëgere supplicantium ordinem, jubentes lugubri habitu ad Cæsaris castra procedere: agmen ducebat Anachoreta præferens Xti de cruce pendentis effigiem; ad castra ubi ventum, Parvuli miserabili clamore Cæsaris implorabant clementiam ingeminando identidem *Kyrie eleison*, id est, Domine miserere; quorum agmen flebile ubi intra castra ad Tentorium suum accedere vidit Henricus, lacrymas tenere non potuit, sed clementer eos sic est allocutus:

Miseret me tui infelix Innocentia, quam scelus parentum solùm ream facit: innocens ego sum à sanguine vestro; Rebellio & pertinacia progenitorum vestrorum ad lanienam & mortem vos deturbat, parentibus vestris imputate hæc mala, *Thronus autem meus sit immaculatus.* Inde ad astantes conversus ait, ferum pectus & marmore durius sit, quod sustineat eorum hauriri sanguinem, quorum ne lacrymas quidem nisi crudelis oculus posset intueri: Tum pueros jussos esse bonis animis salvos remisit in Urbem: Postridie cum eâdem Pompâ lamentabili, rursus prodeuntes conspexisset, nec ultra misericordiam potest premere, misereor, exclamat, supra turbam, deinde jubet Magistratui renuntiari, si salvi esse vellent, liberos imitarentur, & ante omnia mœniorum partem ex templò diruerent, & tum de victoris sperarent clementia: (a) paruêre illi sine mora, & dejectis vallis & mœnium parte apertisque portis obviam prodeuntes victori, veniam exoptatam à mitissimo Principe impetrârunt.

Ah quàm appositè Isidorus l. 6. similit.

(a) *Adlzreit. p. 1. lib. 5.*

ſimilit. ait, *Magna eſt virtus, ſi non lædis eum, à quo læſus es; magna eſt gloria, ſi cui potuiſti nocere parcas.*

Quin & moriturus adhuc clementiæ & manſuetudinis memor fuit, dum Principibus rogantibus, quem pro ſucceſſore digniſſimum judicaret, præter omnium exſpectationem Conradum Salicum Franconiæ Ducem nominavit, qui tamen æquè graviter & ſæpius in Henricum impegerat, fovendo clancularias Rebelliones, detrectando imperia & officia clientelæ. Adlzreiter. att. 1. lib. 16.

O Miraculum manſuetudinis, ò prodigium clementiæ!

Ubinam, & quo loco Terrarum ſunt illi Reges, qui ità graviter offenſi in iras non exurgunt, gladium non ſtringunt?

Ubi ſunt illi Principes injuriis laceſſiti, qui non tonant non fulminant?

Pauci ſunt, qui cum Henrico merentur elogium illud à Cicerone olim Julio Cæſari attributum, dum orat. pro Q. Ligario ità exclamavit, nulla de virtutibus tuis plurimis Cæſar, nec gratior nec mirabilior miſericordiâ eſt, nullum enim ornamentum Principis faſtigio dignius pulchriusque, quàm corona illa ob Cives ſervatos reportata, ait ſapiens Seneca lib. 1. de clem. cap. 26. Clementia enim, pergit is cap. 5. in quamcunque domum pervenerit, eam felicem præſtabit, ſed in Regia quò rarior eò mirabilior, quid enim eſt mirabilius, quàm eum, cujus iræ nil obſtat, ſi excanduerit, ſibi manum injicere, & poteſtate ſuâ melius placidiusque uti. O rarum Imperatoris Miraculum! fulmen ad arbitrium manu tenere, & nunquam, niſi violenter extortum emittere!

Præter has binas admirandas demiſſionis & clementiæ excellentias effulſit in Henrico & Tertium ſummè præ omnibus admirabile Prodigium, Virginalis nimirum Caſtitas etiam in Conjugio ad mortem usque obſervata; rarus in orbe Phœnix, in coronato vertice vix viſus.

Virtus hæc in Henrico eò magis eſt admiranda, dum ad communem velut ſcopulum offenſionis, & Petram Scandali (vitii contrarii) ſapientiſſimi etiam famoſiſſimiq; Reges graviter impingere, & ſplendoris ac gloriæ ſuæ ecclypſin pati ſoleant: quod probè Henricus in Othone tertio Anteceſſore ſuo obſervavit:

Is enim Victoriis licet clarus & inclitus, à fortitudine, Juſtitiâ & liberalitate commendatus, ob Sapientiam & Prudentiam pro miraculo mundi habitus, quia Scyllam (amores impuros) à Creſcentii Conſulis Romani vidua dementatus, non vitavit, miſerrimo naufragio periit, intoxicatis ab ea chyrothecis ſublatus: Terruit ſupra modum infelix exitus Henricum, unde doctus prioris naufragio ſtatuit ſanctiore ſemita artem dirigere, ac blandientium

tium Syrenum ſyrtes cautius declinare.

Hinc contractis quidem Chriſtiano ritu nuptiis cum Chunegunde Sigefridi Palatini ſeu Moſeliani Reguli filia, caſtimoniæ tamen integritatem ad vitæ finem usque illibatam conſervavit: cùm enim ſupremam ſibi horam ſentiret imminere, accerſitis aulæ Proceribus, quos inter & Conſanguinei Chunegundis erant, cùm omnes ad pietatem & juſtitiam colendam, ac regni tranquillitatem conſervandam ſanctè eſſet hortatus, converſus demum ad Chunegundis propinquos & hanc intuitus, blandèque dextram dextræ implicans, non ſine lacrymis obſtupeſcendum ſæculis arcanum aperuit dicens, recipite quam mihi tradidiſtis Virginem veſtram, prout eam accepi iterum reddo, quo dicto paulò poſt placidiſſimè cœlo Spiritum conſignavit Anno 1024. ætatis 53. nondum impleto Regni 24. Imperii undecimo nullo hærede relicto, niſi Eccleſiis quas ſupra mille regiâ manu erexerat, aut dotârat, ratus Nepotes & poſteros interire; at omni ævo ſupereſſe, quod Deo ſacratum.

Adizreiter part 1. Annal. Boicor. lib. 16,

O Conjugium ſacrum! ò Thorum immaculatum! ò infelices nuptias, ubi dos integritas, ubi non corpora, ſed animi caſto fœdere ſunt conjuncti: ò factum cunctis ſæculis extollendum! ò exemplum omni poſteritati memorandum! ò victoriam inauditam, quâ Venus & Cupido in Triumphum ſunt ducti: ò ſcenam perſonatam, quam non niſi ultimum momentum vitæ mundo detexit; ò Mirabilia mundi à ſæculo nunquam audita! *in carne enim præter carnem vivere non terrena vita eſt, ſed cœleſtis* ait, Chryſologus ſerm. 143.

Glorietur Roma in ſuo Auguſto; extollat Macedonia Alexandrum; deprædicent Medi & Perſæ ſuum Cyrum: exaltet Conſtantinopolis Conſtantinum; laudibus celebret Gallia Carolum Magnum, Hiſpannia Alphonſum Caſtum, Polonia Boleslaum Pium, Anglia Eduardum ſanctum Germaniæ ſufficiet habuiſſe Henricum Imperatorem ſanctum, Regem Pium, Conjugem caſtum, Principem glorioſum, geſtis & victoriis inclytum, Virtutibus Magnum, de quo Cuſpinianus ſic loquitur, Henricus ſecundus fortibus geſtis adeò inſignis fuit, ut mirum ſit Hominem ità Religioni deditum potuiſſe imperii terminos & ab hoſtili incurſu reddere tutos, regnumque ſuum locupletare & augere; quod enim cœteri Reges enſibus & humani ſanguinis effuſione non ſine magna multorum calamitate perfecerunt, hic Pietate Religione ac Virtutibus peregit, & Imperialem dignitatem decore, gloria ac Majeſtate coronavit. magis precibus, quàm Armis triumphans.

Age

Age ergò Bamberga & feliciſſimam hanc fundatoris tui diem feſtivis illuſtra ignibus, victrices deprome palmas, florentes ſuccide lauros, atque univerſam urbem floridis ſertis corona; reſonent per compita tua, cytharæ, timpana, tubæ; una vox omnium exiſtat, quia vidimus hodie mirabilia; Henricum videlicet Cæſarem ſanctum in aula, Militem ſanctum in caſtris; Conjugem denique ſanctum in thoro; Humilem ſub purpura & corona; Manſuetum ſub caſſide & lorica; Virginem in immaculato thalamo; Extirpatorem idololatriæ, Defenſorem Eccleſiæ; Speculum manſuetudinis & clementiæ; Cor & delicium totius Germaniæ; vivat ergo Henricus in cœlis, ac nomen ejus perennet in terris, nec titulum alium habeat quàm

Mirabilia Mundi.

AA. Diſcamus exemplo ejus nam ſuperbè ſapere, ſed demiſsè ſemper de nobis ſentire; diſcamus iram moderari, ac his, à quibus offendimur, benignè parcere; diſcamus in quovis ſtatu cor purum & immaculatum conſervare. Diſcamus denique ad mortem beatam quovis momento nos præparare; ſemperque menti noſtræ hæreat,

Poſt Sex.



IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.



Vide Arcum, & benedic eum, qui fecit eum. Ecclesiastici c. 43.

POetarum Princeps Ovidius in libro, quem Metamorphosin inscripsit varias, & mirabiles hominum transmutationes nobis considerandas proponit; horum aliqui ob detestanda facinora, in varia informia monstra fuêre transmutati. (a)

Ita

(a) *Ovidius in Metam.*

Ita Lycaon Rex Arcadiæ, ob carneshumanas hoſpitibus appoſitas, in famelicum Lupum, (a)

Tereus ob deteſtandum cum Philomela Uxoris ſuæ Sorore incæſtum, in turpem Upupam, (b)

Hippomanes & Athalanta ob delubra Deorum turpi intemperantiâ violata, in ſævos Leones,

Hecuba ob maledicentiam linguæ, in mordacem Moloſſum,

Actæon ob oculorum laſciviam, in Cervum eſt transmutatus,

Mitiorem pœnam ſenſêre alii, qui in arbores & flores ſunt immutati.

Sic Daphne in Laurum, Phyllis in Amygdalum, Cypariſſus puer in Cupreſſum, Clytia Nympha in Heliotropium, Narciſſus & Hyacinthus in flores ſui nominis abiêre transformati.

Quin & aliquando Deorum favore à terra in cœlum ſunt recepti, ac inter ſidera collocati.

Ita Pleyades & Hyades, cùm primæ Patrem Athlantem in montem transformatum deplorarent; hæ verò fratrem Hyanthem à Leæna interfectum continuò planctu deflerent, in ſeptem ſtellas pluvias ſunt immutatæ.

Ita Calliſto Lycaonis Regis Arcadum filia, cùm à Diana, cujus Comes erat, ob pudicitiam violatam ex Nympharum choro eſſet pulſa, ac à Junone in horridam urſam transmutata, jamque eam Filius Arcas in nemore obviam factam ſagittâ ferire vellet: Jupiter ejus miſertus in cœlum eam transtulit, ac inter ſidera repoſuit, addito privilegio, ut cœteris ſtellis occidentibus ipſa ſemper circa Polum giraret iter ſuum, ac nunquam ab oculis noſtris occumberet.

Relinquo ego Poëtis fabulas ſuas, oſtendam tamen auditoribus meis hodie Metamorphoſin non abſimilem, quæ circa Magdalenam accidit: erat & hæc uti Calliſto immemor pudicitiæ; utpotè in civitate peccatrix; à vitiis & concupiſcentiis ſuis quaſi in horridam urſam transformata; imò à ſeptem dæmoniis obſeſſa; miſeratus eſt ejus benigniſſimus Salvator, ac à peccatis reſipiſcentem, perque rigidam pœnitentiam expurgatam, in cœlum transtulit, ac in iridem, ſeu arcum cœleſtem transformavit, quo conſpecto omnes peccatores veniant in ſpem ſalutis.

De hac glorioſâ Iride dum plura diſſero, patientiam veſtram exſpecto.

Iridis origo ſeu cauſa, teſtibus Galfrido & Hugone non eſt alia, quam reflexio radiorum Solis in nubem humidam; nunquam enim oritur Iris, niſi poſt pluviam & tempeſtatem.

De Magdalena ait Camuſ. Epiſc. (c) *Nubes humida & rorida fuit Magdalena, quando pedes Domini lavit, & capillis terſit, ibi radiis Solis eſt repercurſa, ac Iris cœli facta.*

Variis

(a) *Jo. Raviſius Textor.* (b) *Natalis Comes in Mythol.* (c) *Camuſius Epiſc. Belicenſ. in Feſto Magd.*

Variis encomiis passim decoratur Iris. Augustinus eam vocat divinæ amicitiæ tesseram.

Chrysostomus Dei hominibus reconciliati chyrographum.

Bernardus sempiterni fœderis obsidem.

Cyprianus cœlestis benignitatis typum.

Plato denique Iridem vocat Taumantiam, id est, admirationis filiam.

Magdalenam æquè mundo proponit Salvator ut admirationis filiam: (a) *Ecce mulier! Vides hanc mulierem* angelis & hominibus obstupescendam, benè eam considera: *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit eum, valdè enim speciosus est in splendore suo.* Ecce mulier! quæ prius erat in civitate peccatrix, nunc est speculum pœnitentium; Vide Arcum!

Ecce mulier, quam prius septem dæmonia obsidebant; (b) huic nunc turba cœlestium spirituum inservit, ac septies de die eam in aëra sustollit. Vide Arcum!

Ecce mulier! quæ prius infami vitâ totam scandalizavit Solymam, hujus nunc sanctitatis fama totum replet orbem. Vide Arcum!

Ecce mulier! quæ prius arbor erat sterilis & maledicta; nunc arbor est, cui benedixit Dominus, quæ fructum attulit in tempore suo. Vide Arcum!

Ecce mulier! quæ heri erat filia diaboli, hodie fit sponsa Christi: in qua prius abundavit iniquitas, nunc superabundat gratia. Vide Arcum.

Ecce mulier! cujus anima prius super carbones erat denigrata, nunc tota pulchra & formosa Nazaræis speciosior apparet. Vide Arcum!

Ecce mulier! quæ prius erat vas contumeliæ; modò est vas electionis in honorem; quæ prius erat petra scandali, lapis offensionis, sentina scelerum; nunc est Idæa virtutum. Ecce mulier!

Ab ipsa fauce Tartari
Redit ad vitæ limina,
Post fluxa carnis scandala
Fit ex lebete phiala,
Ex vase contumeliæ
In vas translata gloriæ.

O peccatores! levate capita vestra, & considerate hanc Iridem; facta est hæc vobis, ait Laurentius Justinianus, (c) occasio spei, conversionis speculum, magistra pœnitentiæ, devotionis exhortatrix, & charitatis forma.

Hanc Mulierem, ait Cornelius in c. 7. Lucæ, Deus voluit peccatoribus statuere in vivum pœnitentiæ exemplar, ne quis ob enormitatem scelerum de venia desperet, sed in immensa Dei misericordia confidat. Vide arcum, & benedic eum, qui fecit eum, valdè enim speciosus est in coloribus suis, uti vertit Lyranus.

Pulchritudinem maximam trahit Iris, à quatuor coloribus, quibus in cœlo resplendet:

Rubrum

(a) *Lucæ cap.7.* (b) *Marci cap. 16.* (c) *Laurent. Justinianus serm. de Magd.*

Rubrum juxta Bedam contrahit ex igne: Cæruleum ex aqua; Cytrinum ex aëre; Viridem de terra.

Ruber denotat amorem,
Cæruleus lacrymas,
Cytrinus humilitatem,
Viridis ſpem; quæ virtutes maximè exornavêre Magdalenam noſtram: perpendamus nunc colores ſingulos, & primò quidem viridem, qui ſpem & fiduciam Magdalenæ in Salvatorem adumbrat.

Ex actis & verbis antecedentibus hodierni Evangelii, (a) colligunt paſſim Doctores & SS. Patres, (b) Magdalenam interfuiſſe grandi illi miraculo, quando Chriſtus in civitate Naim adoleſcentem defunctum vitæ reſtituit, ac plangenti matri, tradidit dicens, *noli flere*; ſuntq; plures doctorum, (c) qui autumant non vanè, hunc eundem adoleſcentem extitiſſe Amaſium Magdalenæ, unde credunt magnificam vocem Chriſti, ac adoleſcentis ab æternitate redeuntis terrificum aſpectum Magdalenæ cor ita conturbâſſe, ut quamprimùm velut icta telo cerva, ad arcem ſuam Magdalam conceſſerit, ac clauſo oſtio cuncta planctu & lamentis compleverit; lamenta ejus & gemitus nobis ita deſcribit Didacus Stella in cap. 7. Lucæ.

O me perditam! ô peccatricem maximam! quid agam? multiplicatæ ſunt iniquitates meæ ut arena maris, & ſicut onus gravatæ ſunt ſuper me. Ad quem confugiam? quis me ex luto peccatorum eruet? ubi veniam ſcelerum inveniam? utiq; non apud alium quàm Mariæ Filium: poterit utiq; is, qui adoleſcenti mortuo in Naim vitam miſericorditer reſtituit, & mihi vitam dare, jam pridem in peccatis mortuæ & putrefactæ: ad illum confugiam, qui ſolo actactu ſuæ benedictæ manus (tetigit loculum) effecit, ut portantes feretrum ſiſterent. Eheu per quatuor portitores & ego in gehennam portor, per pulchritudinem, divitias, nobilitatem, & juvenilem ætatem. Ibo, ibo, & ad ejus pedes accidam, fortaſſis & me ſuâ manu tangere non dedignabitur, ſicque hi quatuor portitores me ad ſepulchrum inferni portantes ſubſiſtere cogentur.

Si Viduæ lacrymis ad miſericordiam eſt motus, deflebo & ego mortem animæ meæ, ac lacrymis pedes ejus rigabo, ut miſericordiam conſecuta reviviſcam, ſicut Filius Viduæ revixit. Surgam & vadam ad eum, qui ſolo verbo mortuos ſuſcitat, ac peccatores recipit: Vadam ad eum, qui Joanne teſte (d) eſt Agnus Dei, atque peccata mundi tollit: Fremant Phariſæi, iraſcantur Scribæ, inſurgant Legisperiti, & vociferentur: (e) *Nemo poteſt dimittere peccata niſi ſolus DEUS*; fulgor tamen majeſtatis & divinitatis, qui ex oculis ejus gratioſos radios vibrat, ac miracula hactenus nunquam audita me apertè docent, non eum

(a) *Luc. 7.* (b) *Didacus Stella in Lucam.* (c) *Alb. M. Victor Antiochenus Abraham de S. Clara.* (d) *Joan. cap. 1.* (e) *Marci cap. 2.*

merum hominem, ſed DEI filium exiſtere.

Surgam igitur, & vadam ad eum, qui Michæâ teſte (a) *DEUS eſt, cui non eſt ſimilis, qui aufert iniquitatem, & transfert peccatum electorum ſuorum*; utique me non repellet peccatricem licet maximam; qui cum peccatoribus manducare non dedignatur; Cor contritum & humiliatum utique non deſpiciet.

Videte obſecro Auditores ſpem Magdalenæ, ponderate fiduciam ejus; quomodo ſolam anchoram ſpei jaciat in petram Chriſtum: an non de ea affirmari poterit, quod de Suſanna ſacer textus memorat, (b) *erat Cor ejus fiduciam habens in Domino*, en ut ſpes firma ſperantem in Domino non confundit.

Progrediamur ad colorem cytrinum, per quam Magdalenæ inaudita humilitas repræſentatur.

Ecce intrat Magdalena domum Phariſæi, Mulier ſanguine nobilis, divitiis abundans, pulchritudine excellens, vanitati asſveta, deliciis dedita, honoris avida, Idolum adoratum à juventute; intrat iſta cœnaculum Phariſæi, ac depoſito omni reſpectu hoſpitum, abjicit ſe ad pedes Salvatoris; lacrymis eos rigat, oſculis demulcet, unguento perungit; crines aureos ſolvit, ac pedes Domini tergit; nec reſpectus honoris, nec decus nobilitatis, nec contemptus hoſpitum eam à cœpto abſterrent: à Phariſæo ut immunda ſugillatur; diſcumbentibus pro mente capta habetur; digitis omnium ut peccatrix notatur.

Tacet illa, generosè temeraria judicia contemnit, dicteria & ſarcaſmos non attendit, ultò ſe peccatricem maximam profitetur, & quia vocem ſingultus & dolor intercludunt, corde ſolùm loquitur ac mente exclamat.

Audite montes threnum meum, & intendite colles lacrymas oculorum meorum; teſtes eſtote petræ in planctu animæ meæ; audiant verba mea cœli, & ſcribantur lacrymæ meæ ante conſpectum firmamenti.

O Jeſu Fili Dei miſerere mei, ego ego ſum infelix & famoſa peccatrix, infame ſtabulum, ubi cuncta vitia ſtabulantur; tu qui fons es omnis puritatis, immundum purifica, infamem ſanctifica.

Ego ego ſum ovis illa errabunda, per deſerta peccatorum errans; Tu Tu es Paſtor bonus, qui pro ovibus tuis animam ponis, audi balantem, ac in humeros tuos errantem ſume; rideant me Phariſæi, contemnat me orbis, hæc & plura ſum merita.

Symbolum, Magdalenæ ſtatum lamentabilem, melius declarare non poterit, quàm id, quod Valentina, filia Galeacii Vice-Comitis Mediolanenſis elegit; trucidato enim Ludovico Duce Aurelianenſi Marito ſuo Regis Franciæ Caroli VI. fratre, pingi curavit phialam aqua plenam; ex qua

(a) *Michææ c. 7.* (b) *Daniel. c. 13.*

qua aquarum guttæ in lacrymarum formam diffluebant, addito lemmate: hâc factâ jacturâ pro nihilo duco cœtera.

Symbolum hoc apprimè convenit Magdalenæ, quæ non aliud inclamat, quàm offenso Deo modo reconcilier, non curo cœtera.

Valete honores, valete applausûs, valeto sanguis nobilis; valeto munde, valete divitiæ; fumus estis, umbra estis, nihil estis: retia fuistis, quæ me hactenus & alios innocentes illaqueâstis: muscipulæ eratis, quæ animum meum decepistis: fiscus fuistis, cui misera anima adhæsit, & infixa est in limo profundi: hâc factâ jacturâ non curo cœtera: Vanitas vanitarum & omnia vanitas.

Aspice Arcum hunc, ô superbe! perpende colores demissionis resplendentes in Magdalena; ac consultore Hieronymo, (a) humilitatem sequere, non quæ ostenditur aut simulatur gestu corporis, aut fractâ voce verborum; sed quæ puro cordis affectu exprimitur? aliud enim est virtutem habere, aliud virtutis similitudinem.

Consideremus & nunc colorem puniceum, Amorem Magdalenæ nobis referentem.

Grandem hunc fuisse testimonio Christi novimus; quoniam dilexit multum. Æthnæ aut Vesuvio si quis simile Cor Magdalenæ dixerit, vix aberrabit.

Mens hæc est Beatissimi Bernardini Senensis, qui serm. 46. in feriam 5. Pass. ait, Septem amoris flammis inflammatum ardebat Cor Magdalenæ, erat enim Amor ipsius

Insuperabilis,
Inseparabilis,
Infatigabilis,
Invariabilis,
Insatiabilis,
Insociabilis,
Inaccessibilis.

Insuperabilis, dum ad Pharisæi & Judæ murmurationes, ad sororis Marthæ quærimonias imperturbata stetit, utpotè cujus cordi profundè impressum erat illud Sponsæ: *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* (b)

Erat Amor Magdalenæ Inseparabilis, quia à primo conversionis momento Christo adhæsit, nec eum unquam Apostolorum more deseruit, qui relicto eo fugerunt; sed ad montem usque Calvariæ & sepulchrum est comitata: secuta est viventem, cùm ad pedes ejus sedens audiebat verbum illius: secuta est morientem ad aram crucis adstans, ejusque sacrum cruorem ex sacris vulneribus defluentem colligens: secuta est mortuum & sepultum, teste Joanne c. 20. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans*, ac à dilecto separari, vel avelli non sustinens. Hunc amorem inseparabilem Magdalenæ perpendens Origenes hom. de Magd. sic eam disserentem introducit.

 Effun-

(a) *Hieron. Epist. ad Celantiam* (b) *Job cap. 17.*

Effundite lacrymas oculi mei, plorate & nolite deficere: (a) Heu! quo abiit gaudium meum? ubi latet amor meus? ô dolores! ô angustiæ! angustiæ mihi sunt undique, & quid eligam ignoro: si juxta monumentum maneo, ego illum non invenio; si à monumento recessero, nescio infelix quo vadam: discedere à monumento mors mihi est; stare ad monumentum irremediabilis dolor: melius est autem mihi sepulchrum Domini mei custodire, quàm ab illo longiùs ire; si enim longiùs abiero, ipsum sublatum inveniam & sepulchrum destructum, qui amat, timet: Stabo igitur & hîc moriar, ut saltem juxta sepulchrum Domini mei sepeliar: quàm beatum Corpus meum erit, si propè Magistrum meum sepultum fuerit: ô quàm felix anima mea erit, quæ egrediens de vase fragili, mox ingredi poterit in sepulchrum Domini. Amorem hunc Inseparabilem attendens doctissimus Pachiugelli ait, (b) certissimum arbitror, si divinus Magister diutius apparitionem distulisset, & se amore tabescenti discipulæ conspiendum non præbuisset, quod procul dubio animam propè sepulchrum exhalâsset. O Amorem Inseparabilem!

Non solùm Amor Magdalenæ erat Inseparabilis, sed & Infatigabilis; colligi hoc abundè potest ex responso illius, quod Christo in forma Hortulani sibi apparenti dedit, dum sepulchrum vacuum cernens ad eum dixit: (c) *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi*, ubi posuisti eum, ut ego eum tollam.

Itane hoc Magdalena polliceri audes? res hæc vires tuas excedit: obsecro si Hortulanus corpus illius ad domum Caiphæ ibidem securiùs custodiendum deportavit, quid ages? Ego eum tollam. Quod si ad prætorium Pilati sit delatum, quid ages? penetrabo ego in prætorium usque ad amatum corpus, inde in Bethaniam transportabo.

Quid si fortè Pilatus quem vivum ad Herodem misit, etiam mortuum illuc remisit? quid ages? Ibo per arma, per tela, lustrabo Regiam universam, donec Magistrum invenero; ubi flexis poplitibus primùm eum adorabo, dein ambobus brachiis correptum, inspectantibus & frementibus aulicis domum meam deferam; nec sacram hanc rapinam quisquam ex manibus meis eripiet.

Sed si odio furentes Judæi forsan eum miserunt in lacum Leonum discerpendum à voracibus bestiis, quid ages? Ego caveæ ferratos postes diffringam, & ex ipsis belluarum faucibus dulce depositum tollam. At si ad rogum in cineres cremandus, & deportatus? Ego eum tollam, in medios ignes insiliam, & flammas compescam.

Quid

(a) *Origenes Hom. de Magd.* (b) *Pachiugelli L. 32. in Jonam.* (c) *Joan. cap. 20.*

Quid si charum corpus Anchorâ alligatum præcipitatum sit in pelagus, Ego eum tollam, ac me in vastos gurgites immittam latisq; viribus solutum ab anchora, ex undis extraham; tantùm dicito mihi ubi posuisti eum? & ego eum tollam. Amorem hunc infatigabilem non capiens Origenes (a) attonitus exclamat Joseph ab Arimathia timuit, nec ausus fuit tollere corpus de Cruce nisi de nocte, & hoc petendo prius à Pilato: Maria verò noctem non præstolatur, nec reveretur, audacter promittit dicens, & ego illum tollam: O mirabilis mulieris audacia! ò mulier non mulier! nullum locum excipit, nullum anteponit, absolutè promittit, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam. Ita ille hom. de S. Magd.

O Sacra amoris flamma quàm potens es, quàm indefatigabilis! an non verum quód Abulensis de Jacob & Rachel in cap. 19. Gen. scribit? Nullus labor magnus videtur amanti, ignes non timet, nives spernit, gladiis sese opponit, & omnia periculosa sibi grata reputat! An non benedixit Bernardus hom. de S. Magd. promittit quod implere non potest, quia amanti nihil videtur difficile.

Nec infatigabilis solùm extitit Magdalenæ Amor, sed & Invariabilis, per 30 annos imperturbato ardore perseveràns.

Erat & insociabilis, quia nullam Creaturam pro consolatione admittebat; adfuêre ploranti ad Sepulcrum Angeli consolationem afflictæ offerentes *Mulier quid ploras?* Resp. mox illa Origine (b) teste Onerosi sunt mihi omnes consolatores, gravant me & non consolantur; Ego autem quæro Creatorem, & ideò mihi gravis est ad videndum omnis Creatura; nolo Angelos videre, nolo cum Angelis manere, quia possunt dolorem augere, & non possunt penitus delere; Si cœperint mihi multa narrare, & si voluero illis ad omnia respondere, timeo ne amorem meum magis impediant, quàm expediant; deniq; ego non quæro Angelos; sed eum qui fecit me & Angelos; non quæro Angelos sed meum & Angelorum Dominum. Nec insociabilis solùm sed & inaccessibilis est Amor Magdalenæ, nemo enim dilectionem hanc assequi poterit Fatetur hoc apertè S. Bernardinus dicens, (c) quàm ardenti desiderio, quàm flagranti incendio se Magdalena ad Christũ habuerit, quis ullis exprimat dignis verbis? verbo dilexit Magdalena multùm, crevitq; amoris flamma semper in pectore ejus: ad pedes enim Christi cùm in domo Pharisæi procumberet, scintilla fuit; in passione Domini, cum ad Crucem procumberet, erupit in flammam; ad se-

(a) *Orig. Hom. eadem de Magd.* (b) *Origenes hom. de Magd.* (c) *Serm. 46. in fer. 5. Pass.*

ad sepulchrum Domini evasit in incendium, quo tandem in antro deserti velut Phœnix, inter generosas flammas amoris divini in cinerem est redacta.

Restat nunc nobis Iridis color ultimus observandus, nempe Cærulæus lacrymas & rigidam pœnitentiam Magdalenæ denotans.

Si scire desideratis rigorem ejus pœnitentiæ, audite solùm initium hom. 33. Sancti Gregorii, dum ait: cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet quàm aliquid dicere; cujus enim vel saxeum pectus hujus peccatricis lacrymæ ad exemplum non emolliant?

Concedite obsecro mecum paulisper ad horridum illud antrum Massiliense, Magdalenæ Palæstram pœnitentiæ.

Cernite oculos pœnitentis, qui prius in amore fuêre duces, quomodo nunc salsis stagnent imbribus lacrymarum: cernite faciem illam, quæ totam Solymam in admirationem traxit, cinere nunc conspersam & mortuali Calvariæ non absimilem.

Habitatio illius est excavata rupes, duræ Cautes præbent lectum; potus ejus sunt lacrymæ, panes insulsæ radices, suppellex flagra, spinæ & catenæ, quibus corpus assiduò laniat:

Aura resonat suspirjis & lamentis, cum Davide omni momento clamatur tibi soli peccavi, mœsta singulta respondet Echo peccavi.

In hoc igitur antro Magdalena priores culpas detestans, vanitatibus mundi valedicens, offensas & delicta Juventutis, Vigiliis jejuniis aliisq; mille asperitatibus castigans, per 30. ipsos continuos annos in rigidissima pœnitentia vixit draconum & struthionum socia.

O Felicem specum! O fortunatam rupem Magdalenæ lacrimis humectatam! O fortunata flagra & Vepres pœnitentis sanguine cruentata!

O fœlix caverna maceriæ, in qua dilecta Christi columbula est deargentata! ò felices scopulos! quæ quotidie suavissimos concentus Angelorum audistis. O pœnitentiam gloriosam, quæ non uno aut altero mense, sed post sex lustra primùm finem accepit; pœnitentia verè dolorosa quam perpetui gemitus ac lacrimæ sunt comitatæ.

Hæc forma & norma veræ existit pœnitentiæ, ut, quæ se prius extulit per superbiam, per humiliatem nunc sese dejiciat, quæ priùs vanas carnis illecebras est secuta; nunc carnem jejuniis maceret, vigiljis atterat, & rebellem carnem spiritui subijciat.

O quàm verè prædixit Magdalenæ apparens Angelus, ac Crucem Domini ante antrum defigens! Magdalena! hunc locum vult Deus te lacrymis irrigare perfusis, (a) ut futuris sæculis exemplum pœnitentiæ perpetuæ fias, & tanto quidem tempore

(a) *Surius in Vita.*

pore, quanto JEſus amor tuus in terris propter te vixit.

Claudamus Sermonem Verbis Gregorji M. qui hom. 25. in Evang. ait, quid in Maria debemus aſpicere niſi immenſam miſericordiam conditoris noſtri, qui nobis velut in ſigno, ad exemplum pœnitentiæ poſuit eos, quos per pœnitentiam vivere poſt lapſum fecit: Fortaſſe in fide lapſus eſt aliquis? aſpiciat Petrum, qui amarè flevit, quod timidè negârat. Exarſit forte alius contra proximum in materia crudelitatis? aſpiciat Latronem, qui & in ipſo mortis articulo ad vitæ prœmia pœnitendo pervenit. Alius avaritiæ æſtibus anhelans aliena diripuit? aſpiciat Zachæum, qui ſiquid alicui abſtulit, quadruplum reddidit. Alius forte libidinis igne ſuccenſus carnis munditiam perdidit? Aſpiriciat Magdalenam, quæ in ſe amorem carnis, igne divini amoris excoxit: ecce omnipotens Deus ubiq; oculis noſtris, quos imitari debeamus objicit, ubiq; exempla ſuæ miſericordiæ proponit.

Adeſte ergo peccatores! hodie noſtra eſt ſolemnitas, quâ cœlum ad gloriam ſuam vos per pœnitentiam invitat: quis enim deſperet, (a) ait Petrus Damiani tantâ peccatrice, non veniam ſolùm ſed & gloriam conſequente?

Vide arcum ò peccator, & benedic eum, qui in Cœlo omnibus hunc contemplandum propoſuit. An non vos provocat peccatricis hujus exemplum? an non inflammat vos fervor ejus & dilectio? an non vos ſtimulat humilitas ejus & demiſſio? An non vos confundit, rigor vitæ ejus & pœnitentia? Nunquid non vobis ſunt oculi, ut effundant lacrymas, quibus anteacta ſcelera eluantur? Nunquid cor deeſt quod in gemitus & ſuſpiria cum Magdalena erumpat? nunquid pectus vobis eſt reſiduum, quod cum peccatrice tundatis? nunquid vires deſunt, quibus paſſiones noſtras coërceatis? Quod potuit fœmina vos non poſſitis? nondum abbreviata eſt manus Domini: Levate capita veſtra & conſiderate arcum, & benedicite eum, qui fecit eum, valdè ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo: Conſiderate Magdalenam, perpendite peccatricem: Magiſtra facta eſt hæc vobis, ait (b) Laur. Juſtin. occaſio ſpei, converſionis ſpeculum, Magiſterium pœnitentiæ, charitatis forma.

Gradu ergo concito ó peccator cum Magdalena curre ad Salvatorem, pedibus ejus te adſterne, lacrymis eos lava, gemitibus & ſuſpiriis terge, ulcera, peccatorum tuorum pande, Veniam & miſericordiam contrito corde implora; neq; ceſſa à lacrymis, donec & tibi cum Magdalena dicatur, remittuntur tibi peccata tua.

Vide arcum, & benedic eum,
qui fecit eum.

IN

(a) *Petrus Damian. Item Bern. in Feſt. Magd.* (b) *Laur. Juſtin. Serm. de Magd.*

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.



Data eſt mihi omnis Poteſtas. Math. c. 28.

BOna dies ſit vobis Nobiles & excellentiſſimi Domini Pictores, ſtatuarii & ſculptores. Verbum mihi hodiè unum eſt ad vos, Reſpondete mihi. Laudo & extollo artificioſa ſcalpra & penicilla veſtra, quibꝰ & ipſam propè Naturam in Certamen provocatis; admiror vivida colorum veſtrorum temperamenta, deprædico ingenioſas inventiones; laudo amabiles oculorum deceptiones. Hæc omnia laude digna, at cum verecundiæ metas tranſilitis, cùm pudicitiæ leges violatis, cùm nudas & inveſtes Floras depingitis, vitupero labores veſtros, deteſtor

ſtor infamem artem, ac flammis digna penicilla veſtra pronuntio: hoc enim fomite exardeſcit concupiſcentia, ac libido ab oculis in animum transfunditur. Sed abrumpo odioſam criſin, & manum de tabula retraho, ac ſolùm genuinam â vobis reſcire cupio cauſam, cur ſancto noſtro Apoſtolo Jacobo Baculum Peregrini, ac conchas marinas appingatis?

Petro tanquam ſupremo ac viſibili Eccleſiæ Capiti appingitis claves, & rectè; tradidit enim illi Dominus claves Regni cœlorum.

Paulo appingitis Neronianum enſem, Andreæ decuſſatam crucem; Joanni calicem; Thomæ haſtam; Matthæo bipennem, Bartholomæo cultrum, Philippo crucem & lapides, Simoni ſerram; Thaddæo nodoſum fuſtem, Matthiæ ſecurim: omnia rectè, omnia benè paſſionis enim eorum ſunt inſignia, ex quibus â populo Chriſtiano dignoſcuntur.

At quid ſibi vult baculus in manu Jacobi? quid conchæ marinæ? quo ſchemate eum nobis ſpectandum proponitis?

An non obſecro Boanergi, utpote tonitrui filio magis appingendum fulmen? uti Alexandrum magnum depinxit Apelles? An non piſcatoris filium magis decerent retia? an non melius appingeretur ei calix, de quo Evangelium ait, poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? an non convenientius deniq; glorioſam illius paſſionem denotaret gladius, quo caput ipſius innocentiſſimum ab Herode eſt decuſſum.

Quid reſpondetis pictores? dubium hoc quomodo reſolvitis?

Ut video pro reſponſo afferendo recurrunt anxiè mei Domini Pictores ad aſylum conſuetudinis antiquæ, quæ illis inſtar Legis, ac irrefragabilis Canonis eſt, ac clamant, Priſcorum tabulas omni ævo ſub ſchemate Peregrini cum baculo adumbraſſe Jacobum, ſtandum ergo antiquitati; cur verò figurâ tali antiqua Penicilla expreſſerint Jacobum, relinquere ſe altiori & acutiori indagini. Hæc illi, ſed jejunè ac frivolè.

Myſterium ergò, quod Pictores Auditoribus meis explicare non valent, id ego hodiè vobis aperire conabor docturus rectè ac ſanctè Sancto Jacobo â Pictoribus baculũ appingi ac conchis circumcingi marinis, quod dum facio, patientiam veſtram exſpecto.

Variæ afferri poſſent rationes & convenientiæ ſacræ, cur Sancto Apoſtolo Baculus aut Virga appingatur? Quidni hoc fiat? Major Domo erat, (Oberſter Hofmeiſter) qui primus Apoſtolorum ſanguineum fudit, primus cœlos conſcendit, ac reliqnos Apoſtolos velut peregrinos & advenas terræ, futuros cœli cives ad ſuperna atria introduxit: Virga ergo & baculus inſigne Majoratus Jacobum decent.

Adde quod peregrinorum ejus ſepulchrum inviſentium ſummus exiſtat patronus Dux in via, Adjutor in

periculis, Patronus in omni adversitate; quin & sæpius in peregrinorum forma & habitu â clientibus suis visus: Baculus ergo & conchæ non immerito peregrinorum Patronum decent.

Mens fortè hæc erit aliquorum, Pictorum & Sculptorum causæ faventium, sed scopus non tangitur, quò collimandum, aliam eamq; Apostolo honorificentiorem ego adduco causam.

Scitis Moysen depingi cum cornibus & virga in manu: cornua ejus denotant splendorem & radios ex facie relucentes, quos ex consortio Sermonis Domini in monte Synai contraxit: Virga seu Baculus insigne extitit authoritatis & potestatis â Deo in cuncta elementa Moysi traditæ, ut Cornelius ait in caput 4. Exodi.

Admirandæ hujus Virgæ portenta non semel monstravit Moyses.

In Aëre dum Exodi nono extendens Virgam in cœlum, tonitrua, grandinem, ac discurrentia fulgura produxit, & Ægyptum triduo tantis tenebris involvit, ut nemo videret fratrem suum Exod. 10.

In aqua, dum Exodi 7. Virga percutiens Nilum, aquas ejus commutavit in sanguinem: dum iterũ Num. 20. Virga percussit Petram in Horeb, & egressæ sunt aquæ largissimæ.

Potestatem eandem monstravit in igne, dum Num. 16. ignem cœlestem, qui quatuordecim millia & septingentos hominum ob murmurationem contra Dominum jam absumpserat, ne ulterius grassaretur, compescuit & extinxit: dum iterum Num. 21. ignitos serpentes, qui populum miserabili strage confecerant, erecto alio æneo serpente fugavit ac interemit.

In terra deniq;, dum Num. 16. ad mandatum Moysis sese terra aperiens, Core, Dathan & Abyron vivos devoravit cum tabernaculis & universa substantia eorum: unde benè ait Philo lib. 1. de Moysi, singula elementa obediebanter.

Moysen spectastis depictum cum cornibus & Virga, nunc Jacobum considerate cinctum conchis marinis, & baculum in manu tenentem.

Conchæ demonstrant eum filium piscatoris, imò & piscatorem hominum, Salvatore ipso id attestante, *faciam vos piscatores hominum*; Baculum tenet in manu Jacobus, quia & ipsi â Domino potestas & imperium in cuncta elementa est concessum, teste Aug. serm. 1. de Apostolis Petro & Paulo, *dedit Dominus Apostolis potestatem super naturam, ut eam curarent, super Dœmones, ut eos everterent, super elementa, ut ipsa immutarent.*

Initium potestatis portentosi ejus baculi desumamus ex aëre. Factum admirandum, quòd 2. Mach. cap. 10. legimus, reiterasse de novo videtur Deus in Apostolo suo Jacobo.

Appropinquabat Judææ cum exercitu grandi nimis Timotheus supremus Dux militiæ Regis Antiochi

ſubverſurus integrumRegnum;audito fatali ejus adventu, populus tanto timore eſt conſternatus, ut jam actum de Corona & Sceptro Judææ crederent; hinc fuga ſeſe proripuére in montes, in latebras & ſpeluncas ſolus Judas Machabæus animo non concidebat, ſed manipulis paucis intrepidus obviam proceſſit hoſti; binis ergò exercitibus ſtantibus in acie, cum vehemens pugna eſſet, apparuerunt adverſariis de cœlo viri quinque in equis frænis aureis decori, ex quibus 2. Macchabæum medium habentes armis ſuis circumſeptum, in adverſarios tela & fulmina jaciebant, quibus viginti millia & quingenti peditum, ſexcenti verò equitum proſtrata interiêre.

Nunc audite differentem Euſebium Nierenbergium ad Marianam Scotum lib. 11. de rebus Hiſpanicis c. 13. quid portenti patrocinante noſtro glorioſo Apoſtolo acciderit.

Anno 834. cùm Saraceni, Mauris mixti infeſtis armis Hiſpaniam invaſiſſent, ac ſubjugatâ unâ & alterâ provinciâ ad reliquas jugo ſuo ſubjiciendas armatoMarte contenderent, poſt ſpoliata & everſa templa, poſt exuſtas Cruces & Sanctorum ſtatuas, poſt millenos innocentes juvenes ac virgines in turpem ſervitutem abductas, eò deniq; eſt ventum, ut infeliciRegno ultima ruina & excidium ante oculos verſaretur.

Vidit infelicitatem hanc & miſeriam patriæ Ramirus Rex Caſtiliæ Alphonſi caſti filius, multiſq; lacrymis lamentabilem regni caſum deflevit, diu noctuq; intentus, quâ ratione ferox hoſtis patria pelleretur.

Sed quibus medijs? vana enim ſine viribus ira: ærarium regium totum erat exhauſtum, populus ad bellandum inexercitatus ſtragibus aliquot jam acceptis exterritus & conſternatus exterorum Regum ac Principum auxilia nulla ſperanda.

Hæc cernens Ramirus cùm humana non ſuppeterent præſidia, ad ſuperna auxilia oculos & animum adjiecit, belli aleam ac ſalutem derelicti populi protectori Patriæ totam reſignans & commendans, ſpeplenus, fore ut glorioſus baculus Jacobi, ſuperbum hoſtem ſternat, ac injurias â barbaris Deo & Sanctis illatas ſeverè vindicet: Indè cœpit populum deſolatum animare & armare, manipulos fugitivos militum colligere, ad ſacrum bellum cunctos adhortari: multo labore ſudatum eſt, donec ad arma capeſſenda timidus populus exurgeret. Ventum igitur ad pugnam, ſonant buccinæ & tympana, fluctuant vexilla, nudantur enſes, reſplendent montes â clypeis, volant undique jacula & ſagittæ, it clamor cœlo, concurrunt acies, fit impetus & ſtrages, nutant phalanges hiſpanæ ac retrò ferunt timidos pedes tanto furori hoſtium impares; fugientes inſequitur â tergo hoſtis, effugium undiq;

præclusurus; actum de Sceptro, in manu victoriam portant Mauri.

Quid in extrema hac necessitate Ramirus? madidos attollit oculos in cœlum, ac tutelaris sui Jacobi denuo efflagitat patrocinium; & ecce subitò in nubibus equo candido insidens desolato populo properat in auxilium Jacobus, unâ manu vexillum rubicundâ Cruce notatum rotat, ac alterâ victrici suo baculo ut verus tonitrui filius inter trisulca fulmina & lapidum grandines, tantâ strage Mauros sternit, ut sexaginta eorum millia (alij octoginta memorant) internecioni sint data.

Videte Auditores, quantum Dominium, quantum imperium ostenderit Jacobus: Cernite in baculo latentem acinacem, quo barbarorum colla impia demessa; cernite ex conchis marinis erumpentia fulmina, ac dicite, de cœlo dimicatum est contra illos.

Aëris Dominum esse Jacobum, æquè testabitur adolescens ille Germanus, qui cùm in via Compostellam versus falsò â procaci filia hospitis (cujus impia petita rejecerat) furti accusatus, in furcam actus esset, triginta sex diebus ad reditum usq; parentum ex peregrinatione Compostellana pependit, â glorioso Apostolo in aëre semper sustentatus ac cœlesti dulcedine refocillatus, donec portentoso miraculo affati Galli in patina reviviscentis, de infami ligno vivens & vegetus depositus est, redditusq; parentibus suis, Jacobi gloriam & favorem toto orbe deprædicantibus.

Ab elemento aëris ad aquas pergamus, videbimus Jacobum & his imperantem.

In aquis licet non unum miraculum patratum sit â Moyse, maximum tamen fuit, quando virgâ suâ percussit mare rubrum divisaque est aqua & ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris, erat enim aqua quasi murus â dextera & læva Exodi 14. grande imperium! palmare miraculum!

Nec minor Moyse in compescendo hoc elemento extitit Jacobus. Notum est ex cap. 12. Actuum Apostolorum ab Herode circa Pascha Jacobum Hierosolymis occisum esse gladio.

Misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia, occidit autem Jacobum Fratrem Joannis gladio. Discipuli igitur illius solliciti de corpore sacro, noctu clam Judæis illud aufferentes ad Joppen civitatem maritimam id deportarunt, per mare in Hispanias illud ulterius transportaturi: imponunt igitur illud fragili & laceræ cymbæ ac sese numini & beato Jacobo commendantes pelago committunt.

Adesto nunc sapientissime Salomon, qui inter tua difficilia capere non potuisti *viam navis in medio mari*, id te hodiè docebit Jacobus noster. Vide cymbam fragilem, destitutam

tam gubernaculo, carentem remis, inter fluctus & vortices maris, inter syrtes & scopulos, inoffenso cursu per totum mediterraneum à Syria usque securè fluitantem: vide & intuere, ut iratum pelagus, (de quo Psalmista ait *ascendunt fluctus ejus usque ad cœlos*, *& descendunt usque ad abyssos*) compescat & mitiget Jacobus: cerne quemadmodum ventis & turbini imperet, decumanos fluctus & procellas frangat: intuere quomodo cymba hæc sine remis, sine anchora, sine velo, sine malo, sine gubernatore per tot discrimina maris inconcussa cursum suum peragat, usque dum ad portum Flaviæ Illyriæ in extremis partibus Galliciæ cursum sistat, ac sacrum corpus Apostoli exponat.

Verè verè dominatus est Jacobus potestati maris, & fluctus ejus mitigavit. Verè verè statuit procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus, & lætati sunt, quia siluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum. Verè verè *in mari via tua & semitæ tuæ in aquis multis.* Psalmo 76.

O fortunata navis! felicior Argo, quæ non aureum vellus ex Colchide sed thesaurum sanctissimi corporis, cujus digna non erat Solyma, ex Judææ finibus ad ultimas oras Hispaniæ attulisti; fortunata navis! cui pro malo erat prodigiosus baculus Jacobi, cui pro velo serviebat sudarium portentosum, quo Philetum per magicas incantationes vinctum & immobilem factum exsolvit: felix cymba ad cujus clavum sedit Jacobus, cujus remiges extitere Angeli, cujus cynosura ipse altissimus. Ab aquis gradum faciamus ad elementum ignis. Nemo dubitet de potestate hac Jacobo tradita: Cum ipse Salvator Boanergis titulum Jacobo indiderit, ac tonitrui filium nominavit.

Visus est hanc potestatem Apostolus antequam Spiritu Sancto in die Pentecostes esset afflatus, exorbitante zelo exercere voluisse adversus inhospitales Samaritanos, dum cum Salvatore & reliquis Apostolis civitate eorum est exclusus. Luc. 9. quando dixit: *Domine vis dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat eos*: Zelum Eliæ imitatur, qui & ipse lib 4. Reg. c. 1. igne cœlesti impietatem militum se capere volentium est ultus: sed potestatem hanc pro ea vice moderatus est Dominus, & suspendit, reservans eam occasioni alteri aliquando in Samaria oborrituræ: cùm enim redux ex Hispania Jacobus, cum omni fiducia Verbum Domini tam in Judæa quàm Samaria prædiceret, irâ perciticus Magus quidam Hermogenes nomine exarsit contra Apostolum, & ut cursum Evangelii interturbaret, Dæmonibus per incantationes suas præcepit, ut vinctum catenis Jacobum unà cum Phileto discipulo quondam suo, sed à Jacobo ad partes Evangelii tracto, adducerent sibi ad pœnas condignas de iis sumen-

das: obtemeprant quidem Dœmones mandato Magi, verum ubi ad locum venêre, ubi Jacobus deprecabatur Dominum, subitò incendii quod patiebantur impatientes, in aëre ululare cœperunt; Jacobe Apostole Dei miserere nobis, (a) quia antequam tempus nostrum adveniat, ardemus, misi quidem sumus ab Hermogene ad te & Philetum transfugam nostrum comprehendendum, sed mox ut ad te venimus, Angelus Dei nos catenis igneis religavit, plurimumque cruciavit, majora enim patimur incendia ab oratione tua, quàm quibus obnoxii sumus in barathro infernali.

Ignis domitorem extitisse Jacobum clarê demonstrat, quod in Historia Lombardica refertur à Jacobo de voragine Episcopo Genuensi sic scribente: Anno Domini 1238. in vigilia Sancti Jacobi in quodam Castro inter Florentiam & Pistorium sito, juvenis quidam, cum adverteret tutorem suum hæreditatem suam paulatim sibi usurpare velle, irâ & juvenili levitate abreptus, in segetrs tutoris ignem injecit, ut fruges brevi in cineres abirent: inquisitum mox in authorem facinoris, indiciisque manifestis deprehensus est juvenis reus: tentus igitur ac crimen confessus sententiâ latâ adjudicatus est morti, ita quidem, ut ad caudam equi alligatus per aspera loca ad rogum & incendium prius raptaretur, abiturus & ipse postea lege tallonis in cineres. Auditâ dirâ hâc sententiâ cum juvenis nullum effugium mortis cerneret, ac patrocinium Sancti Jacobi voto facto confugit spe plenus in tantis angustiis à tam glorioso patrono nulla ratione deserendum. Articulo igitur executionis instante raptatur miser hinc inde per aspera & inculta loca, ad palum alligatur, lignia undecunque congeruntur, ignéque supposito ligna & vincula comburuntur, nec tamen tetigit eum ignis aut contristavit; Beato Jacobo vim flammarum reprimente, cumque iteratò à lictoribus in flammas esset injiciendus, à populo misericordiam Dei inclamante morti eripitur, votùmque suum exoluturus liber & incolumis iter Compostellam versus adoritur, ubique magnalia Dei & præconia Apostoli enuntiarurus.

Impletum denique est in Jacobo, quod Philo de Moyse scripsit lib. 1. singula elementa obediebant ei: non aër, non aqua, non ignis solùm, sed & terra & petræ obediebant Jacobo. Testantur hoc formidandi Maurorum & Saracenorum carceres in quibus ferreis catenis connexi mortem præstolabantur innocentes Christiani, ad quorum tamen preces & vota portas æreas contrivit, & vectes ferreos confregit Jacobus. Testatur hoc specus & antra subterranea, in quibus velut in umbra mortis gemebant captivi, quorum

(a) *Author Hist. Lambardicæ.*

quorum tamen infelicitati condolens Jacobus, vincula disrupit, & de tenebris ac umbra mortis in libertatem pristinam eduxit. Sufficiat ad probandum intentum unica Rupes illa, in qua expositum corpus Sancti.

Quod Christo morienti accidit, dum petræ scissæ & monumenta aperta sunt invitantes, quasi eum ad sepulchrum & requiem, idem prope accidit Jacobo, vix enim discipuli ejus portum attigêre Galliciæ, ac sacrum corpus in adjacentem petram exposuêre, cum marmor sepositâ duritiâ, tanti hospitis obstupefactum adventu, ceræ instar sese expandit, ac advenienti Apostolo locum, & loculum quietis præbuit.

Extollant alii sepulchrum Catharinæ angelicis manibus in monte Sinai præparatum: Laudent alii Leones, qui demortuo Paulo Eremitarum primo scrobem funebrem ungulis effodêre; deprædicent alii admirandum sapulchrum sancti Clementis Papæ cum anchora in mare demersi: Laudabo ego & extollam è contra sepulchrum Apostoli nostri, non manufactum, sed cœlitus constructum, de quo jure dicere possum, *& erit sepulchrum ejus gloriosum*, gloriosum utique à stella, quæ illud illustravit, gloriosum à rupe, quæ illud miraculosè suscepit, gloriosum à peregrinis, qui ex toto orbe ad illud confluunt, gloriosum denique à portentis & miraculis, de quibus Calixtus Papa ait, si mille haberem ora, milleque linguis præditus essem, non possem partem laudum Apostoli attingere, aut miracula cuncta recensere.

Et licet coram mundi amatoribus gloriosus extiterit tumulus Alexandri Magni, cui ob victricia arma tres orbis partes catenis vinctæ incisæ fuerant, cum inscriptione: Alexandri Victoria! attamen infinities est gloriosius sepulchrum sanctissimi nostri Patroni Jacobi, cui non tres orbis partes, sed devicta quatuor Elementa victrici catenâ colligata appingi & incidi queunt, adjuncto lemate, Jacobi victoria!

O gloriosum Apostolum! meritis insignem! qotestate magnum! qui primus Apostolorum caput Martyrio subjecit, & acinacem Herodis suo sanguine purpuravit. Magnus quidem extitit Patriarcha Jacob, cui dormienti Angeli in scala ad cœlum usque porrecta apparuêre: major nomine & re extitit Jacobus Apostolus Dei, utpotè cui non Angeli solùm, sed Angelorum Regina (dum adhuc in vivis degeret) consolatura labores illius, Cæsaraugustæ in columna apparuit, Angelorum pennis illuc transvecta.

Magnus quidem extitit Moyses, qui portentosa virga sua ex dura petra Horeb in deserto Sinai elicuit fontem aquarum: major Moyse est Jacobus, qui ex durissimo marmore elicuit non aquas, sed lacrymas & singultus, dum ex Hermogene perversissimo mago fecit discipulum Christi,

Christi, ac eum à castris Satanæ traduxit ad castra Dei. Magnus quidem Josue, dum inaudito miraculo solem stitit: at Major Josue extitit Jacobus, qui sententiam damnationis adversus unum & alterum fraude Dæmonis sese specie Martyrii interimentium, jamjam à Judice ferendam stitit, ac ut in vitam revocarentur ab Altissimo impetravit.

Magnus extitit Samson, qui in mandibula asini mille interfecit Philistæos: major Samsone extitit Jacobus, qui non semel integros exercitus Maurroum & Saracenorum baculo suo prostravit & interemit.

Magnus fuit Elisæus, opere & sermone potens, sed baculus illius cedere cogitur baculo Jacobi: miserat quidem Elisæus Gieti famulum suum cum baculo suo ad Sunamitidis Filium resuscitandum, *accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade*: sed mortem pellere nequiit, reversus enim nuntiavit ei *non surrexit Puer*: non mortem solùm, sed & infernales Spiritus compescuit felicissimus baculus Jacobi, Hermogene teste: hic enim cùm prius Dæmonum extitisset cultor ac mancipium, videretque signa & virtutes Apostoli, ac adverteret præstigias suas contra Sancti preces, nec hilum valere, toto corde compunctus, ac veniam deprecans, combustis libris suis necromanticis Christo & Evangelio adjunctus, ab Apostolo nulla ratione discedere voluit, nisi habito prius aliquo memoriali de manu Jacobi dicens, novi ego iras Dæmonum, quod si me conversum invenerint, occident me: ut igitur tutum ac consolatum à se dimitteret, baculum ei suum dedit, ad propulsandos omnes insultus hostium tam visibilium, quàm invisibilium medium potentissimum.

Hunc ipsum baculum & nos supplici prece, hodie à te sanctissime Apostole nobis gratiosè concedi deposcimus: age quod non semel egisti: ecce insurrexerunt in nos inimici nostri, evaginaverunt gladium, exacuerunt sagittas suas, exurge in adjutorium nostrum apprehende arma & scutum, leva ut Josue clypeum, ita & tu baculum portétosum in cœlum, sterne hostes Christiani nominis, macta, trucida cunctos, qui in potentia virtutis tuæ gloriantur, contere arcum, confringe arma, fulgura, tona, fulmina ò metuende Boanerges, ac in favillam redige scutum gladium & bellum: & laudabimus nomen tuum dicentes, (a) *de cœlo dimicatum est contra eos*, hæc est Victoria Jacobi.

(a) *Jud. c. 5.*

IN

IN FESTO S. ANNÆ, MATRIS GENITRICIS DEI.



Tibi dabo Claves Regni Cœlorum. Math. cap. 16.

NOn ita in eruendis auri & argenti mineris defatigantur metallorum fossores, uti hodie in eruendis gloriosis Titulis SSmæ. Matris Annæ sacri desudant Panegyristæ.

Frugiferæ Viti comparat S. Annam Joann Damascenus, quæ velut vitis multis profusis lacrymis uvam tandem suavissimam protulit Mariam.

Terram sanctam Annam nominat

A a

(a) *Oratio 1. de Nativitate Virg.*

natHieronymus ſerm: qui incipit, poſtulaſtis filiæ Jeruſalem apud Polium cap. 1. de vita S. Annæ. *Hæc eſt Terra S. quæ rubum ardentem, ſed incombuſtum permanentem germinavit.*

Abbas Trithemius lib. de laudibus S. Annæ cap 5. *Gazophilacio Dei* eam aſſimilat dicens, O quanto honore dignus Annæ venter credendus eſt, qui Dei Gazophilacium factus, inæſtimabilis pretii Theſaurum bajulavit.

Devotiſſimus Juſtus Landſpergius ſerm. de S. Anna, hanc magnam Matrem vocat *ſupernæ benedictionis Terram, de qua cœleſti Figuluss Ollam Spei noſtræ compoſuit* beatam Virginem Mariam.

Titulo nobiliſſimæ Arboris cohoneſtat S. Annam Joan. Oſorius conc. de S. Anna dicens *Benedicta Arbor, quæ fructum vitæ Mariam nobis protulit.*

Titulum *Fertilis Agri* Annæ attribuit Adelbertus Tylkowski, (a) qui Margaritam protulit, pro qua emenda cœleſtis Negotiator omnibus venditis deſcendit.

En quot Titulos honorum, quot Præconia ſacra, in SSmam. Aviam Chriſti conferunt Doctores? ſed neuter horum mihi hodie arridet. Sit Anna Damaſceno *Vitis frugifera*; Hieronymo *Terra ſancta*; Thrithemio Gazophilacium Dei; Landſpergio *Terra Benedictionis*, ex qua Olla ſpei noſtræ, à cœleſti figulo figurata: Sit Oſorio *Arbor benedicta*; ſit Adelberto Tylkowski *ager felix*, qui Margaritam inæſtimabilem Mariam produxit; ſit aliis Anna *Oliva fructifera* in domo Domini: ſit ſerenum & ſtelliferum Cœlum, de quo orta ſtella Jacob; ſit amabile Roſetum ex quo prodiit Roſa illa Jerichò ſpinis carens, dentur SSmæ. Matri mille alii tituli glorioſi, mihi tamen non ſatisfacient; ſenſu enim meo nobiliorem Titulum SSmæ. Aviæ attribui poſſe non credo, quàm ſi eam *ſacrum piſcem* dixerimus, in quo non Stater Petri, ſed diu exoptatæ Claves ad reſerãdas portas Cœlorum inventæ: quod dum vobis pluribus, remonſtrare ſatago, ſic ad recurſum & ſuffragium Matris & Virginis invito.

(a) *Conc. de S. Anna.*

Non autumo futurum, ut quiſpiam ex AA. meis exiſtat (dum Annam ſacro piſci comparo) qui propoſitionem meam ut novam, ſingularem & erroneam ſugillet aut traducat; quãdoquidem pridem ante me Auguſtinus tractatu 123. in cap. 21. Joannes; Venerabilis Beda cum Lyrano in cap. 24. Lucæ Chriſtum paſſum dixère Piſcem aſſum Verba refero Lyrani *Piſcis aſſus ipſe mediator paſſus, in aquis humani generis captus laqueo mortis aſſatus tempore Paſſionis.*

Jam ante me Rupertus Abbas lib. 8. off. cap. 10. Martyrem Chriſti Laurentium Piſcem appellavit dicens, *Beatus Laurentius unus & bene notus de magnis illis Piſcibus, Piſcis magnus idemque aſſus, cujus aſſatura ſuaviter in tota Chriſti fragrat Eccleſia.*

Jam ante me S. Bartholomæum Apoſtolum Anguillæ excoriatæ ſymbolo figuravit Lucarinus apud Abbatem

batem Pincinelli tit. anguilla. Exempla sequor Seniorum & Doctorum.

Et cur obsecro Annæ Titulum Piscis non attribuam? cum Joannes Nadasi è Societate Jesu in suo anno cœlesti referat die 26. Julij Piscatores quosdam in regno Siciliæ cum nihil piscium longo tempore prendere possent, ideòque magnâ egestate premerentur, Sanctissimæ Annæ nomine implorato traxisse rete plenum piscibus, eo majore Piscatorum gaudio & admiratione, quod cuncti in dorsis *nomine S. Annæ* signati essent, quod miraculum plures oculati testes sunt contestati.

Fixum ergo maneat Annam Piscem esse sacrum, quem sapientia Dei ante sæcula mundo perdito præparavit.

Sed quo nomine Piscis eam insigniemus?

An piscem alatum & volantem in Freto Aniano vocabimus? non: alta enim nunquam petiit Anna, sed in demissione & humilitate Deo servivit.

An Delphinum dicemus? non: quia hic jocabundè ludens in mari tempestatis brevi secuturæ certum est prognosticon! ludus enim Ceti signum est tempestatis ait Steph. Cant. lib. alleg. in c. 1. Genes.

Melius & accommodatius nomen non invenio, quàm ut Sanctissimam nostram Matrem Annam vocitem Callyonimum, seu *Uranoscopum* (ein Himmel-Seher) de hoc enim Pisce referunt Aldrovandus, Gesnerus, Masenius ac doctissimus Philippus Pincinelli lib. 6. cap. 10. eum in salso mari natare, ac oculum unicum in superiore capitis parte collocatum à natura habere, unde assiduo caput extra fluctus levans cœlum contemplatur, cujus lemma, *Oculus semper in cœlo.*

Jam edicite AA, annon vobis S. Anna similis Uranoscopus videtur? innatabat Anna salso sterilitatis mari per 4. lustra prole carens, repleta omni amaritudine cordis, instar Rachel, plorantis filios suos, & noluit consolari, quia non sunt: jactabatur nunc tristitiæ fluctibus, quasi derelicta à Deo nunc quassabatur procellis diffidentiæ, quasi ob occulta delicta maledictioni Legis subjaceret; inde flatu gemina cor ejus desolatum impellebant, hinc gravis Boreas, illinc inexorabilis Auster assiduò mœsto pectori insonantes lamentabile illud maledictum Moysis Exordi cap. 23. *non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua*: & alterum Isaiæ cap. 31. *Beatus qui habet Semen in Syon, & maledicta sterilis, quæ non parit*; luctabatur ergo pluribus annis cum tempestate valida sterilitatis, sed in profundum nunquam descendit, semper enim superior undis tribulationum enatabat, semper *Oculus ejus erat in cœlo*, vox ejus unica, *levavi oculos meos in montes, unde venient auxilium mibi*: (a) durabantque preces ejus non per horam, diem aut mensem, sed integris viginti annis.

(a) *Psalm. 120.*

Cumque aliquando post contumeliosam repulsam à Sacrificio Altaris Viri sui Joachim ob sterilitatis probrum factam Jerosolymis, plena lamentis esset reversa in Nazareth, coramque Domino triste cor suum in horto effunderet; cerneretque aviculam in proxima arbore mirè pro nidulo suo comparando sollicitam, (a) inque alia arbuscula audiret passeres cum pullis pippientes, copiosis perfusa lacrymis ita ad Dominum est locuta. Polius Hist. S. Annæ c. 4.

Domine Deus magne & terribilis! in ditione tua omnia sunt posita, & non est, qui possit resistere voluntati tuæ; cur desolatam non audis? cur mœrore confectam non consolaris? respice obsecro super me; aufer opprobrium meum, & ostende misericordiam tuam: usque quo oblivisceris me in finem, iratus est furor tuus contra me? tu nosti mentes hominum, tibi patent arcana cordium: Tu scis, quod virum non carnis amore, sed legis coactione in Conjugem acceperim posteritatis solùm expectatione; & ecce opprobrium facta sum vicinis meis, & despectio plebis; usque quo ergo oblivisceris me in finem, inclina aurem tuam ad preces meas; tolle à me maledictionem, & infunde cordi meo rorem benedictionis tuæ, vide afflictionem meam, & considera, quia facta sum vitis, ac converte obsecro luctum meum in gaudium mihi. Et quia noverat ex Tobia, bonam esse orationem cum jejunio & eleemosyna; obsecrationi suæ, ut velocius ad cœlum ascenderet, binas alas addidit, videlicet jejunium & eleemosynam, dum trifariàm bona sua divisit, (b) unam partem Deo, & ministris templi consecrando, alteram egenis, orphanis & peregrinis distribuendo, tertiam verò pro sustentanda familia sibi reservando, in hoc præveniens mentem Augustini dicentis: (c) *Vis orationem tuam volare ad cœlum, fac illi duas alas, jejunium & eleemosynam.*

Nec repulsam passa est oratio humilis, siquidem paulò pòst Aliger cœli Annæ iterum in horto oranti apparens lætum attulit nuntium, exauditam esse orationem ejus, opprobriumque sterilitatis detersum à Domino; (d) surgeret proindè, indueretur que vestimentis lætitiæ, ac viro suo Jerosolymam ad portam auream obviam procederet, ac sciret ambos post novem mensium circulum nobilissimâ prole beandos: hæc fatus, ac Annam plenam consolatione relinquens ad convexa cœli revolavit.

O quàm benè ait Augustinus serm. 226. in illa verba Tobiæ: Bona est oratio &c. *ascendit precatio, & descendit Dei miseratio, licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscien-*

scien-

(a) *S. Vinc. Ferrar. serm. de S. Anna.* (b) *Jacob Polius in Vita c. 3.* (c) *August. in Ps. 42.* (d) *Polius in Vita.*

ſcientiam. Hinc ait Novarinus l. 4. excurſ. 136. *Seminavit oratio Virginem in matris utero, per orationem pullulavit.*

Fuit ergò Anna Uranoſcopus ſacer, qui in ſterilitate ſua cœlum continuò aſpexit, donec auxilium adfuit in tempore opportuno, felix profectò Uranoſcopus, utpotè qui plus obtinuit, quàm rogavit, petierat Anna prolem ſolùm à Domino, at cum prole ſimul accepit clavem Regni cœlorum.

De Hugolino Girardeſco Piſis Guelpharum partium Principe narrat Platina in Nicolao III. Papa. Beyrlinck verbo Fortuna f. 231. eum pulſis Gibellinis, aut metu potentiæ perterritis, eò potentiæ perveniſſe, ut pro nutu omnia adminiſtraret, patriæque Dominus & eſſet, & haberetur.

Is cum Feſto natalis ſui cognatos & amicos ſuos ad convivium regio luxu adornatum invitâſſet, ac inter epulas fortunam ſuam ſupra modum extollens, ex Marco Lombardo uno de intimis amicorum percontaretur, quid tandem felicitati ſuæ deeſſe crederet, à Marco durum & inexpectatum reſponſum retulit, dum is ſeu philoſophicâ libertate, vel ad volubilem felicitatis humanæ rotam ſe reflectens, vel mente divinitus admonita in faciem ei dixit: Domine! nil niſi ira Numinis à rebus tam ſecundis diu abeſſe poteſt. Dictum durum & acerbum, ſed tamen verum; nam paulò pòſt Gibellini inſperatò reſumptis armis, coadunatis viribus palatium ejus expugnârunt, unum audaciorem è filiis, & alium ex nepotibus vim arcere conatos occiderunt, ipſum verò Hugolinum cum duobus filiis ac tribus nepotibus comprehenſum, in teterrimam turrim obſerratis foribus detruſêre, clavibus in Arnum propinquum flumen abjectis, ubi anno 1288. & Patri & filiis & nepotibus omni vitæ ſubſidio deſtitutis miſerè fuit pereundum.

Jam edicite Auditores, an non idem contigerit humani generis protoparenti Adamo? ex humili & contemptibili limo terræ eò felicitatis aſcendit, ut rerum conditarum Dominus, ac totius naturæ Imperator ſit conſtitutus, cujus imperio univerſæ creaturæ ſubjacebant: ſed eò inſolentiæ ex præſumptione felicitatis ſuæ eſt delapſus, ut non contentus ſtatûs ſui excellentiâ, ad inconceſſos divinitatis honores temerario auſu aſpirarent; hinc abeſſe diu non potuit à tam ſuperbo & ſcelerato capite juſta Nemeſis, quæ majeſtatis contemptæ reum, ex paradiſo expulſum, carceri æterno cum omni poſteritate addixit, ubi miſero cum omni ſua infelici ſobole neceſſariò pereundum fuiſſet, ni poſt decurſum aliquot millium annorum, deperditæ claves iterum fuiſſent inventæ. Sed ubi obſecro inventæ? in ventre Piſcis: neque hoc mirabile aut inſolitum alicui videri debet,

cùm non ſemel, uti ſtater Petri in ore piſcis, ita & in ventre piſcium ſint inventæ deperditæ claves.

Teſtem adduco Maurilium Epiſcopum Andegavenſem: ain beatiſſime Præſul, quis te fugitivum per alienas terras, ad Epiſcopatum tuum, quem occultè deſerueras, ad propria reduxit? Piſcis captus, in quo iterum inventæ ſacrarii claves. Nam cùm ad Maurilium ſacris operantem mulier cum moribundo infante accurriſſet, rogans, ut ſacro latice ablutum chriſmate inungeret, ille econtra piis affectibus in corpore & ſanguine Domini conſecrando totus abſorptus moras traheret, deſiit puer trahere animam, atque prius ille vitam, quàm Maurilius miſſam abſolvit: finito ſacro ubi puerum jam obiiſſe comperit Vir ſanctus, inconſolabilibus lacrymis negligentiam ſuam deplorabat, & quia credebat non aliter piaculum iſtud niſi abdicatione infulæ, ac voluntario exilio eſſe expiandum, clam profugit, conſenſaque navi dum veſtes mutat, ne fortè agnoſceretur à ſuis, derepentè etiam Claves Sacrarii (quas incogitanter ſecum ſumpſerat) è manibus in mare delapſæ duplicavêre mœrorem: hinc indignum ratus ſe infulâ, vovit non priùs rediturum ad propria, niſi denuò claves eſſent inventæ ſibique reſtitutæ.

Septennio ergo toto trans mare incognitus Hortulanum egit, donec tandem ab Eccleſia Andegavenſi miſſi Legati, qui amiſſum Paſtorem inquirerent: fecêre illi, quod injunctum erat, ac per varios terrarum tractus fruſtra inquiſitum, tandem in minori Britannia deprehenderunt, monſtratisque clavibus amiſſis (quas dum in alto veherentur, in exenterato Piſce invenerant) cum gaudio & exultatione, ad Epiſcopalem thronum Exulem reduxêre: ubi in patriam ventum, mox ad defuncti parvuli tumulum Vir Dei properavit, erutaque terrâ in genua procumbens, ſat longam copioſis lacrymis intermixtam orationem ad Chriſtum fecit, quâ finitâ & puer ſurrexit, ac in baptiſmo Renati nomen à Maurilio accepit, è vivis ſublato, ſucceſſor in Epiſcopatu ac hæres in virtutibus & miraculis extitit. Surius tom. 5. die 13. Septemb.

Et tu beatiſſime Metron (cujus ſacrum corpus Veronæ requieſcens in ſummâ veneratione habetur) ain & tu; quid tibi in extrema auſteritate pœnitentiæ tuæ, in tot annorum continuato luctu & mœrore, dum velut novus Prometheus horridæ cautis antro affixus gemebas, quid tibi lacrymas tuas abſterſit? quid catenas & compedes ferreos, quibus pœnitentiam S. acturus, ultrò manus & pedes induiſti diſſolvit? ac indicibili gaudio delibuto, mortem aliàs amariſſimam tibi reddidit ſuaviſſimam? Piſcis captus, ais, in quo inventæ claves,

quas

quas prius pœnitentiam acturus in Athesin flumen præterfluens projeceram, tum crediturus deleta & remissa peccata mea, ubi eæ iterum inventæ forent. Petrus de Natalibus l. 4. c. 147. Marulus l. 4. c. 10.

O felices pisces, qui amissa reportâstis, & lugentes consolati estis!

At quis mundo perdito clavem Regni cœlorum retulit? ubi obsecro inventa illa? Dicam veritatem, non alibi, quàm in sacri nostri Uranoscopi benedicto ventre, qui Mariam protulit: ita apertè testatur Doctissimus Pelbartus de Temeswar Serm. de S. Anna: *Anna gratia dicitur, quia gratiâ erat plena, felix & omni laude dignissima: ex hac enim terra illa sumpta est, de qua veritas orta est, ex hac Clavis David est facta, per quam Paradisi porta cunctis est patefacta*, unde jure meritò Mariam ita salutat D. Ephrem: (a) Ave portarum cœlestis paradisi reseramentum, ave nostra consolatrix, quæ mœrores sedâsti, ave Clavis Regni cœlestis.

Consonat huic, quod adfert Joan. Damascenus (b) primos nostros parentes sic loquentes cum Maria introducendo: *Tu sanguis noster, ô beata filia, nostrum solvisti nefas: Nos cœli januas clausimus, tu reserâsti, per nos luctuosa ex nobis mundo sunt orta, per te verò ex luctuosis aurea sæcula redierunt:* nam teste Hugone (c) uti paradisi porta per Evam cunctis est clausa, ita & per Mariam Virginem iterum est patefacta. Et sicut Petrus lacrymis suis non tantùm peccatum suum diluit, sed cœli claves recepit, ita & Anna oratione & lacrymis non solùm sterilitatem depulit, sed & claves Regni cœlorum à Domino per Mariam impetravit.

Vah! quot peccatrices animæ à porta cœlorum fuissent exclusæ, nisi clementissima manus Virginis clavibus suis januam eis reserâsset.

Detrudenda jamjam erat in Tartarum, æternis ignibus assanda Alexandra nominata meretrix illa Hispana, quam Rivales plurimis vulneribus confectam, capite decusso, in puteum præcipitârant: æternaliter periisset illa, nisi intercedens Virgo inducias ipsi à filio impetrâsset, ac Judicis sententiam suspensam tenuisset, quoad usque D. Dominicus (de lamentabili casu divinitùs edoctus) Alanus ex ferali puteo, in quo per centum & 50. dies jam jacuerat, evocatum Alexandræ caput à peccatis per dolorosam confessionem expiaret; quod & factum stupente universâ civitate.

O felicem Annam! in cujus benedicto utero Claves cœli repertæ: quis donum hoc cunctorum Sanctorum gratias longè excedens satis admirari queat? quis prærogativam,

(a) *Ephrem. serm. de laud. Virg.* (b) *Damasc. serm. 2. de dorm. Virg.* (c) *Mansi in Fest. Annunt. B. V. disc. secundo.*

vam, ad quam per filiam suam benedictam ascendit, condignè deprædicabit? (nunquid, ut cum Davide loquar) parum vobis videtur esse Matrem Reginæ cœlorum, Aviam unigeniti filii Dei? cui unquam Angelorum aut Sanctorum concessum, ut filio Dei dicere posset: Nepos meus es tu? quis unquam ex filiis hominum ad tam gloriosum apicem honoris & excellentiæ ascendit? Verè verè benedicta es tu à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram (a). Ite proindè & sepelite cunctas prærogativas vestras Veteris Testamenti Heroinæ, Sara, Rebecca, Rachel, Debora, Jahel, Ruth, Judith, Esther, Abigail, Abisag & Sunamitis, ac velut undecim stellæ Josephum, sic & vos Sanctissimam Aviam Christi demisso poplite adorate, ac manipulos vestros pedibus Annæ substernite (b)

O quàm apposite dixit & scripsit Damascenus Orat. 1. de Nat. Virg. O beatum par Conjugum! vobis obstricta est omnis Creatura, Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Justi, Peccatores, totus denique mundus: Angeli, quia mediantibus vobis receperunt Reginam: Patriarchæ, quia nata Virgine finem acceperunt suspiria eorum & lamenta: Prophetæ, quia ex vobis nata illa, quam pluribus sæculis venturam prædixerant: Justi, quia solamen, Peccatores, quia advocatam per vos receperunt, universa denique machina mundi, quia per vos excisa columna illa, quæ ruentem orbem sustentaret: quod enim non corruat mundus, Virgini debetur, ait Aloysius Novarinus in Umbra Virginea.

Quis ergo Cliens & Servus humilis non desideret esse tantæ Matris & Filiæ, apud quas Claves portarum cœlestium resident? Quis ad servitia vestra se & omnia sua non devoveat? Beatus homo, qui vigilat ad fores vestras quotidiè, & observat ad postes ostii vestri, qui enim Patronos vos invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. (c)

Expertus est hoc Cliens ille Matri & Filiæ devotissimus, de quo refert Polius (d) & Nadasi 26. Julii, qui cùm sedulò versaret Rosarium Virginis, seque dulcissimæ Virgini recommendaret, aliquando Virgo apparens dixit: Fili, rem mihi gratissimam facis dicendo Rosarium, quot enim ave recitas, tot capiti meo rosas imponis, placeret tamen singulariter, si post cujuslibet Rosarii complementum, unicum Pater & Ave annecteres in honorem dulcissimæ meæ Matris; quod si feceris, habebis eam in omnibus angustiis advocatam, & in agone Matrem. Obsecutus est monenti non solùm Cliens Virginis, sed & alios ad pietatem

tem

(a) *Judith 13.* (b) *Gen. cap. 37.* (c) *Proverb. cap. 8.* (d) *Polius c. 18. Vitæ.*

tem hanc allexit, cùmque aliquando morbo gravatus ad extrema tenderet, ac familiares & amici lectum circumsisterent, infirmus resumptis viribus voce quâ poterat, exclamavit, recedite, recedite, date locum; ecce venit Sanctissima Mater mea Anna cum Filia dulcissima Maria, date locum venientibus; cùmque lectulo mortuali appropinquassent, ait Maria ad eum: Salve mi Frater dilectissime, cui infirmus ô Maria non sum dignus dici Frater tuus: & Maria, si Anna Mater mea, in corde tuo semper tibi dilecta Mater fuit, ergo Frater meus es, & omnes devotè eam colentes fratres & sorores meæ sunt; en adsumus jam reseraturæ tibi januam cœli, veni coronaberis, quibus dictis mox æger in manus Virginis animam exhalavit. O felix servitium tam grandi beneficio recompensatum!

Agite ergo AA: & animitus Aviæ Salvatoris congratulamini excellentiam & favorem, quo illam Altissimus est dignatus, ut fieret Mater Reginæ cœlorum, totque millenis annis deperditas claves cœlorum perdito generi humano depromeret.

Ad hoc cunctos suavissimè adhortatur devotissimus Abbas Trithemius cap. 3. de laudibus S. Annæ ad finem dicens: Eam ergo Fratres charissimi nobis in Advocatam eligamus, ac quotidiè venerantes condignis laudibus honoremus; Honorent eam conjugati, quia sanctissimo partu suo conjugium Domino consecravit, cui Matrem sine macula peperit: Laudent eam viduæ & continentes, quia normam illis continentiæ præsignavit: Diligant eam Virgines, quia tantæ sanctitatis Virginem peperit, quâ nulla unquam sanctior effulsit: Honorent eam Justi, quoniam illis suâ sanctissimâ conversatione justitiæ regulam ostendit: Venerentur eam Peccatores, quia Matrem illius peperit, qui ex peccatoribus justos facit; Nullus à laudibus ejus torpeat, nullus ab amore ejus deficiat, nullus in cultu ejus tepidus fiat; Omnes ut communem Matrem diligant, omnes ut Advocatam honorent, de cujus munere communem Salvatorem omnes receperunt: Ipsa enim peccatorum nobis veniam impetrabit, de cujus sanguine fons pietatis corporaliter emanavit; Coram illa ô Fratres assurgite, quæ sperantes in se non derelinquit; impossibile est enim eam pro cultoribus suis orantem non exaudiri, quæ omnipotenti Deo de suo pectore tam pretiosum thalamum construxit: Hæc Trithemius, inde cap. 10. pergit: Impossibile est eam non obtinere omne quod voluerit: Rex cœli Nepos ejus est, non poterit quidquam dulcissimæ Aviæ suæ denegare? Mater Dei Filia ejus est; non frustra preces ad Deum fundere potest: Tota cœlestis patriæ Curia Annam diligit, ut Matrem, veneratur ut Dominam, si quid à Deo postulaverit, omnium Sanctorum preces votivæ concurrent; indè claudit:

dit: Beatus homo, qui Annam continuâ devotione ac ſedulis precibus habuerit Advocatam. Claudo ego Sermonem, ac cum Conrado Celte exclamo:

Nullius Anna preces unquam demiſit inanes,
Sed tulit optatam, candida ſemper opem:
Ergo piam Matrem multo cumulemus honore,
Nullius vacuas quæ ſinit eſſe preces:
Anna tuæ Sobolis laudes ſuper Aſtra volabunt,
Te quoque felicem Sæcula cuncta ferent.



IN

IN FESTO DED. S. MARIÆ ANGELORUM.

DIES SECVNDA.

SOLVE VINCVLA COLLI TVI CAPIIVA FILIA SYON Isaiæ 52

Hodie Salus Domui huic facta est. Lucæ cap. 19.

NOli indignari, aut amariùs ſubiraſci ſapientiſſime Regum Salomon, ſi hodiernâ luce id tibi contingat, quod olim Regi Balthaſar accidit; (a) ac in pariete templi tui appareant digiti, & ſcribant verba non placitura tibi: non ſunt quidem fatalia illa tria Danielis, *Mane, Thecel, Phares*, ſed confuſibilia illa tria ex decimo quarto capite Lucæ deſumpta.

Da huic locum.

Novimus quidem [Scripturâ id teſtante (b)] Monarcham te extitiſſe

(a) *Daniel. c. 5.* (b) *3. Reg. 1. c. 4.*

maximi & potentissimi Imperii, utpotè habentem omnia Regna â flumine terræ Philistiim usq; ad terminos Ægypti.

Fatemur te magnificatum super omnes Reges terræ præ divitiis & gloriâ; novimus auri tibi & argenti tantam fuisse abundantiam (a) quantam & lapidum; cunctam suppellectilem Regiam vasaq; domus saltus Libani ex auro extitisse purissimo, (b) ut meritò de te dixerit Ecclesiast cap. 47. *collegisti, quasi aurichalcum aurum, & ut plumbum complesti argentum.*

Suspicimus quidem & magnificamus magnificam structuram Templi tui, quod universus orbis admirabatur, (c) in quo nihil visebatur, quod non auro tegeretur, in cujus exstructione per septennium liberalissimâ manu â te bis mille, nongenti & viginti milliones auri sunt expensi. (d)

Extollimus quidem sapientiam & scientiam tuam, quæ tanta erat, ut teste Clemente Alexandrino longissimè excesserit Intellectum Pythagoræ, Prudentiam Socratis, sapientiam Platonis, scientiam Aristotelis, imò omnium Orientalium & Ægyptiorum. 3. Reg. cap. 4.

His tamen non obstantibus manet fixa sententia nostra.

Da huic locum.

Extiteris licet Monarcha in potentia maximus; in thesauris Crœso ditior, in gloria & magnificentia nulli secundus, in sapientia cunctos reges excedens; manet tamen quod scriptum:

Da huic locum.

Quod tibi accidit â Justiniano Imperatore Constantinopoli, hoc tibi hodie contingit Assisijs â mendicabulo.

Constantinopoli illusum est tibi, quando Justinianus famoso illo templo Sophiæ inauditâ arte & magnificentiâ absoluto ad confusionem & ludibrium, statuam tuam marmoream sculpi fecit, manu suâ frontem obtegentem, quasi te ad conspectum hujus artificiosæ Machinæ suppuderet templi tui in Jerusalem; quam statuam postea ad extremum angulum fabricæ suæ rejecit, victum te esse â Justiniano omnibus demonstrare volens.

Sed non solùm Constantinopoli explosus es ab Imperatore, sed & hodiè Assisiis detriumphatus es â paupere Francisco, qui te divitiis & thesauris, Sanctitate & magnificentiâ templi, Sapientiâ deniq; Sanctorum infinities præcedit ac superat.

Cede ergo huic Locum.

Dum vobis hæc plenius explico, patientiam vestram imploro.

Verum quidem est, quod titulum sapientis Salomoni attribuat Scriptura sacra. 3. Reg. c. 4. asserens: *præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum,* & venie-

(a) 2. *Paralip. cap. 1.* (b) 2. *Paralip. cap. 9.* (c) 3. *Regum c. 6.* (d) *Juglaris ser. 2. Dom. 1. in quad.*

& veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis: At ubi maturo judicio perpendo initium & finem, prologum & epilogum ejus, fateri cogor ſtultitias enormes commiſiſſe ſapientiſſimum hunc regem.

An non ſtultitia imò inſania maxima erat? ſeptingentis Reginis matrimonio jungi, ac inſuper alere trecentas concubinas, eaſq; alienigenas Moabitidas, (a) Ammonitidas, Jdumæas, Sidonias, de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus (b) *non ingrediemini ad eas, certiſſimè enim avertent corda veſtra*: Unde nervoſè ſtultitiam hanc ei exprobratEccleſiaſticus cap. 47. dicens, *inclinaſti femora tua mulieribus, dediſti maculum in gloria tua, & profanaſti ſemen tuum.* Stultus utiq; & delirus Rex dum Deo vero unum templum exſtruit Hieroſolymis, & centena ècontra alia Chamos, Moloch & Aſtarti Deæ Sydoniorum, ad preces & inſtantiam uxorum in montibus & collibus indè per Judæam ædificat. lib. 3. Reg. cap. 11.

Stultus utiq; & impius Rex dum à lege Domini recedit & ſequitur Deos alienos, ligno & lapidi thura incenſans, atteſtante id ſacrâ pagina 3. Reg. cap. 11 Cumq; jam ſenex *eſſet, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos*; Unde optimè in eum quadrat, quod Baruch, cap. 3. ait, dereliquiſti fontem ſapientiæ, nam ſi in via Dei ambulaſſes, habitâſſes utiq; in pace ſempiternâ, nunc autem ſalus tua â pleriſq; ſacris Doctoribus pro deſperata habetur: Stultiſſimus utiq; virorum, qui optima initia peſſimo fine clauſit.

Stultus deniq; & inſipiens Rex, qui per immania tributa populum Iſraël ita â ſe alienavit, ut poſt mortem ejus â filio Roboam decem tribus defecerint, objiciendo in faciem ei, Pater tuus duriſſimum Jugum nobis impoſuit.

Nec imprudentia ejus hîc ſtetit, ſed ulterius eſt progreſſa, dum apparente ſibi in nocte Domino ac petenti quid vis, à ſe optione datâ, bis impegit, primâ vice ſolùm petendo cor docile, alterâ vice mera temporalia ac tranſitoria deſiderando. Audite petitum ejus,

Et ait Salomon tu feciſti miſericordiam tuam cum Patre meo David & regnare feciſti ſervum tuum pro Patre meo, & ſervus tuus in medio eſt populi infiniti, dabis ergò ſervo tuo Cor docile, ut populum tuum judicare poſſit.

Altarâ vice cùm dedicationem faceret templi ſui, æquè impruventer egit, dum mera tranſitoria â Deo popoſcit. 2. Paral. cap. 6. ecce alteram petitionem!

Si clauſo cœlo pluvia non fluxerit & deprecati fuerint in loco iſto, exaudi in Cœlo Domine, & da pluviam terræ.

Fames ſi orta fuerit in terra & peſtilentia, ærugo & locuſta, & hoſtes

(a) *3. Reg. c. 11.* (b) *Deut. c. 7.*

vastatis regionibus portas obsederint civitatis, omnisq; plaga & infirmitas presserit, si quis de populo tuo Israël fuerit deprecatus, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies de Cœlo.

Ecce insipientium regis sapientissimi, nil æternum, nil cœleste, sed mera transitoria & caduca petit.

Aliter docet Ambrosius in Psal. 118. nos postulare. Tu cum oras, magna ora, quæ æterna sunt, non quæ caduca: noli orare pro pecunia, quia ærugo est, noli orare pro auro, quia metallum est, noli orare pro possessione, quia terra est.

Stultè ergo egisti Salomon, quia petisti caduca & res nihili.

Alia longè petiit â Deo Pater tuus David:

Psalm: 50. *Ne projicias me â facie tua, & Spiritum Sanct. ne auferas à me:*

Psalm: 24. *Delicta Juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine; Vias tuas Domine demonstra mihi & semitas tuas edoce me.*

Psal. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illa in toto corde meo; fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis.*

Siccinè ergo sapientissimus ita desipiat, ut nil aliud â Deo petat, nisi cor docile, pluvias cœli &c. petiisset cum Parente Davide unam â Domino, ut inhabitaret in Domino Domini omnibus diebus vitæ suæ. Petijsset cum Davide cor immaculatum, remissionem peccatorum assistentiam Spiritus Sancti, perseverantiam in lege Domini & mandatis ejus, melius cum eo actum fuisset; petijsset regnum Dei, & cœtera omnia adjecta ei fuissent: Hinc meritò carpit eum Rupertus, (a) quod sapientiam, non sanctitatem petierit, verba ejus sunt, *in eo reprehensibilis est, quod datâ sibi optione tam pronâ ad dandum largitate Domini, Bonum illud, quod verum & summum est, non postulavit.*

Longè prudentius & sapientius rem ponderavit Franciscus, nam cùm noctu aliquando in tugurio proximo Sacelli Mariæ Angelorum orationi totus esset intentus, significatum est ei per angelum, Christum ejusq; Sanctissimam Matrem, cum ingenti caterva Cœlitum in sacello eum exspectare: surrexit illicò vir Dei ac summâ cum devotione sacellum ingressus, quâ maximâ potuit animi demissione in genua provolutus, divinam Majestatem adoravit, quem Christus benignissimè compellans iisdem verbis, quibus olim Salomonem gratiosè monuit, *postula â me, quod vis, ut dem tibi.*

Hæsit servus Dei nonnihil attonitus donec amabili annutu Matris Dei os suum aperuit, ac demississimè petiit non cor docile, ut Salomon, sed cor contritum cum Indulgentia plenaria pro universis fidelibus, qui corde contrito peccata confessi sacellum hoc devotè visitassent, ita ut non solum reatus culpæ, sed & pœnæ tem-

(a) *Rupertus apud Cornelium in c. 3. l. 3. Reg.*

næ temporalis æternâ oblivione delerentur.

Ad petitum humile & ſapiens annuit mox Filius Dei, at ut reſpectus & honor debitus maneret ſuo in terris Vicario, uti olim leproſus ad ſacerdotes, ita & Franciſcum ad ſummum ſacerdotem Honorium tertium Pontificem miſit, ut gratiam conceſſam & ipſe annulo, piſcatoris obſignaret & confirmaret. Quod & factum.

O quàm ſapienter egiſti Franciſce, quia non petjiſti â Chriſto miraculorum gratiam, ut veluti Petri umbra, ita & tua cunctos tibi appropinquantes ſanaret.

O quàm prudenter egiſti, dum non flagitaſti â Domino raptus aut extaſes cum Paulo ad tertium Cœlum.

O quàm ſapienter egiſti, dum non petiſti ſcripturarum intelligentiam, diſcretionem ſpirituum, ſpiritum principalem, quo in omnem terram ſeſe diffundentem regeres tuum ordinem.

Sapienter omninò & prudenter egiſti, dum non petiiſti cor docile ut Salomon, ſed cor contritum & Deum amans; quia ergo feciſti hanc rem benedictus eris & fiet, quod petiiſti, imo & cœtera adjicientur tibi.

Cauſas verò cur exemplo Abrahæ animas ſolum â Domino expetierit, habebat Franciſcus plurimas & ponderoſiſſimas.

Noverat perbellè nobilitatem & grande pretium animarum, utpotè in quarum comparatione totus Mundus cum omni pompa ſua, arena eſſet exigua & nihilum, quidquid enim Cœli ambitu continetur, inferius anima humana eſt, ait Auguſt. ſoliloquiorum cap. 20.

Noverat dictum Hieronymi in 1. Epiſt. ad Titum, quod majus lucrum poteſt eſſe, aut quid pretioſius, quàm ſi humanam animam quis lucretur, cum Teſte Auguſt. tract. 32. in Joann. majus opus ſit ex impio juſtum facere, quàm creare Cœlum & terram.

Noverat has nobiles margaritas per triginta tres annos indeſinenter â Chriſto quæſitas, tantiq; æſtimatas, ut in pretium ſanguinem & vitam in Cruce pro ijs ponere non dubitarit.

Undè S. Chryſoſtomus in Pſalmum. 48. ait, *vis ſcire quantum ſit pretium animarum noſtrarum, redempturus eas Dominus, non Mundum, non aurum, non gemmas, non terram, non maria obtulit, ſed ſuum pretioſum ſanguinem, magna proinde res eſt anima,* ait Bern. Epiſt. 54. *quæ Chriſti ſanguine redempta eſt.*

Exæſtuans ergo in Corde Franciſci Charitas, virum Dei urgebat, ut nil niſi animas â Diabolo ſeductas expeteret, easq́ per Indulgentiam plenariam dealbatas ad Dominum reduceret.

Et ſanè multò felicior in petitione ſua fuit, quàm Pater Abraham, licet non uno ariete pro Civibus Sodomæ, ut ab interitu ſervarentur, in-

tercesserit, tamen quod desiderabat impetrare non potuit.

At quod Abrahæ negatum, concessum est liberaliter Francisco, nimirum ut cuncti peccatores æternis ignibus jam destinati modò ab irato Numine, corde contrito veniam poscant, peccata confiteantur, sacro pane refecti preces suas ad Deum effundant, plenam scelerum suorum veniam & remissionem reportent.

Et hic est thesaurus ille nobilis super omnes gazas tuas ò Salomon, quem Franciscus pauper & humilis non in alia aurifodina comparavit, quam in Portiunculæ Sacello, ac in omnes fines terræ divitias has dispersit: Divitiæ tuæ ò Salomon putrefactæ sunt, aurum & argentum tuum æruginavit, transierunt omnia tanquam umbra, sed thesaurus iste, quamdiu stabit orbis nunquam exhaurietur: Age ergo *da huic locum*, *& recumbe in novissimo Loco*; Pauper quidem est Franciscus, sed tamen ditior omnibus gazis tuis, nam atteſtante Hieronymo Epist. 1. ad Heliodorum affatim dives est, qui cum Christo pauper est, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia: nobilior purpurâ tuâ est lacera vestis Francisci, pretiosior Cucullus ejus, coronâ tuâ pyropis interpuncta.

Nec multum tibi gloriandum est de templo tuo, quod respectu Ecclesiarum nostrarum nil erat, nisi magnificum macellum victimarum, in quo nil Sancti inerat, nisi arca continens Virgam Moysi, pauxillum de manna & binas tabulas legis.

In nostris præstò est Panis vivus, qui de Cœlo descendit, in nostris non tauri aut vituli, sed Agnus Dei immolatur, qui tollit peccata Mundi: Magnum licet & spatiosum fuerit templum tuum, antecedit tamen id centies sacellum humile Portiunculæ, non enim magnitudo, sed Sanctitas locum commendat.

O Portiuncula Sacellum fortunatum præsentia Christi & Matris ejus sanctificatum, concentu Angelorum non semel decoratum!

O Portiuncula, non possum, quin in laudes tuas excurram ac verbis Prophetæ utar, quibus urbeculam Bethlehem deprædicavit, dico igitur & ego, & tu portiuncula nequaquam minima es inter Ecclesias Dei, verè fecit tibi magna, qui potens est.

In te lapidem Angularem ordinis posuit Franciscus, in te Spiritum ultimum iterum in manus Creatoris reddidit.

Felix Sacellum, cui indulgentiæ non â Christi Vicario, sed ipso Christo Domino in perpetuum sunt concessæ nunquam revocandæ.

Felix Sacellum, â quo omnes Ecclesiæ orbis per subsequentium Romanorum Pontificum decreta & indulta, hujus thesauri indulgentiarum fuêre factæ participes.

Felix Sacellum, quod cunctis, peccatoribus factum est asylum, ut protegantur â facie furoris Domini.

O Portiuncula lavacrum nobile! in quo

in quo super carbones denigratæ peccatorum animæ super nivem dealbantur in sanguine Christi.

O Portiuncula domus felix! ubi intra paucos quadrantes cunctæ contracta debita benignè remittuntur.

O Sacellum sacrum! ubi ex filiis gehennæ, evadimus filii Dei.

O sacellum beatum ad cujus vel solum nomen tremscunt inferi!

O sacellum parvum! maximo tamē Salomonis templo anteponendū.

Verè hodie salus domui huic facta est

Manet ergo O Salomon. Da huic Locum.

AA. restat adhuc nobis quæstio quædam resolvenda & enodanda: dicite obsecro, quæ causa Christum impulerit, ut has indulgentias secundæ diei Augusti affixerit, à primis nimirum vesperis usq; ad secundas inclusivè?

Olim quidem Genesis 2. Deus benedixit diei septimo, nunc benedixit secundæ diei Augusti.

Execrabilis hæc dies erat, atroq; calculo notata apud Romanos, eò quod hac die ad Cannas ab Hanibale duo maximi Romanorum Exercitus cæsi, ac in testimonium Victoriæ tres modji aureorum annulorum, quos ex præda è manibus Equitum & Senatorum detraxerant, Carthaginem sint missi, uti refert Salianus ad annum Mundi. 3838. Cur non determinata â Domino candida quinta dies Augusti Festum nimirum Mariæ ad nives, quo denigratæ animæ peccatorum redderentur candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphyro pulchriores.

Aut cur Sexta dies Transfigurationis Domini non est indicta, ut miseri & infelices peccatores jumentis insipientibus simlies facti, Methamorphosi sacrâ iterum in imagines Dei transfigurarentur ac character bestiæ in illis deleretur. (a)

Videamus utrum mysterium penetremus, non enim sine causa hæc dies determinata est â Domino.

Scimus, peccatorem per varia Symbola â SS. Patribus nobis esse adumbratum: Misero illi Paralytico ad piscinam probaticam sedenti triginta & octo annos habenti in infirmitate sua (cui nullus homo aderat, qui eum in piscinam mitteret, cum ab Angelo moveretur aqua) comparavit peccatorum Bonaventura & Toletus in c. 5. Joan. Quatriduano Lazaro mortuo & fœtenti assimilavit cum August. serm. 44. de verbis Domini, Thomas de villa nova ser. 6. post domin. quadrag. dicens. Lazarus quatriduanus fœtidus & sepultus peccatoris typum gerit.

Prodigo æquiparavit eum Philippus Bosquier in suo Evangelico prodigo, utpote qui Lucæ. 18. profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè, donec coactus est immundos pascere porcos.

Infelici & misero Sambsoni, cui capto oculos mox eruerunt Philistæi

(a) *Apoc. c. 13.*

ac ad Molendini rotas damnatū molere eum fecerunt, peccatorem parem, existimavit Tert. l. de pœnit. apud Vivien. tit. 5. Peccator. Aug. in Psal. 88.

Ad rem porro nostram nullus accommadatius sensit quàm doctissimus Josephus Mansi tract. 6. de angel. f. 218. qui per incarcerationem & & vincula Petri aptissimè adumbrari ait, animam peccatoris per peccatum mortale â dæmone incarcerati & vinculis peccatorum constricti.

Quid est enim mala conscientia peccatoris? nisi juxta Cardinalem Hugonem in c. 12. Actorum, Carcer quidam squalidus, mœstus & tenebricosus, in quo captiva anima absq; lumine superno & consolatione cœlesti habitat.

Quid somnus Petri notat? nisi fatalem somnum animæ peccatricis, de qua Ephes. c. 5. scriptum, surge qui dormis; nam teste Augustino in Psal. 62. somnus animæ est oblivisci Deum.

Quid binæ catenæ designant, quibus Petrus vinctus? nil aliud quàm fluxam voluptatem & perversam voluntatem: apertè hoc fatetur Augustinus l. 8. Conf. cap. 5. suspirabam ligatus non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat.

Quid sunt Custodes ante ostium? nisi juxta Hugonem in c. 12. Actorum, Dæmones & mali socij qui continuò vigilant, ne bona cogitatio, vel sanctior iuspiratio, aditum ad cor peccatoris inveniat.

Quid Angelus Dei & lumen refulgens in habitaculo, nisi radius Spiritûs Sancti. Cor penetrans & mentem illustrans.

Quid percussio lateris Petri, nisi compunctio cordis, attestante enim Sancto Vincentio Serm. de Vinc. Petri. Personam, quam Deus vult ad se convertere, percutit, dando ei cordis compunctiones & commotiones.

Et quando cadunt catenæ? nisi ubi peccata sua plangit & confitetur peccator; quando enim homo confitetur, & Confessor elevans manum dicit, absolvo te, rumpuntur omnes catenæ, ait prædictus S. Ecclesiastes Vincentius loc. cit.

Cùm ergo secundùm sacros Interpretes incarceratio & liberatio Petri perfectissima sit adumbratio captivi, & â vinculis peccatorum absoluti peccatoris, hinc palàm est non sine adorando mysterio â Christo statutum, ut Indulgentiæ hæ solemnes, ad vesperas secundas primæ diei Augusti initium suum sumant, & ad vesperas secundæ diei Augusti inclusivè terminentur.

Agite ergo peccatores, currite, properate, prostat affixum vexillum veniæ & Indulgentiæ, patent Thermæ salutares, balneum salutis, pendet ad altare Domini spongia, quâ cuncta debita rationarij divini uno ductu deleantur.

Obsecro ne simus injuriosi felicitati

tati noſtræ, & ſi fortè adhuc aliquis igniculus vivit ergà ſalutem noſtram, nè ſimus crudeles nobis ipſis, recuſantes fortè aut adverſantes id, quod promovere poteſt noſtram beatitudinem: Deus nobis ultrò ſuas affert gratias, interventu ſervi ſui Franciſci, erimuſne adeò infelices, ut renuamus eas acceptare.

Ecce Franciſcus, Angelus ille Apocalypticus, aſcendens ab ortu ſolis, habens ſignum Dei vivi, nos Petri inſtar excitat & invitat ad ſurgendum â ſomno peccatorum; ſurge velociter Petre, Ferdinande, Marce. Surge Martha, Barbara, Genoveta, ſolve vincula colli tui captiva filia Sion, ſurge, qui dormis & illuminabit te Chriſtus Epheſ. 5. Vade, ad pedes Sacerdotis te proſterne, peccata tua confitere, & mox de manibus tuis cadent catenæ, ſurge velociter, & operiet te iterum vicarius Chriſti veſtimento ſalutis & innocentiæ, quod centenis maculis prius per peccata deturpâras ac in ſanguine agni dealbatum circumdabit corpori tuo.

Audi ergo O peccator vocem Domini, exequere conſilia, attende monita illius: in tua ſitum eſt poteſtate exire de captivitate Sathanæ in libertatem filiorum Dei, & dicere cum Petro, nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum & eripuit de manu infernalis Herodis, & de omni exſpectatione turbæ inferorum.

O fortunatam diem! ò felix momentum, quod terminat Tyrannidem Sathanæ, catenas ſcelerum diſrumpit, funes peccatorum dilacerat, debita contracta delet; ò diem ſalutis! qui portam Paradiſi nobis repandit, infernum verò occludit: paucis opus eſt.

Confitere contrito Corde, quæ peccâſti, propone ſeriam emendationem, imple injunctam pœnitentiam, accede altare, ac paſcere manna cœleſti, funde preces pro neceſſitatibus SS. Eccleſiæ & concordia Principum Chriſtianorum, &c. Et ex filio gehennæ evades filius Dei, ex peccatore juſtus.

Ah peccatores! credite mihi, venient dies, quandò inimici veſtri vos circumdabunt in lectulo mortuali, ac ita coanguſtabunt, ut actum de vobis credatis, ibi, ibi exclamabitis: ò me infelicem, qui toties habui occaſionem ſalutis, & neglexi, qui unicâ ſincerâ confeſſione Cœlum mercari potuiſſem, & non feci, qui divitias bonitatis Dei contempſi.

Nunc tempus evanuit, nunc abjit occaſio,ècontra dolores inferni circumdant animam meam, pereat dies, in qua natus ſum! Hæc erunt lamenta & voces deſperabundæ eorum, qui vocem Domini non audierunt in tempore opportuno. Ne ergo & te tam triſtis cataſtrophe apprehendat, ſurge velociter!

IN FEST. S. LAURENTII MARTYRIS.



Dic mihi obſecro, ubi eſt maxima Fortitudo tua? Judic. 16.

VTinam hodiernâ die Auditores meos ad mœnia septicollis Romæ ſiſtere poſſem: monſtrarem ego illis in Tiburtina via Locum, in quo ante millenos annos ſub Decio & Valeriano ſpectante universâ Româ theatrum horridum & funeſtum eſt exſtructum.

Sedebat ibi in ſuperbo pegmate, vultu atroci, ac torvo ſuper ilio minitabundus Valerianus, ſtipabant eum regii Satrapæ, latera cingebant militum

militum turmæ, in vexillis hinc inde Roma næ volitabant aquilæ: latus ſiniſtrum occupabat ſatellitum ac lictorum infamis turba, ſanguinem ſitiens, cruori inhians: ſtabant circumcirca plurimæ oblongis contis infixæ Calvariæ Martyrum; ſanguinem recentemque tabum adhuc deſtillentes.

Trahebatur interea inter militum cuneos, catenis vinctus, florentiſſimæ ætatis adoleſcens, cunctorum in ſe rapiens obtutus, ità alacer, ac ſi ad epulum duceretur; qui quia Diis holocauſtum offerre recuſabat, ipſe Diis in hoſtiam eſt reſervatus, per flammas in cineres abiturus. Veſtes igitur innocenti diripiuntur, nudantur ejus caſtiſſimi artus. ſanguine & livore per varia tormenta prius jam colorati, exindè magno fremitu ſpectantis populi craticulæ ad ruborem uſque ſuccenſæ imponitur, velut hoſtia aſſandus: it nidor ambuſtæ carnis, diffluit caro Martyris in ſubjectos carbones, ſurgit fumus, volat undique clamor, lictorum turba inſufflat ignes, novamque ſufficit materiam igni nutriendo: jacet inter ferales ignes Laurentius, hoſtia innocens, non aperiens os ſuum, in lectulo roſis, non prunis ſtrato cubare videtur, quin & ſubjicientibus prunas inſultat Levita Chriſti, altùm exclamans, ſurge, verſa, aſſatum eſt, manduca.

O Hoſtiam numini gratam! ò Sacrificium Abrahæ Sacrificio majus & præſtantius, cujus odorem odoratus eſt Dominus! ò Martyrem illuſtrem mille ſertis corònandûm! ò ſpectaculum cœli civibus dignum! ò fortitudinem inauditam, omne exemplum tranſcendens!

Abite nunc ſuperbi Scævolæ, exeſte ambitioſi Curtii, vanæ gloriæ mancipio, omnis enim fortitudo & generoſitas veſtra nil niſi ſuperba eſt vanitas, fumus & nihilum,

Obſtupeſco totus, & admiror flammis involutum Martyrem, inter ardentes prunas toſtum, & flammas non ſentientem. Age, Sanctiſſime Levita nuuquid caro tua eſt ænea, qui aut unus ex iſtis, ex cœli Seraphinis, qui quidem toti ardent igne cœleſti, in quos tamen ſublunaris non agit flamma; nunquid de te dictum eſt illud Jſaiæ 43. *cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Videris totus diſſimilis eſſe Sponſæ, illa enim amore Sponſi tota exardeſcens exclamat: *fulcite me floribus, ſtipate me malis,* ut nonnihil ſopiam & attemperem flamas amoris, at tu è contrario clamas, fulcite me ignibus, ſtipate me prunis, quia præ roſis & violis mihi arrident.

O Sanctiſſime Martyr, te compello verbis Dalilæ, *dic mihi obſecro, ubi eſt maxima fortitudo tua?* (a) ut craticulæ ardenti ſuperpoſitus craticulam ſupplicii lectum reputes quietis? teſte Chryſologo ſerm 135. dic nobis obſecro, cur inter ignes lætus, in tormentis imperterritus, inter ardores

(a) *Judicum, c, 16,*

dores & flammas animo invictus? dic nobis obſecro ubi eſt maxima Fortitudo tua?

Auditores! ardor ignis, & violenta flamma intercipit loquelam, & verba ſanctiſſimo Martyri, tormentis conſumpta Hoſtia in latus ſe vertit alterum, oculisque in cœlum levatis, amicum cœlo caput inflectit, ac animam in creatoris ſui manus conſignat: moritur Laurentius, ac in ſacros cineres abit Levita Chriſti mille ſertis coronandus: noſtrum nunc erit indagare mentem & reſponſa Sanctiſſimorum Patrum, unde tanta, tamque invicta Fortitudo ſit Martyri, dum diſcurſum hunc pluribus proſequor, etiam patientiam veſtram exſpecto.

Edicite ergo vos Doctores & Eccleſiæ lumina, ubi creditis abſconditam eſſe fortitudinem, & invictum animi robur Martyris illuſtriſſimi?

An forſan autumatis Laurentium à Matre ſua Patientia, unà cum materno lacte, hos generoſos ſuxiſſe animos, ad modum Prophetæ Eliæ, (a) qui in Cunis jacens, viſus eſt pro lacte nutricis, flammis & ignibus paſci.

An forſan induit naturam Salamandræ, quæ ignibus nutritur, in flammis vivit?

An imitatur lapidem Aſbeſtum, qui in igne detrimentum non patitur, ſed ſolùm nitidius purgatur.

An naturam habet rigidi Adamantis, qui nec ferro, nec igni cedit.

An adſcribitis hoc ferventiſſimæ ejus charitati, quâ totus in Deum ferebatur, quâ pectus ejus ſuccenſum ardebat interius, nam juxta Philoſophorum effatum, comune Intus exiſtens prohibet extraneum? (b) ita manifeſtè ſentire videtur S. Leo, ità impium Valerianum alloquens *Flammis ejus ſuperari charitatis Chriſti flamma non potuit; ſegnior fuit ignis, qui foris uſſit, quàm qui intus accendit.*

Conſentit rationi huic Ambroſius ſerm. 19. dicens, ardebat extrinſecus Beatus Martyr Tyranni ſævientis incendiis, ſed major illum intrinſecus Chriſti amoris flamma torrebat, nam ſecundum S. Maximum ubi cor ardet, (c) membra flammam non ſentiunt.

Forſan hoc adſcribetis memoriæ Paſſionis Domini, quæ animo Martyris tantum robur ſubminiſtravit? hoc ſentire videtur Petrus Bleſſenſis in cap 1. Job dicens, ſtat Martyr afflictus quidem, ſed invictus, videnſque ſanguinem ſuum ex diverſis corporis partibus ebullire, non ſua, ſed Redemptoris vulnera attendit.

Aſſentitur Auguſtinus ſerm. 31. de Sanctis dicens: *Ubi Martyr Chriſti ſupplicia cogitat, frigidum eſt illi omne quod patitur.*

Forſan adſcribetis tam grande robur Martyris Dominico Sacramento? cujus Diſpenſator extitit Laurentius, cui à Sanctiſſimo Papa Sixto commiſſa erat dominici corporis & ſanguinis diſpenſatio: Mens hæc eſt Auguſtini, qui tract. 27. in Joan. ait,

(a) *In vita.* (b) *Ser de S. Laur.* (c) *Ser. de S. Laur.*

ait, in illa longa nocte, in illis tormentis, quia bené manducaverat & benè biberat, tanquam escâ illâ saginatus, & illo calice ebrius, tormenta non sentit, nam teste Hieronymo nihil ità vescentis animum roborat, quomodo panis vitæ, de quo scriptum est, panis confirmat cor hominis, in fortitudine igitur cibi hujus refectus animus Martyris non sensit, quid caro pateretur, unde Laurentius Justinianus serm. de Eucharistia ait, frequentatur in Ecclesia hoc Sacramentum, ut justis gratiam, peccantibus veniam, debilibus robur, lætitiam mœstis, nutantibus spem, victoriam certantibus, captivis libertatem, atque defunctis conferat requiem.

Omnia doctè est appositè: sed aliam, eamque genuinam fortitudinis hujus causam insinuare nobis videtur ipsissimus gloriosus Martyr Laurentius, dum moriturus, oculis in cœlum elevatis exclamat: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.*

Advertitisne Auditores causam tanti roboris? Aspectus ille cœlorum, contemplatio gaudiorum æternorum, tantum robur, tantam fortitudinem pectori ejus impressit, ut flammarum ardores non persentisceret, uti clarissimè hoc attestatur S. Maximus sermone quinto de Sancto Laurentio dicens: *Ardet totis visceribus fortissimus Martyr, & uritur, sed regnum cœli mente pertractans, refrigerio conscientiæ victricis exultat.* Corroborat dicta prioris Mediolanensis Antistes Ambrosius serm. de S. Laurentio dicens; non potuit ignis tormenta sentire, qui sensibus Paradisi refrigeria possidebat; nam Tertulliano teste, (a) *nihil crus sentit in nervo, cum animus est in cœlo* lib. ad Martyrem cap. 2.

Cœli ergo aspectus Beatissimo Martyri lenimen dolorum ac robur animi dedit, ut etiam in tormentis ipsi Tyranno insultaret dicens; assatum est, jam versa & manduca.

Et quis miretur, quod aspectus cœli tantum possit, si mente recogitet, quid præstet in sublunaria influxus Solis, Lunæ, ac Siderum, ergone Solis ardor excoquat aurum in montibus, & cœli aspectus non possit ardorem charitatis imprimere humanis mentibus? ergone Luna fervere & exæstuare faciat maria, & cœli obtutus, non queat immutare corda mortalium? Magnes trahat ferrum, & cœlum non attrahat mentes hominum? si tanta vis inest Sanctorum reliquiis? si Agathæ velum sistit & retrò agit, exæstuantis Æthnæ flammas & incendia? si cincinni capitis beatissimæ Mechtildis in aerem sublati tempestates sedant & tonitrua? quid non aget in humanum pectus memoria cœli ac æterna gloria? quos animos, quos genreosos Spiritus non sumetis, si sursum corda & oculos levetis, ac recogitetis: Hæc est Civitas illa sancta, cujus plateæ auro stratæ, cujus turres gemmis

(a) *Tertullian. l. ad MM. cap. 2.*

mis ædificatæ, promiſſa hœreditas filiorum Dei, ubi æternum cum Deo lætabuntur Juſti: an non mox omnia terrena deſipient? an non cum Paulo exclamabitis? *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*? an non cum Ignatio fatebimini Heu quàm ſordet mihi terra, cum cœlum aſpicio.

Certè hic aſpectus, hæc conſideratio ità beatos Martyres inflammavit, ut in tormentis exultarent, ac ipſis Tyrannis inſultarent.

Conſpiciebant ante ſe ignitos & accenſos æneos boves, intra quos cum Placido ac Theopiſta clauderentur: ſtabant ante eos equi indomiti, â quibus cum Hypolito in partes & fruſta diſcerperentur, cernebant liquefacta metalla, ori ipſorum infundenda: videbant congelatos lacus, in quibus frigore conficerentur: aſpiciebant ardentes rogos & craticulas, in quibus torrerentur; intuebâtur, in manibus Lictorum enſes, & ſecures, quibus capita eorum demeterentur: videbant exacutas ſubulas, quibus oculi eruerentur; laqueos, quibus ſtrangularentur: fuſtes, quibus artus artus & oſſa frangerentur; beſtias quorum ungulis & dentibus dilaniarentur, cruces, in quas agerentur; ignes denique, quibus in cineres redigerentur: ſed cœli aſpectus, flammas in refrigerium, dolores in gaudium, tormenta in exultationem & jubilum convertit, uti bellè in encomio Martyrum S. Ephrem id deſcribit dicens: inſultabant Judicibus, quaſi ſenſus doloris expertes, & quaſi in alienis corporibus paterentur dicentes, ſi graviora habetis tormenta admovete; ignis veſter frigidus apparet, percuſſoresque imbelles; gladii veſtri ſunt ligna marcida, ad plura & majora conſiſtimus: non rogus ardens, non ſtridentes flammæ, non ignitæ ſartagines, non ollæ ebullientes, non candentes laminæ, non ferarum dentes aut ungulæ nos deterrent. Unde obſecro hoc? audite rationem, quam aſſignat; læta quippè & jucunda vobis fuit futurorum exſpectatio, quæ vos ita animavit, ita roboravit, ut ſingulis horis, nova vobis & acriora adhiberi cuperetis ſupplicia: probarunt hoc abundè lætæ illæ ac triumphabûdæ voces Martyrum, in tormentis jubilantium.

Obſtupuêre barbari Saraceni, quâdo audiêre beatos noſtros Danielem, Hugolinum cum aliis quinque ſociis ſtantes ſub formidando acinace, non aliud inclamantes quàm *Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum celebrantes*, gaudeamus! en nobis cœlorum janua eſt aperta.

Obſtupuit crudelis Tynannus Dacianus glorioſo Martyri Vincentio in equuleo pendenti inſultans, ac ignes, ungulas, aliaque innumera tormenta minitans, quando eum reſpondentem ſibi audiit, non minari mihi videris, ſed quod votis omnibus concupieram offerre fruſtra fatigaris Daciane, non poteſt tam horrenda excogitare tormenra, quanta paratus ſum ſuſtinere carcer, ungulæ, candentes laminæ, morſque

ipſa,

ipsa, ludus jocusque Christianis sunt, non tormentum, cur? cœlum enim cogitant. Bolandus.

Obstupuêre Japones, quando in crudelissimo illo incendio, quo quinquaginta Christiani glorioso agone in cineres abiêre, conspexêre binos ad tragicum hoc spectaculum equis insidentes Nobiles Christianos Japones, spe cœli, & aspectu Martyrum animatos adeò, ut ex equis subitò desilientes, perque confertum militum & lictorum turbam penetrantes, in amplexu Charissimorum suorum instructorum & Confessariorum P. Hieronymi de Angelis Societatis Jesu, & P. Francisci Galves Ordinis Sancti Francisci vitam & animam inter flammas Deo consecravêre:

Hazzard parte 6. cap. 5.

Unde obsecro hæc constantia & heroica fortitduo? audite Ecclesiam canentem.

Traduntur igni Martyres
Et Bestiarum dentibus,
Armata sævit ungulis
Tortoris insani manus;
Nudata pendent viscera,
Sanguis sacratus funditur,
Sed permanent immobiles
Vitæ perennis gratiâ.

Cœlorum obtutus eos animabat, spes futurorum eos confortabat, subsecutura gloria has triumphales voces extrudebat.

Noverat vim & robur hujus obtutus illustrissima Mater illa Machabæorum cap. 7. unde ut Filium ultimum ad tormenta sufferenda animaret, non alio argumento est usa, quàm ut diceret: *Peto nate ut aspicias ad cœlum, ita fiet ut, non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.*

Noverat robur hujus aspectus Matrona illa Anglicana, quæ oculis ad cœlum levatis inter crudelissima tormecta his vocibus se animabat ac solabatur: patere anime mi, brevis restat via quæ ducet ad cœlum, post sex horas super Solem & Lunam vehar, astra pedibus premam, empyreum inibo. Occurebat utique his illud Chrysologi serm. 134. *quot vulnera, tot bravia, quot tormenta, tot prœmia, quot victoriæ, tot coronæ.*

O spes æternorum! ò contemplatio cœli quantum roboris administras misreis & afflictis? Tu secundùm Augustinum omnia portare facis dulciter & suaviter: Per te Apostoli & Martyres gaudentes ad mortem & tormenta properant. Tu convertis flammas in ventum quasi roris flantem; ardentes prunas in rosas & violas commutas, craticulas & ignitas sartagines in lectum vertis quietis, tu cruces & patibula transformas in amatas sponsas, quibus ex corde acclamatur, salve Crux amata, diu desiderata ardenter expetita.

O Cœlum ò Cœlum; Tu es illa cynoſura, quæ in turbido mari hujus ſæculi fluctuantem naviculam noſtram dirigis, & ad optatum portum Salutis perducis: Tu es quæ dolores & angores noſtros temperas, cruces & tribulationes allevias; Tu es ſuaviſſimus & fortiſſimus ille magnes, qui & reluctantia corda noſtra ad te trahis.

O Cœlum ò Cœlum! cum te mente conſidero, omnis terra mihi ſordet.

Cœlum igitur inſatiabili oculo contemplemur, ac in illud omnes noſtros obtutus figamus: Hæc illa ſedes eſt æternæ quietis, hæc regio beata, hæc terra viventium, ob quam Chryſoſtomo teſte,(a)etſi millies eſſet ſaliendum in ignem, tamen condigna non pateremur ad futuram gloriam: Hic aſpectus hic obtutus, omne abſynthium tribulationis cœleſti ambroſiâ condit, hic ad omnem tolerantiam excitat, robur in doloribus & adverſitatibus addit, nutantia corda confirmat, ac in patientia ſolidat.

Paupertas te forte premit, cœlum aſpice, ibi divitiæ & omnis gloria te exſpectat: in luctu aut mœrore es; cœlum cogita, ibi abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: tribulationes fortè & perſecutiones pateris, Cœlum reſpice, ibi ibi te æterna manet requies & conSolatio: dolores & gemitus mortis te fortè circumdant, menti mox & animo tuo occurrrat Laurentius, digito in cœlum intento tibi acclamans, gratias ago tibi Domine, quia januas tuas ingredi merui.

Claudo verbis Cornelii à Lapide (b) in omnibus actibus tuis cœlum ſpectes, cùm ergo arduum quid occurrit, cum tentatio ingruit, cum crux gravior imponitur, reſpice civitatem cœleſtem, dic feram, patiar, ſuperabo, quamvis ſint dura & aſpera; ſic itur ad cœlum, ſic triumphatur cum Laurentio.

Ad te me nunc verto Illuſtriſſime Martyr Laurenti: Ito nunc glorioſe Martyr, ito pugil Chriſti ad domum æternitatis, ito ad Jeſum tuum, pro cujus fide & amore tantum agonem obiiſti, Jeſus te exſpectat, ut coronet, qui ſpectavit & roboravit te, ut vinceres: bonum certamen certaſti, curſum conſumâſti, fidem ſervâſti, theſauros Eccleſiæ in pauperes diſperſiſti, accipe nunc coronam gloriæ, theſaurum non deficientem in cœlis. Ito! ito Martyr fortiſſime in domum fortium Dei; ito Virgo caſtiſſima in cœleſtem montem Syon, ſequere Agnum cum Choris Sanctarum Virginum, quocunque ierit, canta canticum novum: Ito Levita glorioſiſſime in cœleſtem aulam æterni Regis, ille victricem imponet tibi coronam; ille à corpore tuo abſterget omnem fumum & odorem ignis; ille æterno Patri ſuo te victorem Tyranni ſiſtet, ut pro modico ignitæ craticulæ tormento,

(a) *De reparatione lapſi* (b) *In Iſaiam.*

tormento, æterni regni diadema recipias.

Ito Martyr laureate, ac nobis ad cœlum viam sterne: paucis horis fortiter luctando, cœlum gaudio, fideles exemlpo, Ecclesiam gloriâ, Orbem fama, Angelos exultatione complevisti.

Vive & triumpha Laurenti generose Scævola Ecclesiæ Catholicæ, ac tuâ generositate nostrum torporem, tuis ignibus nostrum frigus, tuâ Fortitudine nostram imbecillitatem, tuo exemplo socordiam nostram pelle.

Eja ex alto nos respice, ut tui certaminis vestigia fortiter sequi, ac gloriæ tuæ participes fieri mereamur: verificetur denique in nobis, quod de te Augustinus testatus est serm. 30. do Sanctis dicens Laurentius flammis, quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit: & dicat omnis populus, fiat, fiat!



IN FESTO S. CLARÆ VIRGINIS.



Signum magnum apparuit in Cœlo. Apoc. cap. 12.

AVe CLARA luce clarior, lucis æternæ Filia, Cœlorum Sidus nobile: ad encomia quidem tua fideli populo deprædicanda adſto, ſed quibus te laudibus efferam neſcio; ſi verum, quod Salomon proverb. cap. 17. dixit, *Gloria Filiorum Patres eorum*, laus tua prima erit Matrem te habuiſſe HORTULANAM, quæ nobile illud Lilium Horto intulit JESU Nazareni, quod odore ſuo univerſum poſtmodum replevit terræ ambitum.

Nec

Nec HORTULANA tantùm erat Genitrix tua, sed & NUBES ROSCIDA, ex qua refulsit Arcus ille cœlestis, universarum virtutum coloribus variegatus.

Quin & cœlorum imitata est Firmamentum, utpotè quæ produxit mundo stellam illam novam & lucidam in medio nebulæ, cujus splendore & radiis, tàm Oriens, quàm Occidens est illustratus.

Nec minus felix Concha extitit Hortulana, quæ pretiosam illam Margaritam exclusit, dignissimam, ad quam comparandam cœlestis Negotiator descenderet.

Sed quid moror in his minutiis? quid margaritam extollo? quid stellæ radios admiror, quid Lilii odorem suspicio? hæc parva nimium sunt, ad ulteriora ascendo, ut Claram laudem omni laude dignissimam; præconiumque illud extraordinarium Apoc.cap.12. descriptum (virtutibus tamen Sanctæ condignum) cum debita reverentia & demissione SSmæ Matri Claræ applico, ac in sensu accommodo dico: *Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Quem titulum dum charitati vestræ enucleatius expono, simul & patientiam vestram imploro.

Autumabunt nonnulli ex vobis, arcum me nimis intendisse, nec videri, quâ ratione intentum meum probare queam, cùm communiter tàm SS. Patres, quàm Ecclesiæ Doctores Elogium illud, vel Ecclesiæ vel, Sacrosanctæ Virgini Mariæ attribuant, dedecere proindè encomium hoc Matri Dei subtrahi, ac Claram eo condecorari; hæc mens plurium fortè erit. Sed nihil moveor; quod scripsi scripsi: fateor ultrò, primariò Elogium hoc tàm Ecclesiæ quàm benedictæ Virgini competere, nullatenus tamen inhiberi, quo minus (respectu debito servato) id etiam Claræ appropriari queat, sequor vestigia Doctissimi Benedicti Fidelis, qui Panegyrico 4. de S. Virg. & Mart. Lucia scribere non est veritus sequentia: Dum gloriosissimam V. & M. Luciam considero, eamque non solùm per consuetam aliarum Virginum lampadem, verùm etiam per nomen suum proprium splendere video, videtur mihi ea in mystica illa visione mulieris, Apoc.cap.12. à Joanne Apostolo esse depicta & delineata: æquo ergo jure encomium hoc & ego Claræ attribuo.

Et quis negare ausit, Claram extitisse signum magnum in cœlo & in terra, si prodigiosam illam vocem ad Hortulanam matrem orantem, è crucifixo delatam animo revolvat; ne paveas mulier, quia Lumen quoddam salva paries, quod ipsum mundum clariùs illustrabit; si ulterius admirandam ordinis institutionem & progressum recogitet. In memoriam solùm reducite, calamitosa illa tempora Ecclesiæ, quæ Claræ ortum antecessêre, patebit liquidò, Claram mundo naufrago à Deo datam in signum misericordiæ & clementiæ.

In densis tenebris scelerum, in horrida calligine hæresum jacebat sepulta non solùm Umbria, sed & universus Christianus orbis: ubique nox erat, pauci filii lucis: Titubabant fides & Religio, schismate divisa erat Ecclesia, oblivio summa erat Numinis & præceptorum ejus; gemebant ob internecina bella Guelphos inter & Gibellinos, miserè quassata regna & Provinciæ, exulabat pietas, ridebatur continentia, explodebatur mansuetudo, triumphabat iniquitas: at mox ubi Clara lucem aspexit, nova lux oriri est visa, quæ puritate vitæ, splendore virtutum, caliginem discussit, noctem fugavit, ac velut stella matutina in medio nebulæ in domo Dei effulsit.

Obstupuit quidem cœlum & terra bonitatem Dei in creatione mundi, dum Altissimus non contentus ex luto creâsse Adamum, mox de adjutorio simili ipsi providit, ac Evam ex costa dormientis Adami produxit, novum portentum matrem viventium: sed non minùs in reformatione Orbis postmodùm obstupuit totum universum, videns ex immensa & inscrutabili bonitate Dei pauperculum Franciscum à Domino suscitatum ac constitutum, ut in Ecclesia Dei plantaret & evelleret, ædificaret ac destrueret orbem, in maligno positum, ac toto cœlo aberrantem ad leges Ecclesiæ reduceret, nec non ad hoc grande opus perficiendum additum Francisco adjutorium simile, ac velut ex costa Francisci productam Claram, quæ esset & Soror, & Filia, Virgo & Mater, zelatrix perfectionis & Evangelicæ Reformationis coadjutrix, quæ exemplo Francisci aurum & argentum generoso pede calcaret, honores & plausus mundi fugeret, deliciis & voluptatibus nuntium remitteret; Vigiliis econtra orationibus, jejuniis ac macerationibus innocens corpusculum attereret, ac in servitutem redigeret.

An non portentum hoc? An non signum & prodigium grande? tempore tam perverso non visum? ita, ut ipse Summus Pontifex & Cardinales hæc videntes stupescerent dicerentq; Man hu, quid est hoc? non capientes, quomodo Virgo tàm tenera & fragilis viam Evangelii tàm arctam non solùm amplecti, sed & ad extremum vitæ halitum subsistere posset.

Signum ergò magnum meritò dici potest Clara, quæ inaudito exemplo, velut Magnes cœlestis in carceres voluntarios, tot nobiles animas traxit, quibus gaudia mundi desiperent, è contra in votis & desiderio esset crux Christi.

In majus adhuc excrescit laus & encomium Claræ, si addatur alter titulus: *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus.*

Iterum adverto vos hærere, ac cum Nicodemo inquirere, quomodo possunt hæc fieri? quibus æquè respondendum censeo ut Nicodemo: *Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?* Facilis via patet ad hoc probandum; relegite solùm annales Umbriæ, & invenietis, quàm parùm Assisium patria

S. Cla-

S. Claræ abfuerit ob bellonæ furores ab ultimo exitio, & exindè concludetis jure optimo Claræ nobilem hunc titulum adſcribi.

Obſederat armatâ manu Aſſiſium Imperator Fridericus II. hoſtis eorum intenſiſſimus, ad cujus fortiorem oppugnationem & ruinam ultimam exciverat colluviem Maurorum & Saracenorum, eorum viribus urbem certò ſubjugaturus. Hi omnia obvia igne ferroq; vaſtabant nulli ætati parcentes: Ventum proindè ad S. Damiani monaſterium, ubi Clara cum ſuis filiabus in Domino erat congregata: jam ſcalas Mauri applicaverant muro, jam jacula & acinaces acuebant, aut pudorem aut vitam Deo dicatis Virginibus extorſuri.

Trepidæ filiæ in hoc periculoſo rerum ſtatu ad Claram confugiunt, auxilium & ſolamen expoſcentes, flent, gemunt, pectora feriunt, extrema quoq; formidantes: Clara quamvis ægra, miſerta filiarum ad aram, ubi Venerabile aſſervabatur, ſe deferri imperat, ibi profuſis lacrymis, plena tamen fiduciâ Dominum precatur, ut refrænet furorem & iras Barbarorum, conſervet famulos ſuos ſibi ſervientes, neque tradat beſtiis corpora confitentium ſibi; aſſumptâque ſacrâ pyxide, quâ Venerabile Sacramentum recondebatur, velut mulier fortis, *armata & amicta Sole Juſtitiæ*, imperterritè ad clauſtri ſui fines egreſſa, ſcutum non aliud objecit hoſtili furori, quàm cœleſtem ſuum Sponſum, ad cujus aſpectum mox Barbara phalanx trepidare, pars fugere, pars per muros cadere, pars à ſcalis inviſibili manu deturbari cœpit, liberantur interim innocentes Virgines, gratiæ aguntur Numini, Clara de hoſtibus triumphat.

An non ergò Clara mulier amicta Sole? an non Luna, Saracenorum ſymbolum, ſub pedibus ejus conculcata jacet? Nec velim, inanem meam eſſe ſpeculationem cenſeatis, luſtrate ſolùm Aloyſii Novarini librum 5. Agni myſtici cap. 72. & cap. 76. videbitis ibidem cum admiratione æri inciſam duplicem imaginem S. Claræ Virginis manibus Venerabile geſtantis, primam circumdatam ſtellis, alteram Sole: hisq; imaginibus hoſtias minores ſignatas recenſet Aſſiſiis ex eo tempore, quo mirabilitèr Saraceni à monaſterio S. Claræ ſunt depulſi.

Sed ubi corona ſtellarum duodecìm, quæ caput Claræ circumdat? Videmini mihi præoccupare conceptum meum, intraque vos dicere, coronam hanc non ſtellas, ſed duodecim gemmas denotare, ac per eas duodecim illuſtres virtutes ac prærogativas Claræ deſcribi: adducetis in teſtimonium D. Bernardum, qui ſer. 1. explicans cap. 12. Apocalypſis, per 12. ſtellas non aliud intelligit, quàm prærogativas 12. glorioſæ Virginis, quibus Maria ſingulariter adornatur.

Creditis ergò per Adamantem, (utpotè cœteras gemmas, ſplendore, pretio & duritie ſuperantem) Claræ conſtantiam & fortitudinem denotari: optima cogitatio; conſtans enim ſemper in ſua prima reſolutione per man-

fit

sit Clara, nec carni aut sanguini unquam cessit. Ubi ad nubiles annos pervenit, instabant parentes, omni modo matrimonii nexibus eam illigaturi: erat autem illa velut casta Penelope, de die in diem moras nectens: arietabant in eam cognati sacrum ejus propositum disturbaturi, addebantur blandimenta, promissa, ac minæ; sed frustra; semper enim inscriptum erat sacro huic Adamanti Nulli cedo: unde nil obtinuerunt, nisi ut nudum monstraret verticem & abscissos cincinnos, quin & fortitudinem hanc ac constantiam in sororem Agnetem transfundere est visa, dum immobilem eam in proposito reddidit.

Aut forte creditis per Sapphirum gemmam cæruleam, colore suo cœlum, cùm serenum est, imitantem, intelligi Claræ mentem & animum per continuam contemplationem non in terris, sed cœlis conversantem, cujus cor toto vitæ spatio ambiebat solùm, *quæ sursum sunt, non quæ super terram:* non aberratis, credibile hoc fecerunt ejus sacræ extases & raptus.

Aut vobis forsan persuadetis per tertiam gemmam Carbunculum (qui velut carbo ignitus de die & nocte scintillat, qui in acetum missus magis splendet, aut aquâ perfusus magis inardescit) charitatem Claræ non solùm in Deum, sed & in proximum designari? benè auguramini: tanta enim in corde ejus extitit charitas, ut non solùm amicos, sed & inimicos sit complexa, ut Cardinalis Hugolinus apertè sit fassus, ac dixerit, si quis à Clara se cuperet amari, opus solùm esse, ut eam in uno aut altero offendat aut mortificet, rem mox fore salvam.

Aut imaginamini per Smaragdum (quæ omnium viridium gemmarum obtinet principatum) S.mæ Claræ spem & fiduciam in Deum denotari? non fallimini: experta est eam quàm optimè urbs Assisii, in qua omnia desperata & conclamata erant, foris gladius, intus timor, hostis ad muros minitans extrema: spem tamen non posuit Clara, sed memor beneficiorum à civitate acceptorum, ad orationem conversa, caput suum & filiarum cinere conspergere, manus & oculos in cœlum levare, lamentis cœlum complere, precibus Sponsum fatigare non destitit, donec libertatem & pacem urbi obtinuit.

Aut creditis per Sardonichen (qui teste Beda in cap. 21. Apocalypsis ex oniche candorem, ex sardio ruborem trahit, ac nil impuri patitur) Claræ verecundiam ac illibatam virginitatem designari? vera narratis; tanta enim hæc puritas extitit in Clara, ut nunquam baptismatis innocentia in ea sit in minimo contaminata.

Aut per aurei coloris Topazium, virtute suâ repellentem cunctam tristitiam animi denotari fortè existimatis voluntatem & animum Claræ semper in prosperis & adversis voluntati divinæ conformem? Ita est: Vox enim unica Claræ per omnem vitam fuit, *Pater non mea, sed tua voluntas fiat!*

Aut per Achatem, qui veneno ac venenatis morsibus serpentum resistit,

ſtit, de qua gemma globi tornantur precatorii Claræ fervidam denotari creditis orationem? non aberratis: à primis enim cunis propè jam uſa eſt Clara his globulis: oratio ſcutum ejus ſemper fuit adverſus omnes tentationes & venena diaboli.

Vel autumatis per Jaſpidem gemmam ſculpi facilem, patientiam ejus deſignari, quâ per viginti octo annos cum morbis variis conflictata, nunquam tamen colorem triſtem induit, aut hilaritatem mentis amiſit. Benè auguramini.

Aut cum D. Bonaventura in Ametiſto humilitatem Claræ agnoſcitis?

Aut per Hiacyntum ejus abſtinentiam & macerationem corporis intelligitis?

Aut per Onychem ejus continuas lacrymas denotatis?

Aut demum per Magnetem rigidam ejus paupertatem auguramini? ſicut enim magnes ferrum attrahit,ècontra aurum & argentum repellit, ita cor Claræ erat rigidus magnes auri & argenti extremus oſor, ita ut etiam Gregorii Noni indultum ad temperandam paupertatem conceſſum repulſam à Clara tulerit.

Aut fortè per hanc coronam ſtellarum 12. imaginamini deſignari Virginum illarum cœleſtium chorum, quæ aureis ſertis coronatæ, unà cum dilecto Sponſo & Matre Dei lectulum mortualem S. Claræ circumſtetêre, donec animam ejus ſanctiſſimam corporis ergaſtulo egreſſam ad thronum Altiſſimi ſunt comitatæ?

Veneror cogitationes veſtras, laudo ingenium: ſed toto cœlo diverſam ego ex verbis Pauli coronæ hujus eruo elucidationem, dum ad Philippenſes c. 4. ita ſcribit: Itaque Fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum & corona mea. Unde ſic inſero, ſi Philippenſes vocat Paulus gaudium ſuum & coronam, utpotè à ſe converſos, in fide & Evangelio Chriſti inſtructos, ſectatores ſuos in ſtadio virtutis: cur non liceat & nobis dicere Claram circumdatam corona ſtellarum 12? duodecim nimirum regiarum Principum, quæ Regnum mundi & omnem ornatum ſæculi propter amorem Domini Jeſu contempſerunt, ac S. Claræ veſtigia ſunt ſecutæ? quæ adeò virtutibus & miraculis coruſcarunt, ut jure meritò ſtellæ cœleſtes dici potuerint?

Coronæ hujus admirandæ ſtella prima extitit Agnes Regina Bohemiæ, Primislai Ottocari filia, quæ licet à Patre inſtanter ad nuptias urgeretur, attamen & Friderici II. Imp. & Henrici III. Angliæ Regis thalamum repudiavit, ac Pragæ monaſterium à ſe ædificatum ingreſſa ita auſterè vixit, ut omni ciborum lautitiâ ſepoſitâ, ſolis fructibus terræ pane & aquâ veſceretur.

Hanc Agnetem in ſtadio virtutum conſolari volens Beatiſſima Clara litteris ſuis pro munere addidit velum & cingulum Ordinis, poculum ligneum pro potu, ſimilemque ſcutellam pro cibo. Miracula huic Agneti non defuerunt ante & poſt mortem, ut-

potè quæ in vita sororem Ludmillam 15. annorum parvulam mortuam per Responsorium, qui Lazarum resuscitâsti à monumento fœtidum, ad vitam revocavit, ac mortua Carolum IV. Imperatorem & Regem Bohemiæ bis à præsentaneo periculo mortis sese invadentem liberavit. Sannig p.2.l.3. f.152. an non stella splendida?

Stella secunda extitit Chunegundis, Belæ IV. Regis Hungariæ filia, stella verè fulgida & matutina, quæ nata non flevit, sed hungaricè dixit Ave Regina cœlorum, Mater Regis Angelorum: tradita postmodùm Boleslao Regi Poloniæ in matrimonium, cum eo, ad exemplum S. Chunegundis & Henrici, quadraginta novem annis in virginitate vixit, eoque mortuo mox monasterium à se ædificatum est ingressa, in eoq; sanctissimam vitam duxit. Fontem leucâ distantem à cœnobio, impositione sui baculi retroegit; obiit anno 1292. post mortem, ejus intercessione 80. mortui sunt resuscitati; 60. cœci illuminati, aliiq; innumeri ad tumbam ejus persanati; unde usque hodiè magna Poloniæ est Patrona. Tugend-Spiegel S. Claræ p. 1. l. 1. vitæ.

Tertiam stellam se exhibuit Eleonora, filia Alphonsi I. Regis Lusitaniæ, quæ Santareni non procul à Tago nobile extruxit Asceterium, in quod paulò pòst mundo valedicens sese abdidit, vocans se imposterum Helenam à S. Antonio, ob sanctitatis splendorem magnum decus & ornamentum Ordinis.

Demissio animi, ac charitas proximi binæ erant columnæ, quibus structura virtutum ejus innitebatur; undè summa ejus erat oblectatio in abjectis sordidisque officiis culinæ & infirmariæ propter Deum & amorem proximi exerceri, quam charitatem Altissimus non semel miraculis condecorare est visus; nam cùm aliquando Infirma quædam afflictim desiderio recentium cerasorum teneretur, Helena voluntati ejus obtemperatura mox in hortum Conventus concessit, factoque signo crucis cerasa immatura manu decerpsit, quæ tamen repentè in manibus ejus maturuêre, ac ubi ab ægra sunt gustata, pristinam sanitatem contulêre: & cùm post mortem Helenæ ossa ejus essent exhumata, & cum processione ad locum decentiorem transportarentur, sacerque chorus valetudinarium pertransiret, subitò, quotquot infirmæ ibi decumbebant, sanæ surrexêre, ac sacros cineres ad locum destinatum sunt comitatæ. Sannig. p.5. l.3. f.240.

Et quis Stellam non dixerit Chunegundem alteram Friderici III. Imper. filiam, quæ post trigesimum splendidissimo apparatu Alberto Duci Bavariæ persolutum, cùm ex templo B. V. Monachii juxta monasterium ad Sanctum Christophorum curru principali prætervéheretur, subitò sisti jussit, ac vale facto cunctis optimatibus ac nobili Gynecæo, ingressa cœnobium, cantataq; antiphonâ Regnum mundi & omnem ornatum sæculi con-

tem-

tempſi &c. cunctos ſtupore complevit, duodecim annis in vigiliis & aſſiduis jejuniis omniq; virtutum genere exercitata, donec 6. Aug. in Feſto Transfigurationis Domini ad Sponſum evolavit. Ad cujus merita demonſtranda inſolita ſtella ſupra tectum Monaſterii ſtare eſt viſa, quæ totum Monaſterium unà cum urbe admiratione complevit. Sannig p. 6. lib. 2. f. 131.

Nec denegari poterit Titulus Stellæ quintæ Mariæ Fernandez Coronel apud Iſabellam Caſtiliæ Reginam, regii Gynecæi illuſtriſſimæ Præfectæ, cujus formam ac decorem extraordinarium cùm ſupra modum Petrus cognomento crudelis Rex Caſtiliæ deperiret, inſidiasque occultas plurimas pudori ſtrueret, hæc ſcelus infame exoſa ardenti titione faciem fœdum in modum deturpavit, exiſtimans ſanctius eſſe denigratâ facie, quàm animâ coram mundo comparere: At cum cerneret inſaniam amoris quotidiè in Rege incrementa capere, nullusque effugii locus ampliùs pateret, ad Conventum Sororum S. Claræ confugit, & quia metuebat, ne amens Rex inſequeretur, deprecata eſt Moniales, ut ſe vivam potiùs ſepelirent, antequam honoris pateretur ſuſpendium: dictum factum: Vix ſcrobs erat eruta, parumque terræ ſuperingeſtum, cum ecce per miraculum areola illa terræ, Petroſelino tota conſita apparuit. Rex ubi Mariam per omnes angulos inquiſitam non invenit, irâ fremens abſceſſit: illa verò periculum ulterius exoſa Sæviliam petiit, ubi binis extructis conventibus ſeſe in uno eorum hoſtiam immaculatam Deo conſecravit, corpus ejus in teſtimonium ſanctitatis cùm poſt centum & 50. annos eſſet exhumatum, inventum eſt omni parte integrum. Martyrologium Arthuri 3. Julii.

Et quale non Aſtrum extitit ſereniſſima Margarita de S. Cruce, Maximiliani II. Imperatoris Filia? cui primus gradus ad ſanctitatem fuit cor immaculatum Altiſſimo offerre: nam cum mortuo Imperatore Parente, cum matre in Hiſpaniam ad patrium ſolum rediret, ac in itinere ad Montem Serratum diverteret, tanto amore puritatis incaluit quindecim annorum Virgo, ut cultello pectus aperuerit, ac ſanguine emiſſo, ſyngraphaq; ſcriptâ ſeſe totam in ſponſam JESU Chriſto obtulerit; hinc factum, ut non ſolùm nuptias Philippi II. ſed & ſceptrum cum corona generoſâ mente à ſe rejecerit, ac decimo ſeptimo ætatis anno ex Aula Madritana ad Cœnobium Clariſſarum rectà præſente Philippo II. Matre quondam Imperatrice, Principe Philippo, binis Infantibus Iſabellâ & Catharinâ univerſaque Aulâ Hiſpanicâ illacrymante, ſacro habitu induta fune præcincta, manu propriâ, Epiſcopo cincinnos ſuos detondendos porrexerit.

Humilitas tanta ei inerat, ut miſeriam ſuam unicè defleret, quod domum Dei everrere, aliaque obſequia vilia ſororibus præſtare prohibere-

tur; & cùm subolfaceret se in Abbatissam eligendam, à Summo Pontifice diploma obtinuit, quo sororibus electio hæc prohibebatur.

Paupertas tanta ejus fuit, ut præter parvam mensulam, vasculum aquæ lustralis, candelabrum ex electro, sedem humilem ac Breviarium nil possideret:

Ita Clausuræ erat addicta, ut cùm urgeretur, etiam monstratâ dispensatione Pontificiâ, ut matrem moribundam in domo Monasterio contigua morantem inviseret (cùm matrem aliàs intensissimè diligeret) ne pedem quidem extra septa Monasterii voluerit extendere; in quo voluntario carcere, cùm annos 50. in omni virtutum genere transegisset, tandem cœlesti musicâ recreata, à Sponso suo Christo sibi apparente ad cœlestem gloriam est invitata. Obiit Madriti 5. Julii 1633. Joan de Palma in vita ejus. Sannig part. 6. l. 3. f. 190.

Taceo Coletam, filiam Rudolphi, ex Austriaca Familia Imperatoris I.

Taceo Salomæam Reginam Poloniæ, Boleslai Pudici Sororem.

Taceo Isabellam Reginam Franciæ, Ludovici Sancti Germanam.

Taceo Sanciam Reginam Siciliæ; Elisabetham Reginam Lusitaniæ, Elisabetham denique alteram, Andreæ Regis Hungariæ Filiam, Principem Thuringiæ, stellas candidas, lucentes in perpetuas æternitates, quæ omnes integram panegyrim laudum & præconiorum merentur, quarum radii regna & provincias gratiarum influentiis lætificârunt; quarum splendore Ordo supra modum est illustratus.

O coronam illustrem! coronam gloriæ & sertum exultationis! O stellas illuminantes universum orbem! ab ortu Solis usque ad occasum radios virtutum diffundentes!

O Claram! signum magnum in cœlo! O mulierem amictam Sole, cui ad pedes sternitur Luna! O dignum, ut cum Bernardo loquar, stellis coronari caput, quod & ipsis clarius micans ornat eas potius, quàm ornetur ab eis. Quis unquam Regum aut Cæsarum tam redimitus est coronâ? tot micantibus coronatus est pyropis? Gratulor tibi ex animo ô sanctissima Mater felicem sortem & gloriam tuam: Veneror & adoro immensa merita tua: admiror & obstupesco fortissimam dexteram tuam, quam impia gens Saracenorum Assisiis sensit: Eja age & hodiè leva manum tuam contra adversarios nostros; insurgunt enim & contra nos inimici nostri, ac Ecclesiam oppugnant Barbari, Saraceni, Tartari & Turcæ; age antiqua operare miracula, percute, sterne, & in fugam age maledictam Mahometi sobolem, Lunæque cornua sacratis tuis pedibus elide & conculca!



IN

IN FESTO ASSUMPTIONIS B.M.V.



Optimam Partem elegit MARIA. Luc. 10.

VArias concertationes, pugnas & prœlia expertus est mundus: excitavit has pugnas quandoq; scelerata ambitio, & fines suos latiùs dilatandi libido: ad arma quandoq; impulit pertinax discordia, & indomabilis livor; cassam quandoq; præbuit (a) *Meum & Tuum, frigidum illud verbum*, cunctarum litium Mater: classicum nonnunquam cecinit turpis Amor, & incæstuosa Venus, bellis & concertationibus cuncta involvens. Sic decennio integro (Curtio teste) pug-natum

(a) *S. Chrysost. Orat. de S. Philogon.*

natum eſt inter Darium & Alexandrum, cauſa unica erat Sceptrum & corona Perſiæ, hinc voces illæ ambitioſæ Pellæi Juvenis, ſicut Cœlum binos ſoles, ita nec Perſiæ regnum duos patitur Reges.

Decennio integro Marte ſanguinolento decertatum eſt inter Aſiam & Græciam, vaſtatum Ilium, in cineres redacta Troja, hoſtili ferro fortiſſimorum militum bini milliones utrinq; immolati; fax belli unica infamis Helena à Paride rapta & Trojam abducta.

Decennio integro armis concurſum ab Aenea & Turno, cauſa non alia quàm Lavinia Latini Regis filia ab ambobus Procis in ſponſam expetita.

Quin & quandoq; in ipſo Cœlo ſimiles concertationes exarſiſſe fabulantur Poetæ, & quidem inter ſuprema Cœli Numina, Junonem, Palladem & Venerem: cauſam pugnæ huic & concertationi præbuit aureum pomum clam à Diſcordia menſæ Deorum illatum cum inſcriptione, detur pulchriori: hoc pomum omnes propè Deos invicem colliſit, & millenis ſtragibus anſam præbuit.

Auditores, relinquamus Poëtis fabulas; negare tamen non poſſumus ſub his fabulis ſubindè veritatis Symbola, & doctrinæ myſteria deliteſcere: Notum eſt illud prœlium magnum in cœlo, (a) ubi in duas acies hoſtiles, geniorum cœleſtium diviſus eſt exercitus, quondo *Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone*; ſed poſtquam à Michaele cœleſtis ſtetit Victoria, projectusq; eſt in Tartarum Draco ille magnus, ſerpens antiquus, facta eſt requies, pax, ſalus & virtus in aula Dei.

At hodiernâ die novi ac recentis belli ſemina & ſcintillæ in cœlo & in terra iterum apparent, novum certamen, nova concertatio exoritur: Terra cœlum provocat; terræ ſe cœlum opponit: pro terra ſtant cuncti Reges & Principes Orbis; pro terra militant Univerſæ Urbes, civitates, arces & propugnacula, montes & colles, valles & abyſſi; fœderi huic junguntur cuncta elementa, & quotquot demùm orbis numerat creaturas.

Pro Cœlo excubant Sol & Luna, ſtellæq; manentes in ordine ſuo cum univerſa militia cœli, millia millium & decies centena millia, (b) *omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.*

Pugnæ huic & concertationi cauſam præbuit Obdormitio & mors glorioſæ Virginis Mariæ: hinc pro poſſeſſione ſacri hujus theſauri ac ſanctiſſimi corporis certant & contendunt invicem cœlum & terra teſte S. Ildephonſo ſer. 6. de aſſumpt. dum ait *Nec diu ſacratiſſima Virgo poſt domini aſcenſionem in terris potuit permanere, quam deſiderabant Angeli, cœlum etiam ipſum de ejus aſcenſione querebatur.*

Auditores veſtrum nunc erit attentis

(a) *Apoc. 12. 7.* (b) *Cant. 3. 8.*

tentis auribus ſacro huic Litigio intendere, vim rationum, & Argumentorum ponderare, cauſas partium examinare, judicium demum absq; paſſione ferre, ac concludere, cui victoria competat, ac ſacer hicce theſaurus Virginis glorioſæ ſit adjudicandus.

Nota eſt univerſis concertatio illa, quam l. 3. Reg. cap. 3. Thronus Salomonis ſpectavit, ubi de duobus infantibus, uno vivente, altero mortuo à binis fæminis, ſtupente tota aula, eſt acriter litigatum: non diſſimili modo depugnant inter ſe hodie cœlum & terra: cœlum clamat mea eſt Maria, negat hoc terra & reclamat, non tua, ſed mea eſt Maria, utraq; pars prætendit jura, allegat rationes ad poſſidendam Mariam.

Terra lugubri ac defluente thalari tunicâ ſuccincta, peplo nigro faciem obtegente, comitante eam mœſtâ catervâ Creaturarum terreſtrium, coram cœleſti throno in genua procumbens tracto ex intimo corde ſuſpirio ſic lamentari, ac perorare cœpit.

O Triumphum! triumphum! non materiam gaudij & exultationis, ſed doloris & mœroris nobis ſubminiſtrantem! ò aſſumptionem Virginis humano generi non decantandam, ſed mille ſingultibus lamentandam! ò infelicem ſortem filiorum Adam! in veritate hodie comprobatur, quod os mellifluum ſerm. 1. de Aſſumpt. dixit, *plangendum nobis quàm plaudendum magis videtur: quantum enim de Mariæ præſentia cœlum exultat, nunquid non conſequens eſt, ut tantùm lugeat hic noſter inferior Mundus ejus abſentiam?*

Unde cùm grandi gemitu hodie repetere cogor verba deſolatæ uxoris Phinees, (a) cùm audiit à Philiſtæis captivam abductam Arcam fœderis, ac exclamare *Translata eſt gloria de Iſrael;* ablatum eſt gaudium, conſolatio, & refugium univerſæ terræ.

Sed ò metuende & adorande Deus, ſi inveni gratiam in oculis tuis, loquar paucula verba ad Dominum Deum meum, ac rationibus & argumentis conabor probare, plus juris terræ eſſe in Mariæ corpore in terris retinendo, quàm ad cœlum transvehendo: & primò quidem ex promiſſione & ultima voluntate Teſtamenti unigeniti filii tui id deduco; utpote qui in Cruce pendens, antequam in manus tuas adorandas Spiritum traderet, Joanni dilecto ſuo diſcipulo, & in ipſo cunctis mortalibus Mariam in æternam & fideliſſimam Matrem conſignavit, & tranſcripſit: reſpice ergo in teſtamentum filii tui domine; nunquid quæ procedunt de labiis Chriſti facies irrita? ut quid ergo nos ſine matre relinquis orphanos, & pupillos deſolatos? redde nobis Mariam: (b) Si Roſa eſt Jericho, ſi lilium convallium, in terra erit plantatio ejus: ſi cedrus exaltata eſt in Libano, ſi odori-

(a) *1. Reg. 4. 21. 22.* (b) *Eccl. 24. 15. Cant. 1. 2. Eccl. 24. 17. 18. 19.*

odorifera cupressus in monte Syon, si elevata Palma in Cades, si oliva speciosa in campis, si Platanus frondosa juxta aquam, in terra radices suas agat, frondes & ramos explicet: probat hoc ipsum Altissimi effatum Eccles. 24. dum Mariæ præcepit & dixit Creator omnium, qui requievit in Tabernaculo ejus, *in Jacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mille radices*: reddatur igitur terræ Maria, ut sub benedicta umbra ejus vivamus.

Jvisset benedicta anima Virginis ad Cœlos, mansisset saltem Corpus Mariæ incorruptum in terra, uti corpus *S.* Francisci Assisiis in Umbria: *S.* Xaverii Goæ in India: *S.* Eduardi R. in Anglia: *S. S*tanislai Episcopi M. Cracoviæ in Polonia: *S.* Catharinæ Bononiensis Bononiæ: B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Florentiæ: *S.* Rosæ Virg. Viterbij: *S.* Jacobi â Marchia Neapoli: S. Ubaldi Eugubij.

O lacrimandá mortalium sors! ad impii Mahometis sacrilegam & maledictam tumbam, tota confluit Asia & Africa, ac supplici poplite Idolum detestandum veneratur; & Mater Dei, sponsa spiritus sancti careat tumulo? expers sit Venerationis? si ad Mecham tantus est concursus populorum, quid fieret ad gloriosum tumulum Mariæ? quot ægri sanarentur, quot dæmonum centuriæ pellerentur, quot infirmi ac mortui attactu sacræ hujus tumbæ reviviscerent? (a) si umbra Petri transeuntis languores profligavit, quid faceret umbra Mariæ permanentis?

En totus orbis in genua procumbit, ac venerabundo poplite cunctas offert amœnas valles; montes spondent omne marmor, aurum & argentum: mare promittit cunctas margaritas & gemmas, quibus secundùm decentiam tantus thesaurus includatur, ac monumentum ornetur.

Ergone aliorum Sanctorum reliquiæ adeò honorentur, & Mater Dei honoris sit expers? ergone benedicta brachia ac pedes qui Christum fugientem in Ægyptum tulerunt, sacrum Corpus, quod novem mensium spatio Christum in utero portavit; ubera, quæ eum lactârunt, labia, quæ mille oscula Christo impresserunt, osculis & honore priventur? ex memoria hominum eliminentur, ac evanescant? aliorum è contra Sanctorum Lipsana & sacri cineres auro includantur, gemmis ornentur, devotione supplici colantur.

Ergone simus tam infelices filii, qui nihil Matre tam divite hæreditemus? (b) Enoch, Elias, Joannes abeuntes ex hoc mundo, libros, pallium, crepidas reliquêre, æternæ memoriæ pignora: & Mater nostra, Domina Cœli & terræ nil sacrorum cinerum derelictis filiis relinquat? O sortem acerbam mortalium!

(a) *Act. 5. 15.* (b) *4. Reg. 2. 13.*

lium! luceat filius ejus dilectus ut ſol in cœlo, remaneat ſaltem terræ Luna ſua Maria ſolatium omnibus, qui gementes & flentes ſedent ad flumina Babylonis.

Exigunt demum & hoc Tituli Mariæ attributi: an non eſt Maria refugium peccatorum, auxilium Chriſtianorum, conſolatrix afflictorum? at aſſumpta eſt nunc in cœlum advocata noſtra gementibus interim nobis ſub gravi jugo peccatorum.

Lætatur Conſolatrix noſtra in cœleſti Solyma, nos captivi detinemur in miſera valle lacrymarum: potatur illa torrente voluptatis, nos mœſti ad amara flumina Babylonis ſedemus, dum recordamur Mariæ: degit illa in regione viventium, nos erramus in regione umbræ & mortis: inter fluctus ſæculi naufragamur, & fruſtra ſtellam maris, ac cynoſuram inquirimus.

O miſeros & derelictos, quis nos abſcondet à furore Domini, quis ſagittas & gladium evaginatum irati Judicis à cervicibus noſtris arcebit? quis peccatis noſtris offenſum deliniet Numen? quis iratum pacificabit Deum?

An non æquo jure reſpondere poſſumus, quod reſponderunt Antiocheni Imperatori Leoni petenti Corpus Sanctiſſimi Viri Dei Simeonis Stylitæ dicentes, cùm non ſit urbi noſtræ murus, quem ira Imperatoris in nos ſæviens dejecit, ſacrum hoc corpus adduximus, ut nobis pro muro & propugnaculo eſſet: ità & nos lamentari poſſumus cùm nos extremè perſequantur fatales tres hoſtes, mundus, caro & orcus, nec nobis adſit murus & antemurale, maneat igitur apud nos glorioſum corpus, ut ſit nobis defenſio & propugnaculum.

Ah Domine non eſt tibi curæ quod Maria reliquit nos ſolos in terra, dic ergo illi, ut ad nos redeat & derelictos adjuvet.

Ubi verba ſua finiit terra, factum eſt ſilentium in Cœlo, tandem licentiâ ab Altiſſimo impetrata ſic fari exorſum eſt cœlum.

Abſolviſti ſoror mea, ut credo, quæ dicere volebas de reducenda in terras Maria, ſed apparet verè te in tenebris ac umbra mortis verſari; ſapiunt enim cuncta argumenta tua umbras, tenebras & caliginem: tria, ut video, argumenta formas, Teſtamentum Chriſti allegas, devotionem populi extollis, ex titulis deniq; Mariæ id conaris eruere: at claudicant argumenta tua, vacillant rationes.

Verum eſt, promiſſa fuit vobis Maria in Matrem: Sed habuitne terra eam ut Matrem? Venerationémne condignam exhibuit illi ut dilectæ Genitrici? An non ſcelerati filii manus ſacrilegas elevârunt, ut dejicerent ſacrum ejus feretrum? An non ignibus deſtinârunt ſacras ejus exuvias crudeles filii? quot perſecutiones poſt Aſcenſionem filii cum Apoſtolis ſuſtinuit? quot blaſphemias & maledicta audire eſt coacta? quid mirum ſi Dominus ob in-

gentia scelera vestra eam vobis surripuit? (a) juraverat quidem Dominus David veritatem, semen tuum in æternum manebit, (b) & filii tui sedebunt super sedem tuam, sed scelera & peccata eorum in causa fuère, ut de throno deponeret, & ejiceret eos à facie sua, tanquam purgamenta terræ.

O scelerati Posteri Adam! num existimatis dignum, ut apud vos remaneat cœlestis illa Margarita, pro qua invenienda, & comparanda de cœlo descendit filius Dei? abjiciatur ne illa gemma in lutum, & conculcetur pedibus impurorum porcorum? Liliumne illud candidum relinquatur inter urticas, spinas & tribulos? sacráne illa Arca fœderis statuatur & ponatur juxta Dagon? Arbor illa, ex qua fructus vitæ prodiit, radices agat in mundo, qui totus in maligno positus? (c) Immaculata Virgo relinquatur in medio nationis pravæ & perversæ, quorum sensus & cogitatio ab adolescentia prona sunt ad malum & iniquitatem? (d)

Si Cynosura est Maria & stella maris, ascendat superius, & collocetur ac rutilet in firmamento cœli: Si arca est Noetica, requiescat in montibus cœlestis Armeniæ: si Filia æterni Patris, si Mater filii, si sponsa est Spiritus Sancti; obumbranda est radiis Spiritus Sancti; stringenda brachiis filii; benedictione demum æterni Patris est replenda. Filia si cupis esse Mariæ, illi potius gratulare & congaude: An cupis ut semper gladius ille doloris penetret cor ejus, ut dicere cogatur, (e) *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi semper ubi est Deus tuus?* exspectat æternus Pater filiam, filius amplecti cupit matrem, spiritus sanctus desiderat videre sponsam, cœlum exoptat ejus præsentiam, & terra sese opponat? sufficiat vobis tot annis Arcam hanc quievisse in domo Obededom.

Concursum populorum allegas, devotionem Peregrinorum extollis, honorem filii urges in Matrem, optime! at obsecro qualis & quanta est devotio vestra? heu quàm illa frigida? quàm brevis? quàm momentanea? per horulam subindè effervescit, & paulò post cum sonitu campanarum finitur & sepelitur.

Et quo honore tandem Cœli & terræ Reginam exciperetis? Aureum forte pararetis Mausolæum: gemmis distinctâ caput cingeretis coronâ, sceptrum eburneum locaretis in manibus, vestem aureis & argenteis floribus contextam aptaretis sacro Corpori, hîc omnis pompa & splendor esset circumscriptus & finitus: at in cœlo nunc est amicta sole, Luna sub pedibus ejus, in capite rutilat corona stellarum duodecim, sic honorari decuit Matrem à filio; honor enim Matris causa erat

filio

(a) *Ps. 131. 11.* (b) *Ps. 88. 37.* (c) *1. Joan. 5. 19.* (d) *Gen. 8. 21.* (e) *Ps. 41. 4.*

filio justissima, cur eam ad æthereum thalamum assumeret.

Notæ sunt vobis abundè abominandæ irreverentiæ, quas sacrilegus furor, tum Judæorum, tum hæreticorum ausus est patrare in Christum sub specie panis in altari velatum: heu quot sacræ hostiæ conspurcatæ, acubus & cultris transfixæ, pedibus conculcatæ, flammis deniq; absumptæ! Si hostiis ipsis non pepercerunt? quid fecissent aut ausi fuissent in Cineres gloriosæ Virginis Mariæ?

Quid non egerunt impii Iconoclastæ in cineres Sanctorum tam in Belgio quàm Gallia; ubi Cæsaraduni anno 1552. Corpus S. Francisci de Paula ultra quinquaginta annos semper incorruptum, flammis absumpsere, pro ligno, & pabulo flammæ utentes majori Crucifixo templi, quem in hunc finem in centum frusta secuerunt: Ne igitur similia contingerent dilectæ Matri, cavit filius, & eam in cœlum transtulit; Unde præclarè ait S. Augustinus ser. de Assumpt. Virg. *tam pretiosum thesaurum dignius est in cœlo servari, quàm in terra, ubi inhonorari potuisset.*

Neq; illa discessit à mundo ità, ut nihil filiis suis de hæreditate materna reliquerit: reliquit enim primò obsidem filium suum in Venerabili: reliquit Messanensibus Litteras; Tungrensibus guttas quasdam lactis Virginei: Capilli ejus servantur Annicii: de indusio Virginis gratulatur sibi Aquisgranum; pars togæ ipsius monstratur Romæ; Calceum unum habent Suessionenses: Annulus ejus sponsalitius ex Oniche servatur Perusii: Zona ejus seu cingulum monstratur Nuceriæ in regno Neapolitano: Velum ipsius custoditur Melite: Domus deniq; ejus Nazaretana stat Laureti.

His adde tot Domus sacras, tot asyla & refugia peccatorum; tot beneficas & portentosas Imagines Genitricis Dei

Eremi in Helvetia.
Cellis in Styria.
Oetingæ in Bavaria.
Laureti in Italia.
Lauduni in Gallia.
Cordubæ in Hispania.
Monserrati in Catalonia.
Tungris in Belgio.
Warthæ in Bohemia.
Catanæ in Sicilia.
Cestokoviæ in Polonia.

quot ægri ibidem sanantur, quot legiones dæmonum pelluntur, quot signa & portenta accidunt, quot gratiæ & favores à Virgine reportantur?

Obtrudis deniq; servitia à B. V. Christo exhibita: de ore tuo te judico, ergo assumi debuit; an nescis promissum Christi, (a) *Volo pater, ut ubi ego sum, illic sit & Minister meus:* & quis magis Christo inservviit, quàm benedicta Mater Ipsius? si meretur ille, qui dat pauperi indumentum, quid illa, quæ propriâ carne vestivit filium Dei? nudum

(a) *Brev. Rom. de un. Mat. Joan.* 12. 26. & 17. 24.

fasciis & pannis involvit? si meretur ille, qui pauperi porrigit haustum frigidæ, quid illa, quæ Virgineo lacte Christum potavit?

Exigebant ergo hæc Matris merita, (a) ut in Cœlum assumeretur Augustino teste, *nec enim fas est alicubi te esse ò Virgo, quàm ibi, ubi est id, quod à te genitum est*: non dividenda erat caro Christi, nam secundùm (b) Bernardinum Senens. si eorum, quorum eadem est natura, idem est locus; ipsius autem Mariæ & filii Dei eadem est caro, ergo idem locus erit, quapropter & meritò & loco vicinissima erit filio suo, non secus ac stella polaris Polo suo.

Decuit ergo eam omni modo ad cœlos assumi, ut si filius ostendat irato Patri vulnera, Maria ostendat filio pectus & ubera, nec poterit esse repulsa, ait Arnoldus Carnot. Unde rectissimè Leo Imperator hom. 6. ait, nil jacturæ fecit mundus, nam quibus ut prodesset in hunc mundum venit, iisdem jam quoq; in cœlum translata conducibilia procurare nunquam desistet: Vadit illa in cœlum parare vobis locum: Hinc meritò nos consolatur Bernard. (c) *Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam judicis Mater efficaciter salutis nostræ negotia tractabit.*

Abstergite nunc lacrymas desolati mortales, quærelis vanis finem imponite, cessent lamenta; Maria hodie cœlos ascendit, (d) *innixa super dilectum suum*: gaudete mortales. Gaudent hodie Angeli, lætantur Archangeli, quia Reginam acceperunt: gaudeant & filii Evæ, quia Patronam præmiserunt Magna enim fuit erga miseros misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo, sed major est misericordia ejus regnantis in cœlo, quo enim melius nunc videt nostras calamitates, eò indulgentiùs providebit necessitatibus nostris, ait Bonavent.

Adeste nunc & respirate Peccatores miseri, advocatam præmisit peregrinatio nostra, quid fugitis & absconditis vos à facie furoris Domini? accedite ad Matrem, si filium extimescitis; est enim Mater gratiæ, Mater misericordiæ, consolatrix afflictorum, refugium peccatorum.

Si timetis vobis cœli fores clausas, hæc secundùm Bernardum est porta cœli, clavis paradisi: porta, quæ nunquam clauditur usq; ad vesperam, id est finem vitæ, ut ait Richardus à S. Laurentio. Si Justitia divina ad promeritas pœnas vos citat, Maria, teste Ephrem Syro est Asylum & hospitium peccatorum. Si arcum suum extendit Dominus, ut inebriet sagittas suas sanguine impiorum, hæc sagittas avertet à vobis & retinebit manum Judicis. Hæc in omnibus adversitatibus vestris, in omnibus periculis, in omni angustia & persecutione velut fidelis Ariadna porriget vobis filum cœleste, & eruet,

(a) *S. Aug.* (b) *Bernardin. Senens. Tom. 3. Ser. 3.* (c) *S. Bern. serm. 1. de Assumpt.* (d) *Cant. 8. 5.*

eruet vos ex omnibus neceſſitatibus & anguſtiis veſtris.

Ad tuos igitur pedes ſacratiſſimos provolvimur ò Regina cœli & terræ. Eja ergo advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Si refugium es peccatorum, ſub pallium tuæ protectionis nos recipe: ſi amicta es Sole & Luna ſub pedibus tuis, illumina tenebras noſtras, ac in viam Salutis nos dirige; ſi ſpeculum es ſine macula, tuo filio nos immaculatos præſenta.

Gaudeamus ergo omnes in Domino, diem feſtum celebrantes. Vivat vivat! Maria in cœlis coronata! lætentur cœli & terra, cunctusque orbis conclamet unâ voce, S. Maria Regina Sanctorum omnium hodie ad cœlos exaltata, ora pro nobis Dominum.



IN FESTO S. APOSTOLI BARTHOLOMÆI.



Venite ad me omnes & Ego reficiam vos, Math. 11.

GAudete & exultate Omnes, qui desolati ac gemebundi cum Paralitico pluribus annis ad probaticam pisçinam sedentes, suspiratis, languetis & doletis, motum aquæ avidâ mente in horas singulas exspectantes; serenate corda & mentes vestras, *levate capita, propè est redemptio vestra*, Lucæ 21.

Gaudete & jubilate omnes, quorum strata & lectulos cum Lydwina in dolore, ærumnis ac infirmitate versat Deus; sperate benè, quia dolores

lores acgemitus vestri convertentur in lætitiam; *neque enim luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*, Apoc. 21.

Consolamini, consolamini omnes, qui sub onere tribulationum, miseriarum & persecutionum vestrarum contrabescitis; & cum Elia sedentes subter Juniperum animæ vestræ petitis ut moriatur; (a) surgite, *grandis enim vobis restat via*; sperate, quia omnis tristitia & tribulatio vestra convertetur in gaudio, Joan. 16.

Exultate & vos miseri, à mundo derelicti Lazari, quos paupertas & egestas redegit ad incitas, quos velut infelices pilas huc & illuc mundus jactitat; sperate, auxilium vobis aderit in tempore opportuno.

Tandem, tandem inventum est remedium efficax & potens, ad dolores vestros temperandos, ad miserias vestras sopiendas, ad lacrymas vestras abstergendas.

Medium hoc non est aurum potabile à Paracelso præparatum; non est vinum illud Hermeticum, de quo Proverb. 31. meminit Sapiens, *date siceram mœrentibus, & vinum bis, qui amaro sunt animo, ut obliviscantur egestatis suæ & doloris sui non recordentur amplius.*

Medium hoc non est Emplastrum, aut pulvis sympatheticus à Comite Dickbæo ingeniosè excogitatus, non est unguentum armarium aut balsamum Ægypti, quo vulnera obligentur aut purulenta ulcera linjantur.

(a) *3. Reg. 19.*

Non, non est simile quidquam sed Tympanum.

Non tamen infelix illud tympanum super quod in obsidione Vercellensi duo militiæ desertores tesseris ludere sunt coacti, uti refert P. Joan. Stephanus Homo Dei, ubi insolito casu Catholicus est resti subductus, Socius verò ejus Calvino addictus laqueum induit; nam cum Catholicus infelici jactu bina solùm puncta projecisset, alterque tanquam Victor sui securus contemptim tesseras abjiceret, accidit ut altera super alteram cadente tesserâ, unicum solùm appareret punctum; ac infelix sine crux, sine lux ut ajunt in puncto proximæ appensus sit arbori.

Non est tympanum illud lugubre, quod pro mensâ inserviebat fortissimo Heroi Alexandro Farnesio Aldernadam obsidenti, à globo bellico ex Urbe emisso cerebro & sanguine adstantis Ephebi miserè cruentatum.

Non est denique Tympanum illud infelix, de quo Job meminit c. 21. dicens: *Tenent Tympanum & Cytharam, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

Sed Tympanum pelle sacrosancta B. Bartholomæi obductum, potens cunctos dolores temperare, cunctas miserias & ærumnas mitigare ac sopire. Neque alienum aut novum hoc vobis videbitur, si recolatis id quod de impiissimo Ciska rebellium Taboritarum Duce refertur, qui testamento mandavit, ut ex

demortuâ suâ pelle tympanum fieret, certò spondens ad ejus sonitum cunctos hostes exterrendos, examinandos, ac in fugam agendos.

Si ergò impius hic Ecclesiæ Persecutor existimavit, vim ac vires dedetractæ suæ pelli tantas insuturas, ut hostibus terrorem incutere queat; æquiore jure ego virtutem & efficaciam hanc attribuo tympano nostro sacro & audenter dico, sufficientem ejus sonum fore ad cunctos dolores nostros temperandos, ad cunctas miserias abstergendas, ad quasvis tribulationes laniendas & mitigandas, quod vobis nunc pluribus ostendam.

Verbis Christi igitur convoco omnes, (a) qui cum doloribus, ægritudine, egestatæ, tribulatione aut miseriâ quâvis conflictamini: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*; nec in consolationem vestram adhibebo aliud medium, quam musicam sacri nostri Tympani. Nam teste Hier. Phalero de laude Musicæ.

Musica turbatos animos, ægrumque dolorem sola levat, meritò divûmquehominumque voluptas, quâ sine nil jucundum animis, nec amabile quidquam.

Nec ego primus sum, qui pellem Bartholomæi Tympanum voco, fecit id jam pridem Paulus Aresius illustrissimus Dertonensium Episcopus dicens: (b) Ex pelle Bartholomæi Tympanum factum est, per quod omnes Christi milites animantur ad fortiter dimicandum.

Venite ergò cuncti audituri sacrum hujus Tympani sonum.

Primi accurrunt solatium & auxilium deposcentes Cœci, Claudi, Surdi, Paralitici, Podagrici, Hydropici, Hectici, calculo vexati: Hi gemebundo ore, manibus extensis, quasi cum Job me alloquuntur: *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantumodò labia circa dentes meos*, (c) miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei.

Miseria grandis! dolor ingens!

Hos subsequuntur integri manipuli pauperum exulum, viduarum pupillorum, qui scissis vestibus, cinere capiti imposito lamentantes cum Job detestantur & maledicunt diei, quo nati aut concepti: deplorantes domus suas igne absumptas, pecora abducta, aurum & argentum ablatum, vinum effusum, frumenta asportata, patriâ suâ se pulsos, nec quidquam sibi derelictum nisi parvulos, qui in singula momenta panem postulent, instare hyemem, nescire se domicilium, nisi velint habitare in montibus & speluncis: extendunt & hi manus suas, & lamentabili voce clamant: (d) *O Vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor noster.*

Tribulatio magna!

Tertium agmen video captivorum,

(a) *Matth. 11.* (b) *Conc. de S. Barth.* (c) *Job. 19.* (d) *Thren. c. 1.*

rum, quorum manus & pedes catenæ ac vincula ſtringunt; quos defatigaɔos ſiti ac fame, pugnis & fuſtibus inhumanus miles propellit; aut qui in tenebris & carceribus ſedent ſolis aut lunæ radium nunquam intuentes, ſem per clamantes ad cœlum, *educ de cuſtodia animam meam.* (a) Miſeria grandis!

Hanc turbam inſequuntur viri uxores ſuas diſcolas omnibus diris devoventes; ex parte alterâ ſtant uxores maritos blaſphemantes, faſces clavium monſtrantes, maritorum capitibus illidendos: Ex alia parte jacet turba ultimo mœrore ob iniquas perſecutiones, fraudluentas depreſſiones, & injuſtitias confecta, juſtum Judicium appellans.

Ecce hi omnes remedium miſeriæ ſuæ inquirunt, conſolari cupiunt. Huc igitur adeſte Tympani ſonum percipite, abſterget iis omnes dolores, ſopiet omnes miſerias.

Non credo vos deſpecturos conſilium meum, ſi mente revolvatis, id quod de Tarantularum venenato morſu refert Kircherus & alii, qui adeò exitialis eſt hominibus, ut miſerrimos eos reddat, varriis horrendis ſymptomatibus conficiat, doloribus ineffabilibus divexet, ac demùm mortem lamentabilem inducat.

Et tamen hoc grande malum nec à theriaca Mithridatis, nec à lapide Bezoar ullum adjumentum aut levamen admittit, ſolâ Muſicâ repellitur. Audite Alexandrum ab Alexandro teſtem oculatum, quid de cura horum miſerorum dicat & ſcribat l. 2. c. 17. Genial. dierum.

Cum per Apuliæ campos ſub dies caniculares iter faceremus, undique vidimus oppida & vicos tympanis, fiſtulis ac tibiis circumſonare, rei cauſam interrogantibus reſponſũ eſt Tarantularum morbo affectos undique per oppida curari, cumque ejus rei gratiâ in pagum quendam diverteremus, invèniebamus adoleſcentem morbo ejuſmodi affectum, qui velut repentino furore ictus ac mente abalienatus, corporis motu non indecoro manuum pedumque geſtibus ad Tympanum ſaltabat, & cum vehementius Tympanum quateretur, velut illo pulſu demulceri animus & leniri dolor videretur, ſenſim & placidè aures tympano admovere, mox caput, manus & pedes crebro motu concutere, & demùm ſe in ſaltum attollere cœpit, interim qui Tympanum pulſabat, cum pauſam faceret, repentè attonito & ſtupenti ſimilis animo linqui & ſenſu deſtitui cœpit, reſumpto tamen tympano, mox priſtinas vires recepit. Theod Zwinger tom. 4. volum. 5. de Muſica fol. 1292.

Jam AA. edicite mihi, quid vobis videtur. An non dolores morborum, aculei afflictionum, adverſitatum ac tribulationum, an non ſunt ſimiles venenati morſus, quos infligunt hæ exitiales Tarantulæ?

(a) *Pſal.* 141.

quæ vos ob dolores & afflictiones velut intolerabiles, quasi de potestate mentis exire faciunt, quæ vos ita tormentant ac ſtimulant, ut nunc irâ, nunc impatientiâ, nunc pusillanimitate ac deſperatione vos repleât. Credite mihi ad hæc mala omnia propulſanda medium efficacius non eſt quàm ſonus & percuſſio Tympani Bartholomæi. Tympanum hoc excitabit jacentes, animabit deſolatos, jucundos reddet eos, qui amaro ſunt corde.

Si enim Chelis illius unicus ductus ægrotante S. Franciſco ab Angelo factus, omnium dolorum oblivionem in eo induxit; ſi Cythara David furorem inſanientis Saul compeſcuit, mentem ipſius ſerenavit, ut leviùs & meliùs haberet; utique majores vires exeret hoc Tympanum, S. Bartholomæi pelle ſonorum. Diſſipabit id triſtitiam mentis, tempe- rabit dolorum acerbitatem, refocillabit languidos Spiritus, animabit denique ad fortiter patrendum fragilem naturam.

Fateor quidem à S. Paulo duplex remedium præſcriptum eſſe cunctis tribulationum ac perſecutionum pondere preſſis, ut ad patientiam animentur & excitentur.

Primum dedit Epiſt. 2. ad Cor. c. 4. ubi ait *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ*: Dum nimirum temporis brevitatem ſimul & levitatem paſſionum noſtrarum nobis inculcat & deſcribit.

Alterum quando Romæ 8. ait: *exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones noſtræ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*; dum iterum cunctos ſtimulat magnitudine prœmiorum ac ſubſecuturæ gloriæ; ſed non omnes capiunt verbum hoc, *durus eſt* (inquit) *ſermo iſte, & quis poteſt eum adimplere?* Joan. 6.

Unde univerſi hi, qui præfatis binis regulis ſeu remediis non tanguntur neceſſarium habent, ut recurrant ad tertium, nempe tympanum, ac conſiderent, quid alii Sancti paſſi quæ ſi conferant cum ſuis paſſionibus, invenient ſe nihil paſſos in comparatione aliorum.

Utinam Solon ille ſapiens adeſſet, ac in montem ſimiles murmurones duceret, monſtraretque Pagos, Arces, & urbes ſubjectos, doceretque millenos ſub his tectis degere, qui in majori ſint tribulatione poſiti, atque hi quæruli & impatientes.

Errant hi graviſſimè, dum ſe ſemper omnium credunt infeliciſſimos, ac crucem ſuam cûctas aliorum pondere & menſurâ excedere arbitrantur: Errorem hunc ipſe carpit Tragœdus Seneca, in choro Troadis canens, eſt miſer nemo, niſi comparatus; tolle felices, removeto multo divites auro, & pauperi ſurgent animi jacentes: credite certò onus veſtrum non eſt tam grave, quin aliorum humeris gravius incumbat.

Par⸜ite ſi vos hodie Equites de Ordine S Lazari nominem, ſed imbelles & minimè generoſos: audite quid S. Chryſoſt. hom. 1. de Lazaro dicat.

Lazarum

Lazarum illum mendicum plurimæ affligebant miseriæ & dolores; ulceribus à capite ad calcem erat coopertus; membris adeò captus, ut ne canes abigere valeret: in ærumnis suis & afflictione omni humanâ ope destituebatur: Epulonem quotidiè splendidè comessantem cernebat, ipse econtra extremâ fame & siti conficiebatur; jacebat ad januam divitis, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mẽsa divitis, & nemo illi dabat. Luc. 16, de resurrectione ac præmio cœlesti, unde in spé assurgere posset, nec minimum quid à quoquam inaudierat.

Hæc itaque cuncta sufficientem causam præbebant, cur ingemisceret Lazarus: at nihil ita miserum affligebat, ait prædictus Doctor, nil ita macerabat animum ejus, quàm quod non poterat videre alium Lazarum, in quo miserias suas contemplaretur, & patientiam addisceret: malorum enim nostrorum habere consortes multum adfert solatii lugentibus; ille verò nullum alium habebat ad quem respiceret, imò ne audire quidem poterat, qui majora & accerbiora ipsius ætate sustinuisset: verbo non poterat videre Lazarum.

Hoc nullus istorum miserorum dicere valet, mille enim exempla Sanctorum ante oculos eorum versantur, qui graviora mala summâ æquanimitate tulerunt, hi omnes hos quærulos confundunt, ac in aures impatientium horum insusurrant: Miser quid quæreris? nondum usque ad sanguinem restitisti Hebr. 12.

Attende Bartholomæum, nondum tibi cutis de corpore est detracta.

Nondum tibi plumbum in os infusum, ur Sancti Miniati Militi & Martyri.

Nondum Maxillæ lapidibus contusæ, ut S. Adriano.

Nondum ignitæ subulæ in aures trusæ, ut S. M. Aquilinæ.

Nondum Viscera eruta, ut S. Erasmo.

Nondum clavi pedibus infixi, ut S. Georgio.

Nondum candenti bovi inclusus, ut Eustachius.

Nondum dentibus Leonum aut Tygridum objectus, ut Ignatius.

Nondum lapidum imbre obrutus, ut Stephanus.

Nondum sagittis confossus, ut Sebastianus.

Nondum in craticula tostus, ut Laurentius.

Millies atrociora passi sunt Sancti parum est, quod tu pateris, plus mereris.

Pateris fortè contemptum, quid contemptus tuus ad contemptum Christi? qui à Judæis dœmoniacus, ab Herode stultus est habitus.

Pateris fortè paupertatem: graviorem passus est Christus, in stabulo natus, in cruce nudus mortuus, non habens ubi caput reclinaret. Luc 19

Pateris fortè dolores, & caput tuum nondum est coronatum spinis, attende S. Lydwinam 28. annis lecto affixam.

Pateris exilium, Pontifices, Episcopi Sancti, innumeri MM. illud pertulerunt gaudentes.

Pateris persecutiones: an nescis illud Pauli 2. Tim. 3. *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur*? Omnes Sancti quanta passi sunt tormenta, ut Hæredes fierent in Domo Domini.

Obsecro vos Cœlites juvate perorantem. Tãgite quæso fortiter Tympanũ hoc sacrum, & excitate hos pusillanimes; monstrate illis quàm parũ quasi quã ingens & longa restet via, ut Bartholomæum in tormentis & doloribus assequantur: extendita sanguinolentam pellem ipsius; numerate & monstrate vulnera; passione Apostoli attemperate miserias, sãguine ejus dulcorate amaritudinem dolorum, ut tandem sentiant & verum esse agnoscant: Momentaneum & leve tribulationis nostræ, (a) æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis.

Extremè confundit hos pusillanimes sexu fragilis Natalibus nobilis Matrona illa Japonensis, Maria nomine, quæ cum (uti refert Cornelius Hatzard p. 5. c. 21.) Anno 1614. Arimæ tanquam Christiana esset comprehensa ac Judicibus præsentata; Judices misericordiâ personæ Nobilis moti, protestabantur, potestatem sibi nullam esse, vitam Matronæ adimendi; ajebant proinde se eam missuros in civitatem Tacavaca, ut ibi juxta Legem Imperatoriam proximè latam sententiam subeat; verum cum sit Nobilis Familiæ indulgeri & concedi ipsi, ut iter indictum Equo peragat.

Nolebat illa hanc gratiam admittere, sed ultrò spondebat peditem se eò ire velle, Christum imitari cupiens. Judex contemni se, ratus ait furibundo ore, ita fiat, & ut citius eò pertingas rudam te eò mittemus, summum hoc est infamiæ genus apud Japonenses, Respondit illa mox placidâ & serenâ fronte, & si vobis placet ò Judices, etiam cutem prius detrahite, citius enim sine illa curram: Vox hæc omnes Judices confudit, unde indignati in exilium eam ejecêre, Vivat Heroina ista, cuti suæ non parcens.

Mulier verè fortis, cujus pretium procul & de finibus terræ. Proverbiorum 31.

Substituo in confusionem horum imbellium, alium Bartholomæi æmulum, qui soporem & segnitiem his excutiat, estque Theodorus Martyr, qui inter dira tormenta Cytharam petiit, ut ante exitum animæ ex hoc ergastulo Dei laudem adhuc cantare posset cum gaudio, & cum pellis ei detracta esset, vitam inter verba illa psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore* &c. Gloriosè finiit, memoria ejus agitur 9. Novemb. in æternum duratura.

Ecce gaudent Sancti inter exquisita tormenta, gratias agunt inter detractas pelles; inter succensas pyras exultant; extensi in equleis rident;

(a) 2. *Cor.* 4.

dent; inter acinaces & sarissas stant intrepidi, & inconcussi, inter dolores læti & gaudentes.

Et vos modicæ fidei quid agitis? Gaudete & exultate animæ afflictæ, tribulationem vestram consolatio æterna subsequetur; Paupertas vestra ager erit fertilis, centuplum reddens in cœlo: Dolores & morbi vestri signum existunt certum amoris ac paterni in vos affectûs; persecutio est tessera futuræ salutis & pacis.

Durate, durate, post tempestatem redibit serenitas, post threnos Musica; Apes existunt dolores vestri, pungunt quidem vos, sed & mel consolationis vobis apportabunt.

Sublevamini obsecro mente ad illam beatam Civitatem: in qua hodiè B.mus Apostolus Bartholomæus, inter applausus totius Curiæ cœlestis, coronâ gloriæ redimitus triumphat: Videte quomodo pro lacera sua pelle induatur cœlesti purpurâ, ac recipiat stolam immortalitatis.

Aspicite, quàm nobilis thronus sit ei positus, in quo sedet inter Senatores & Judices terræ.

Audite, quibus jubilis & acclamationibus patientia ejus & tolerantia decantetur; Audite, quomodo benedicat diei & luci, quâ pro Deo pellem abstrahi est passus, quâ morte suâ & sanguine Evangelium consignaverit.

Auscultate, quomodo omnes invitet ad imitationem suam: Aures arrigite, quid tympanum sacrum vobis insonet: *Modica passio, gloria infinita.*

Claudo cum Chrysostomo in Epist. ad Thess. c. 5. dicente: Passus est aliquid mali? Si vis, malum non est, age Deo gratias, & jam malum mutasti in bonum.

Tibi interim agimus gratias infinitas, O sanctissime Apostole! pro gloriosa pelle tua & tympano nobis relicto. Gradiemur sacra hac pelle tecti, tanquam novi Hercules omni pusillanimitate abjectâ contra infernalia monstra. Stabimus & pugnabimus insonante tympano tuo sacro contra carnem & sanguinem, donec Patrocinio tuo victores à Deo coronati tecum in aulâ cœlorum triumphare mereamur.



IN FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ V.



Cum jucunditate Nativitatem B. MARIÆ celebremus.

SAluto te ex toto corde, ô aurea dies felicitatis noſtræ! dies tot ſæculis exoptata, tot votis expetita, tot ſuſpiriis & ſingultibus à Patriarchis & Prophetis deſiderata.

Tu es dies illa benedicta, quâ felix Aurora prodiit, prodroma & felix nuntia orituri Solis juſtitiæ.

Salve millies dies benedicta; quæ pulſâ mortis caligine, cœlum & terram ineffabili gaudio perfudiſti.

Fate-

Fatetur hoc pleno ore Ecclesia dicens: *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo.*

Hæc est dies illa gaudii & exultationis, quâ Orbi nata fortis illa Mulier, de qua dictum Gen. 3. ad serpentem illum tortuosum: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum.*

Hæc est dies illa boni Nuntii, quâ [teste Ruperto (a)] nata Maria, *quæ finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.*

Hæc est fortunata illa lux, quâ teste Sergio Hierosol. orat. in Nat B.V. dum nascitur Maria; unà cum ea mundus renascitur & renovatur.

Fortunatos quidem plures dies numeravit September, nullum feliciorem quàm octavam Septembris, quâ nata Maria.

Felix & fortunata dies universo Romano populo extitit secunda Septembris, quâ Augustus Cæsar Marco Antonio & Cleopatrâ navali prælio devictis, civili bello finem imposuit. Sueton. (b)

Serena & fausta toti Ecclesiæ Catholicæ extitit dies sexta Septembris, (c) quâ Ferdinandus III. Romanorum postea Imperator Protestantium vires attrivit, ac nutantem Catholicorum fortunam iterum erexit, ad Nordlingam memorabili prælio 12000 hostium cæsis, ac 6000 captis.

Felix ac victoriosa extitit 12. dies Septembris anni 1683. (d) quâ Cara Mustapha Magnus Turcarum Vezirius cum ducentorum millium exercitu, cunctis relictis impedimentis, probrosè obsidionem Viennæ solvere est coactus, ubi die 14ta subsequente in æde B. Stephani, præsentibus Leopoldo Imper. Joan. Poloniæ Rege, aliisque innumeris Principibus solemnissimè Te Deum laudamus est decantatum, lætùm reboantibus per mœnia tormentis.

Felix ac triumphalis extitit dies 14. Septembris, quâ præter memorabilem victoriam de Rege Cosroe Heraclius Imperator longis annis captivam apud Persas crucem Domini, Hierosolymam iterum cum triumpho reduxit. (e)

Fortunata dies extitit 17. Septembris, quâ Judæi ex diuturna captivitate Babylonis cum Nehemia Jerosolymam iterum rediêre, ac jactis fundamentis novi templi Festum solemne cum jubilo & exultatione celebrârunt. Esdræ c. 3.

Fausta demum & ominosa dies Familiæ Habsburgicæ fuit 29.na Septembris, quâ 1323. Rudolphus hujus nominis primus absens (f) (dum Basileam obsidione cingeret) unanimi Electorum voto Imperator est salutatus.

At

(a) *Rupertus Libro 6. in Cant.* (b) *Suetonius Dion. an. Urb. 722.* (c) *Gabriel Bucelinus in Nucelo.* (d) *Relatio Historica anni 1683.* (e) *Baronius ad annum Chr. 628.* (f) *Gabriel Bucelinus in Nucleo.*

At felicitatem dierum horum omnium longè superat aurea lux Nativitatis Mariæ, quâ nata est Imperatrix cœli & terræ.

Gloria generis humani, ut eam vocat Blosius in Endologia ad B. V.

Finis suspiriorum nostrorum, ut eam nominat S. Germanus Constantin Orat. 2. de Præsent. B. V.

Terminus miseriæ nostræ, ut eam indigetat Adam de Persen in Assumpt. B. V.

Spes omnium finium terræ, ut intitulat eam Mauritius de Villa probata ser. 2. Coronæ novæ.

Felix utique dies, quâ orta est Stella ex Jacob, (a) Solis justitiæ præambula.

Fortunata utique dies, quâ apertum mundo Gazophylacium, in quo reposuit Deus omnia dona gratiarum. Richard. à S. Laurent. (b)

Fausta utique dies, in qua Lucem primam aspexit pupilla oculi, quam Trinitas semper custodivit. Idiota in contemp. 1. p. 16.

Resonemus ergò in cymbalis, jubilemus in Canticis, clangamus tubis, exultemus in tympanis: ac cum jucunditate Nativitatem præcelsæ Virginis celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum; una sit omnium vox: Vivat Maria, *pretiosa Margarita orbis terrarum*: (c) cujus nativitas gaudium annuntiavit universo mundo, vivat Maria!

Mos est perantiquus in Aulis Regum ac Principum, ad natales cunas illustris ac generosi alicujus enascentis surculi, laxare habenas gaudiis, terrasque complere lætitiâ: cuncta elementa in adjumentum gaudii provocantur.

In aëre plausum faciunt artificiosi missiles ignes, quasi nova quædam errantia cœli sydera.

Ceres, Thetis & Neptunus subministrare mensis coguntur, quidquid possident in abditissimis recessibus suis, ad inserviendum delicatæ gulæ mortalium.

Fenestræ, Turres & Plateæ millenis collucent facibus, noctem in lucidam diem transmutantes.

E fontibus diversi generis generosa vina scaturiunt.

Mœnia circum circa festivo tormentorum boatu mugiunt; his læto choro tubæ & tympana respondent.

Auditum titillant organa, cytharæ fides, & quidquid læti carminis musica novit: Sequuntur artificiosi saltus, festivi ludi & comœdiæ; cuncta complentur jubilo, cuncta strepunt gaudiis, ubique resonat lætitia; relegite annales Angliæ & Hispaniæ; Lustrate Historias Galliæ & Germaniæ, & invenietis vera esse, quæ dixi.

Sed quid nos Auditores? Redit & nobis hodiè felici gyro Memoria Nativitatis Reginæ cœlorum: quidnam hono-

(a) *Num. cap. 34.* (b) *Richardus à S. Laurentio de laud. Virg.* (c) *Cyrillus Alexand. hom. 6.*

honoris, quidnam obſequii, quidnam lætitiæ, ad conteſtandum amorem & affectum in Dominam noſtram excogitabimus?

Ne ſolliciti ſitis ut Martha, paucis contenta eſt Virgo. Non petit, ut floribus, ſertis aut corollis cunas ejus coronetis; corollæ & ſerta illa erunt gratiſſima, quæ ex meris conſtabunt AVE.

Non petit, ut artificioſis ignibus Natalem illuſtretis, miſſiles veſtri ignes erunt ignita ſuſpiria, ad cœlos usque ejaculanda.

Ne turbemini: Feſtivum tormentorum applauſum, tubarum ac tympanorum ſonitum relinquemus Cæſareæ militiæ in Hungaria, ut gratulabundo bombardarum murmure Domitricem Lunæ ſalutent Ottomanicæ.

Modulos Muſicos demandabimus cœleſtibus Cytharædis illis, quos Anachoreta ille in Inſula Cypro notus, quotannis nocte diem octavam Septembris præcedente audivit ſuaviſſimo concentu cunas Virginis devenerari; uti Vincentius Bellovacenſis in ſpec. hiſt. lib. 6. c. 66, teſtatur.

Nos interim, ut cum jubilo Natalis Virginis celebretur, ſpectatores erimus ſacræ Comœdiæ, quam ipſa æterna Sapientia ludens in orbe terrarum, in honorem naſcituræ Virginis ſpectandam mundo exhibuit: Abſimilis non multum eſt Comœdia hæc illi (ſi magna parvis componere licet) quam Joannes Albertus Mandeslo Nobilis Megapolitanus à Friderico Duce Holſatiæ Legatus ad Moſcum, & Regem Perſarum miſſus, Itinerarii ſui lib. 2. c. 3. Anno 1633. ſe vidiſſe fatetur: Cùm enim luſtrato Regno Perſiæ, ad Magnum Mogorem veniſſet, ac inde viſis aliis Regnis Orientis 1639. Goam appuliſſet, à Patribus Societatis ad menſam eſt invitatus; eâque finitâ ad ſpectandum Drama in grandem Aulam ad miraculum usque exornatam eſt introductus.

Comœdiæ initium factum à Muſica, fidium, teſtudinum & cimbalorum concentu exquiſitiſſima:

Inde prodiit Choragus tantâ arte & agilitate pedum chorum ducens, ut cunctis eſſet admirationi; hunc inſequebantur alii, inventione æquè mirificâ.

Unum tamen præ reliquis palmam tulit: Novem prodière parvuli veſtitu ſcenico ſpectabiles; alii horum, ſuper humeros ferebant diviſæ columnæ fruſta, alii geſtabant 4. ſerta, ſeu Arcus floribus circumligatos.

Cum in 3. Ordines eſſent diviſi, primus eorum ferens poſtamentum columnæ deauratum, per cæteros flexibus tortuoſis ſerpentino more circumiens, ac dulciter cánens pedem columnæ in medio tandem depoſuit; hunc & cæteri inter ſe, agilitate pari ſaltitantes ſunt inſecuti: qui verò ſerta florida manu geſtabant, ea inter ſeſe conjungentes, Arcus quosdam triumphales quaſi conſtituebant, per quos reliqui ſal-

tando transibant; donec frusto uno alteri imposito columna nobilis erecta stetit, quam mox hi parvuli sertis suis ingeniosè circumvolvebant: in capitello autem columnæ grandior flos in modum Tulipæ eminebat, qui dum parvuli saltum suum continuant, paulatim sese aperuit, in quo, omnibus rei novitatem stupentibus, Imago B V. parvulum Jesum ulnis suis complectens stetit: Ex columna interim, velut è fonte uberes aquæ scaturiebant, quod cum aliquamdiu durâsset: Pueri iterum columnæ frusta in humeros sumentes, ac per Aulam tripudiantes tandem disparuêre.

AA: Finem habet saltus ac ingeniosum Drama Goanum; nunc spectate Theatrum Marianum, ac sacram scenam, quam in honorem Virginis in orbe terrarum æterna lusit Sapientia.

Periochæ illius hæ sunt.

Primò erectum cernebatur Theatrum pomposum; à varietate scenarum admirabile, à multitudine Actorum nobile, ab amplitudine magnificum, cui titulus in fronte appensus:

Omnia in figura contingebant. 1.Cor. cap. 10.

Comœdiæ præludebat Musica universalis, amabili concentu resonans à quatuor ventis cœli.

Textus erat: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine, omnia in Sapientia fecisti.* Psal. 103.

Indè Prologus per aëra volans spectatores ad lustrandam comœdiam invitabat.

Cortinis posteà Theatri retectis:

Aperta est Scena prima, apparuitq; Hortus deliciosus, ac in medio ejus Arbor decora nimis. (a)

Scena secunda inter decumanos fluctus aquarum, sulcantem cymbam, columbam cœlestem, respicientem Arcam, ac de longè advolantem portantemque ramum olivæ repræsentabat. (b)

Scena tertia Noctem, syderum choro illustratam adumbrabat, ac somno sopitum pastorem: caput in lapide reclinantem monstrabat; propè quem scala è terra sese erigebat ultra nubes protensa. (c)

In Scena quarta ad crepidinem fluvii spectabantur in arena duo invicem luctabundi; donec amborum certamen exurgens aurora diremit. (d)

Scena quinta objiciebat oculis jugum præcelsi montis, & in eo Aram exstructam cum Sacrificulo adstante, ac orituram stellam nuntiante. (e)

Has scenas sequebatur chorus, ubi æterna sapientia exædificavit sibi domum, (f) ac 7. columnas excidit, quarum tamen unam præ cœteris nobilem in medio locavit, ab omnibus venerandam; in cujus capitello incisæ Litteræ

M. M. M. C M. ad
postumentum verò M. M. I.

Choro

(a) *Genesis cap.* 2. (b) *Genesis cap.* 7. (c) *Genesis cap.* 28. (d) *Genesis cap.* 32. (e) *Numer. cap.* 24. (f) *Prov.* 9.

Choro finito 3. novæ Scenæ denuò sese aperuère.

In prima prodibant quatuordecim senio venerandi Patriarchæ, spectatum illustrissimam hanc columnam, facibus accensis eam illustrantes.

Hos insequebatur coronâ redimitus Cytharædus, quem alii tredecim Reges subsequebantur supplici genu coronas suas & sceptra columnæ appendentes.

Post hos prodibant ex variis scenis alii 14 partim Principes, partim Sacerdotes infulis venerandi; columnam thure ac balsamo incensantes.

Agmen clausère 5. illustres Heroinæ, quarum quæque scutum littera ac symbolo notatum præferebat: Hæ cum gratioso saltu columnam sertis ac floribus coronâssent, paulatim flos instar lilii sese expandit, ac in medio stetit *Mulier amicta Sole*, & *Luna sub pedibus ejus*, (a) scaturientibus interim ex columna gratiosis aquarum rivis.

Audistis Periochas, nunc percipite mysterium earum.

Mundus est magnificum illud & pomposum Amphitheatrum, varietate scenarum admirabile; structura immensum; Actorum seu Creaturarum multitudine stupendum; quod non manus hominum, sed digitus Omnipotentis ex nihilo produxit in gratiam Virginis, ut scilicet in hocce mundi theatro æterna sapientia præluderet secuturæ quondam Nativitati Virginis: Ita apertè sentit Isidorus Orat. de Annunt. dicens: *Propter Mariam initio creatus est homo, & extensum cœlum & terra, & quidquid productum est præter hominem*: & iterum Orat. de Assumpt. *Propter te, ô purissima Virgo, Dominus cœlum produxit, & terram fundavit.*

Musica, quæ Comœdiæ prælusit, concentus erat Angelorum à novem choris Harmoniâ ineffabili resonans, quâ jubilabant astra matutina, ac creaturæ cœteræ laudabant Dominum, ob Virginem aliquando à Deo producendam.

Hinc S. Vincentius Ferrerius serm. de Concept Virg. ait: Angeli conceperunt Virginem in suis mentibus, per quam eorum ruina repararetur, & inceperunt tripudiare & facere Festum magnum.

Hinc S. Ephrem de laud. Virg. ait: Virgo est Hymnodia Angelorum, Canticum Cherubin & Seraphin: quam hymnodiam priusquam nata fuisset (Maria) inceperunt.

Prologum sacræ hujus Comœdiæ egit Genius cœlestis similis illi, qui in Nativitate Domini pastores ad præsepe invitans Luc. 2. cecinit: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*, quia nascetur & vobis illa, de qua aliquando verbum æternum prodibit. Venite, videte, cernite nunc in ænigmate & figuris, quod aliquando videbitis facie ad faciem.

Cortinis inde retractis

Apparuit Scena I. Hortum seu paradisum

(c) *Apocal. cap. 12.*

disum deliciarum repræsentans, in cujus medio stabat arbor decora nimis proferens lignum vitæ, Gen. 2. per quam nihil aliud designabatur, nisi Maria Virgo nascitura, lignum vitæ, his, qui apprehenderint eam. Prov. 3. Ita apertè eam salutat B. Amadæus hom. 8. de laud. Virg. *Salve arbor plantata in medio paradisi, attollens verticem in altitudinem cœli, de superno rore concipiens fructum proferens salutarem, fructum vitæ, de quo qui manducaverit, vivet in æternum.*

Nec Scena II. aliud per columbam ramum olivæ rostro suo fluctuanti naviculæ apportantem adumbrabat, nisi Virginem gloriosam, divinæ nuntiam pacis ac reconciliationis: ipsa enim, ait Rich. à S. Laurent. (a) est columba, quæ cessante diluvio ramum olivæ in ore suo detulit ad Noe in arcam, Deum humano generi reconciliatum demonstrans; Sicuti enim Noe hoc ramo viso cognovit Numinis iram cessasse, sic Nativitas Virginis olim orituræ finem signabat miseriæ & initium consolationis.

Scena III. Scala nimirum dormienti Patriarchæ Jacobo ostensa iterum symbolum extitit Mariæ nasci-turæ, de qua ait Petrus Damiani in Nativ. B. V. (b) *Hodiè nata est scala cœlestis, per quam Supremus Rex humiliatus ad ima descendit, & homo, qui prostratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit:* Scala, quam demisso poplite salutat Joan. Damascenus (c) dicens: Salve scala, per quam è terra in cœlum, & ab interitu ascendimus ad vitam.

Supremus scalæ gradus, cui Dominus innixus est, est beatus Joseph, Vir Mariæ, de qua natus est Jesus. Rupertus l. 1. in Matth. apud Vivien in F. S.

Unde Vatablus & Rupertus existimant, (d) singulariter Spiritum Sanctum per scalam hanc repræsentâsse incarnationem seu generationem Christi ex Jacob nasciturі & descensuri per varios gradus, id est, progenitores, quorum ultimus gradus esset Joseph & Maria.

Lucta illa nocturna, quæ in Scena IV. spectata fuit inter Jacobum & Angelum durans usque ad exortum auroræ, teste Hailgrino Cardinali certamen designat habitum inter Deum & veteris testamenti Patriarchas amoroso desiderio incarnationis diem præstolantes, quo Sol justitiæ sedentibus in tenebris aliquando illucesceret, qui suspiriis eorum delinitus auroram, id est, Mariam surgentem eis ostendit, ex qua brevi proditurum Solem justitiæ sperarent, ac si diceret, dimitte me, jam enim ascendit aurora, nox præcessit, dies sequetur. Ab illa enim hora, ait Petrus Damiani serm. 4. de Assumpt. (quâ Adam prævaricatus est præceptum Domini) tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad Virginem; nec inventus est aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras diffi-

(a) *Richard à S. Laur lib. 4 de laud. V.* (b) *Augustin. Serm. 11. de nat. Dom.* (c) *Damascenus orat. de Nat. Virg.* (d) *Rupertus l. 1. in Math.*

dissiparet; sed mundo crescente concrevit tenebrosa vorago, donec in densissimam conglobata nigredinem humanum genus nocte terribili sepelivit, sed nata Virgine surrexit aurora, quia Maria prævia Luminis, nativitate suâ mane clarissimum serenavit.

Unde ait Rupertus in Cantica: *Quando nata es O Beata Virgo, tunc vera nobis aurora surrexit, quia sicut aurora finis est præteritæ noctis, & initium diei sequentis, sic Nativitas tua finis fuit miseriæ & consolationis initium.*

Scena V. objiciens oculis jugum præcelsi montis Phasga, & Aram in eo exstructam cum Sacrificulo adstante, denotabat Ariolum Balaam, conductum à Rege Moab Balac ad maledicendum Israeli, qui tamen Rege licet frementeècontra Israelem benedixit, ac ore Prophetico prænuntiavit stellam aliquando orituram ex Jacob Num. 24.

Orietur stella ex Jacob, & consurget Virga de Israel & percutiet duces Moab. Quod vaticinium explicans Petrus Damiani ait: quæ est stella orta ex Jacob, nisi ea, quæ nata est vobis Virgo Maria ex progenie Abrahæ, Clara ex stirpe David.

Chorus dum exhibet structuram domus sapientiæ 7. columnis suffultam, iterum mundo repræsentat figuram B. V. utpote quæ inter reliquos Sanctos eminet in medio; nam si secundum Greg. M. 33. Moral. c. 15. Domus Sapientiæ Ecclesia vocatur, si secundùm Salonium Columnæ domus hujus sunt Sancti & Justi, utiq; inter has columnas Illustrissima erit Maria, quam Paulus de Heredia de Concept. B. V. columnam nominat, super quam mundus sustentatur, nam teste S. Fulgentio l. 4. misc. *Cœlum & terra jam dudum ruissent, si Maria precibus non sustentasset.*

Litteræ seu numeri Capitello columnæ incisæ annos denotabant 3950. qui ab Adamo ad Christum erant exspectandi, Numeri verò tres M. M. I. postumento inscripti annos designabant bis mille & unum, qui ab Abrahamo ad Christum erant fluxuri, donec salutem mundo pareret.

MARIA MATER JESU.

Tres reliquæ scenæ exhibent trinam seriam Progenitorum & Fundatorum Genealogiæ Christi; tredecim nimirum Patriarcharum, Abraham, Isaac, Jacob, Judam, Phares, Esron, Aram, Aminadab, Naasson, Solmon, Booz, Obed, Jesse. Quibus revelatum Virginem aliquando nascituram, & ex ea oriturum Messiam, unde toto corde serenissimam hanc diem videre desiderabant.

Cytharœdus coronatus, qui hos insecutus est, est Psalmista David vir secundùm cor Dei, qui in variis Psalmis Cytharâ suâ Sacrâ fortunatæ huic luci prælusit.

Cœtera 13. coronata capita coronas suas columnæ appendentes extitere Reges Juda, Salomon, Roboam, Abias, Asa, Josaphat, Joram,

Ozias, Joathan, Achaz, Ezechias, Manaffes, Ammon, Jofias: quos tandem poft Babylonicam fervitutem infecuti funt 13. alii inclyti Duces, Jechonias, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliacim, Azor, Sadoch, Achim, Eliud, Eleazar, Mathans, Jacob, Jofeph vir Mariæ: qui complevere gradus fcalæ illius, cui tandem innixus eft JEfus & Maria.

Illuftriffimæ verò quinq; illæ Heroinæ ante colnmnam tripudiantes, initialibus litteris nomen Mariæ ac figuram ipfius præferunt.

Prima eft Maria foror Moyfis in fcuto exhibens Pharaonis currum demerfum cum infcriptione: (a) *Cantemus Domino, gloriofè enim magnificatus eft.* Ambrofio tefte, Typus Virginis Mariæ, & ficut hæc demerfo Pharaone Deo carmen concinebat, cantemus Domino, ita & Maria Timpaniftria Sacra, ut eam vocat Bernard. canticum Deo decantavit; (b) *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna qui potens eft. Depofuit potentes & exaltavit humiles.*

Altera eft prudens Abigail, fcutum (in quo cithara depicta) manu tenens, cui infcriptum: (c) *Temperat iras*: ficut enim Abigail Davidis iram fuaviffimo eloquio, ne ftultus Nabal interficeretur, pacavit, ita & Maria hominem Deo reconciliavit, unde ait Bernard. vel Bellarm. Con. 2. fuper Miffus: (d) Maria Abigail illa eft prudentiffima, quæ Dei iram juftiffima indignatione fuccenfam, contra ftultum Nabal, id eft hominem peccatorem fuis precibus & interceffione mitigavit, & ficut illa 1. Reg. 25. coram nuntiis Davidis in terram proftrata intimè fefe humiliavit ac dixit *ecce famula tua fit in ancillam ut lavet pedes fervorum Domini mei*; fic & Maria in genua procidens ad Gabrielem dixit: (e) *Ecce Ancilla Domini fiat mihi fecundùm Verbum tuum.*

Tertia eft formofa Rachel pro fcuto tenens fpeculum, cui infcriptum: *Et macula non eft in te:* Typus veriffimus Mariæ, nam ficut illa peperit Jofeph Salvatorem Ægypti; ita & hæc pererit Salvatorem mundi, enixa puerpera Regem, qui cœlum & terram regit in fæcula fæculorum.

Quarta Animofa Jahel, quæ in fcuto circumfert caput clavo transfixum, circa quod fcriptum: (f) *Ipfa conteret*: ficut enim Jahel caput contrivit Ducis Sifaræ, ita & hæc contrivit caput ferpentis, dicente Bernardo ferm. 2. fuper Miffus: *Cui hæc fervata Victoria nifi Mariæ, ipfa enim contrivit caput ferpentis venenatum.*

Quinta deniq; cafta Abifag Sunamitis, in cujus fcuto Armelinus cum infcriptione, *illæfus Candor*: figura nobilis Mariæ; ficut enim hæc fola fervitio Davidis inventa eft digna, ita

(a) *Exod. cap. 15.* (b) *Lucæ cap. 1.* (c) *1. Reg. 25.* (d) *Bernard. cit. à Bellarmino.* (e) *Luc. c. 1.* (f) *Judicum cap. 4.*

na, ita & Maria, quæ ſola à Gabriele inventa eſt inter filias Syon humilis Ancilla, quæ inhabitatione Sancta coram filio David miniſtraret.

Figuris & Typis his cum per ſingula ſæcula à Sapientia Divina eſſet luſum in orbe, apparuit tandem flos ille campi, de quô Auguſt. teſte ſer. 2. de Annunt. B. V.) ortum eſt Lilium illud convallium; cumq; folia in Orbem explicaſſet, ſtetit tandem *ſignum illud magnum*, *Mulier amicta ſole, coronata ſtellis & Luna ſub pedibus*, (a) quâ natâ mox fontes gratiarum ac benedictionum emanârunt irrigantes univerſam ſuperficiem terræ.

Audiſtis Comœdiam Marianam, veſtrum nunc eſt Virgini applaudere.

O Maria!
Quod ſtellæ ſunt cœlo,
Quod atomos numerat Æther,
Quot aquarum ſtillas protrudit mare,
Quot ſcintillas eructat Aethna & Veſuvius, toties te ſalutamus, ô Nata proſpero ſydere.

Noviſſimus ô Sereniſſima cœli Regina, te eſſe fortem illam mulierem, quæ contriviſti antiqui draconis caput.

Experti vidimus Lunam Othomanicam ſubjectam pedibus tuis, impiaq; cornua Mahometi per interceſſionem tuam confracta, caſtra impiorum fugata & cæſa.

Aſpice ulterius benigniſſimis oculis tuis Exercitum Chriſtianorum, apprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutorium noſtrum: (b) percute, fulmina, diſſipa gentes, quæ bella volunt, ut cognoſcant, quia non eſt alius, qui pugnet pro nobis niſi JEſus & Maria.

Plaudite nunc Cœlites, inflate tubas Angeli, buccinate in Neomenia tuba, ſumite Pſalmum, & date tympanum, in inſigni die ſolennitatis præcellæ Virginis Mariæ.

Valete, Vivite, plaudite.

(a) *Apoc.* 12. (b) *Pſal.* 34.



IN

IN FEST. STIGMATUM S.P. FRANCISCI.



Tu Signaculum Similitudinis. Ezechielis. cap. 28.

RES insolitæ ac portentosæ semper admirationem, ac plurimam quæstionem post se traxêre.

Vix Hebræi in deserto sui aspexêre per circuitum castrorum insolitum Manna, cùm subitò præ admiratione exclamaverunt *Manhu? quid est hoc?* (a)

Vix Math. cap. 21. Salvator noster ad diem Paschæ intravit Hierosolymam cum ad ejus introitum *commota est universa Civitas dicens, quis est hic? Populi autem dicebant, hic est* JEsus

(a) *Exod cap. 16.*

JEsus Propheta â Nazareth Galilææ: Propheta Magnus, Medicus insolitus, qui solo attactu mundat leprosos; *Tetigit eum, & confestim mundata est lepra ejus.* (a)

Propheta Magnus, qui solo amabili complexu sanat Hydropicos Luc. 14. *Ecce homo Hydropicus erat ante illum, ipse verò apprehensum sanavit eum.*

Magnus Propheta, (b) qui solâ voce quadriduanos vocat ê tumulo mortuos, *Lazare veni foras, & statim prodiit, qui fuerat mortuus.*

Propheta verè Magnus, qui quinq; panibus, & duobus piscibus in deserto quinq; millia virorum satiavit, 12. cophinis fragmentorum sublatis, *manducaverunt omnes & saturati sunt.* Matth. cap. 14.

Propheta potens in opere & sermone, qui solo oculorum nictu & intuitu saxea corda peccatorum perfringit & immutat; qui ex publicanis Apostolos, ex meretricibus pœnitentes facit. (c) *Vidit Hominem sedentem in Telonio, & ait illi, sequere me, & statim secutus est eum. Dixit autem ad illam remittuntur tibi peccata tua.* Luc. c. 7.

Propheta verè Magnus, qui imperat mari & ventis, & obediunt ei Math. c. 8. *Surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.*

Quod Servatori nostro Jerosolymam intranti, idem propè contigit Francisco, ubi mundo insolitus ac novus homo apparuit.

Cœlum ac Terra, mare & arida, Angeli & homines, volucres cœli & jumenta terræ commota sunt præ stupore dicentes quis est hic?

Contremuerunt monstra tártari in Nativitate illius ululantes & dicentes quis est hic, qui venit ante tempus dissipare regnum nostrum? Wading in apparatu, 34.

Obstupuêre cœlitum Chori clamantes unus ad alterum, quis putas iste erit? cui jam sedes & thronus â superbo genio deperditus in cœlo præparatus? Wading. A. 1212. numero 40.

Sideratus stetit aër, dum Franciscum igneo cursu per aëra vectum vidit, novum Eliam surrexisse, qui ad cœlos tenderet sibi persuadens? (d)

Obstupit aqua in Francisco novum Moysen, dum Camerini in extructione novi Monasterii, cœmentariis exhaustas vires conquerentibus, ac ad refocillationem nonnihil vini deposcentibus Vir Sanctus siti eorum compassus, ad vicinum fontem perrexit, factâq; desuper Cruce scaturientem aquam admirabili metamorphosi in generosum vinum convertit, ex quo per integram horam iis haurire abunde datum. Wading. â 1215. num. 26.

Consternata est terra, dum ad imperium Francisci aspexit mortuos jam jam tumulandos resurgere, infantem in ardens ahenum delapsum miserè ustulatum, vivum tamen

(a) *Math. c. 8.* (b) *Joan. cap. 11.* (c) *Matth. c. 9.* (d) *Wadding. 1210. num. 29.*

cum 2. pomis in manibus, ex ciſtâ prodire. (a)

Erubuit ignis ac obſtupuit, dum Franciſcum tum in Ægypto, tum Barry civitate Apuliæ velut Salamandram in pavimento ignitis carbonibus ſtrato, abſq; ulla læſione jacentem conſpexit. (b)

Obſtupit deniq; totus ſiderum Chorus, cum poſt mortem animam Franciſci nube lucidâ circumdatam, velut ſtellam matutinam in medio nebulæ recto tramite ad convexa cœli aſcendentem vidit ubi utiq; ſtellæ manenbes in ordine ſuo interrogarunt, quis eſt hic? (c)

Quod ſi vero Elementa orbis necdum ſufficienter vobis demonſtrârunt quis ſit Franciſcus, interrogate ulterius ſacros Doctores & Eccleſiæ capita, hi, quid de Franciſco ſentiant, vos clariùs edocebùnt,

Chriſtiani orbis fulcimentum, Eccleſiæ reparatorem vocat eum Gregorius nonus in poſito ipſi Epitaphio.

Vexilliferum Chriſti nominat eum Leo X. in bulla unionis, ut qui non ſolùm in terra dum viveret vexillum crucis prætulit, verùm etiam in extremo judicii die id orbi prætet ret.

Rota conc. 29. de S. Franc.

Amoris Miraculum nuncupat eum Picus Princeps Mirandulæ; Boſquier in Feſt. S. Franc.

Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei vivi vocat eum Bonavent. in c. 7. Apoc.

Sanctitatis prodigium, & novum humilitatis ac mundi contemptus exemplar nuncupatur â Doctiſſimo Suarezio Tom. 4. de vera Religione lib. 7. cap. 7.

Claudit Elogiorum Elenchum piiſſimus Cardinalis Bellarminus conc. Dom. Sexag.

Franciſcum nominans,

Prodigium omnium Prodigiorum.

O præclara Elogia! ò grandes Sanctitatis Titulos? ò Encomia glorioſa, quibus quod addam non habeo, niſi ut cunctos hos titulos annulo includam, ac dicam Franciſcum eſſe Annulum Dei obſignatorium, in quo ſculpta Filii Dei imago, quo Annulo Deus iam jam in mundo oblitteratum ſuum obſignavit Evangelium, concupiſcentiam oculorum, concupiſcentiam carnis, ac ſuperbiam vitæ, per humilitatem, abſtinentiam & rigidam paupertatem Franciſci condemnans: quod dum pluribus &c.

O Annuli aurei & Argentei? quantas tragœdias mundo dediſtis? in quantas miſerias & calamitates mortales conjeciſtis? Aurum veſtrum fuit miſeris in laqueum, quo incauti, compedes induerunt: gemmæ fulgor, erat, fulmen; quo infelices proſtrati: non Regio eſt, quæ non fatales deploret annulos.

Surculum ultimum Sueviæ Ducem Con-

(a) *Wadding 1222. num. 10.* (b) *Wadding. 1219. Num. 64. 1222. num. 16.* (c) *Wadding. 1226. num. 38.*

Conradinum, cum adversus Carolum Siciliæ Regem ad lacum Fucinum infelici prœlio pugnâsset, ac fusâ acie fugam inire coactus esset; Annulus pro pane coëmendo Nautæ traditus, prodidit, ac infelici gladio caput innocens Neapoli subjecit. Pexenfeld. Hist. 143.

Annulus Nuptialis inter Cymelia Soli expositus in Arce Tockenburgensi, ac â prætervolante corvo fure raptus, in quantas infelicitates & miserias innocentem Comitissam Ittam non conjecit? quantas lacrimas, quantos singultus causavit? dum velut rea violati thori, ex Arce persubjectas rupes præcipitata in imam vallem, manu tamen divinâ sustentata, pluribus annis inter rubos & dumeta, radicibus, herbis ac pomis sylvestribus vitam in solitudine ducere est coacta. Vita ipsius.

Annulus Davidis an non insontem Uriam ferro perdidit hostili? 2. Reg. cap. 11.

Annulus maledictæ Jezabelis, an non innocentem Naboth lapidum imbre tumulavit? 3. Reg. c. 21.

Annulus, quem Valentinianus Cæsar in lusu lucratus est à Maximo, an non Cæsarem & cum ipso totum propè Imperium Romanum perdidit? Maximo (Wandalis alijsq; imperii hostibus clam advocatis) injuriam uxori suæ per Valentinianum turpiter ille tam per hostium arma se ulciscente.

Baronius ad annum Domini. 454.

Vah annulos infelices ac funestos, innumerabilium tragœdiarum incentores?

Non talis annulus infelix existit Franciscus noster, sed fortunatus, felix, Artificiosus, raritatis & virtutis nunquam antea visæ.

A Materia quidem non multum est commendabilis, dum non ex auro & Argento, sed ex Cinere & Terra est compactus.

Placent tamen & subindè vilia, maximè si ars extraordinaria accedat.

Sculptorem habuit hic annulus non ingeniosum Mentorem, non nominatum Phydiam, non nobilem Lisyppum, â quo solùm sculpi se passus est Magnus ille Macedo Alexander, sed in specie alati Seraphin ipsum Deum teste Pisano lib. 3. Conc. p. 2.

Sculptor ergò hujus annuli, non fuit Angelus sed ipse Christus in forma alati Seraphin, uti ipsemet Franciscus retulit dicens, scias quod ille, qui tunc apparuit, non fuit Angelus, sed Dominus meus JEsus Christus in specie Seraphini, unde optimè dicere poterat Franciscus illud Jobi *Manus tuæ fecerunt me*; Congruitq; illi quàm maximè quod Amb. l. 6. Hex. c. 7. de imagine hominis scripsit, pictus (seu sculptus) à Domino Deo tuo es, bonum habes Artificem atq; pictorem.

Non solùm Artifex, sed & locus nobilem ac pretiosum fecit annulum; Gloria hæc non Romæ, non Parisiis, non Venetiis, non Londino debetur sed Monti Alverniæ; Ibi teste

Wadingo visitur ingens rupes discissa per medium, estq; inter extrema rupium profundus hiatus, hunc dum subintrat Franciscus, ut sibi ac Deo in contemplatione vacat, advolat repentè cœli aliger, docetq; Franciscum, Petram illam unà cum aliis in Passione Christi per medium scissam, ut sensum, quem Deo patienti in Cruce negabat homo, auctori suo Petra exhiberet: quo audito totus Franciscus mox osculis eam salutat, amplexu stringit, ac lacrimis lavat, non secus ac Patriarcha Jacob, qui lapidem, supra quem Genes. 28. pernoctârat, ac admirandam scalam in somnis videret, manè oleo percunctum erexit in Titulum; Ita Francisco rupes Alverniæ erat Titulus & Altare, ad quod dolorosâ mente, lanienam & tormenta Salvatoris sui die noctuq; rememorabat.

Et ecce! Circa diem exaltatæ Crucis adest in aëre volans Seraphin sex alis ignitis spectabilis, in forma hominis Crucifixi, ad cujus aspectum Franciscus obstupescens totus amore diffluebat; cumq; imago hæc sensim viro sancto approximaret, radiis tandem ignitis, inter doloris & amoris gemitus manibus pedibusq; ac lateri ejus sigillum impressit Salvatoris, inauditâ sculpturâ insculpens signa Redemptionis nostræ, vulnera nimirum JEsu Christi Crucifixi, quibus secundâ vice obsignare Evangelium suum voluit Altissimus, & quidem in Tempore opportuno.

Nam miseranda prorsus, & calamitosa erat tum temporis fatiscentis Ecclesiæ facies?

Grassabatur impunè & Ecclesiam affligebat Hæresis Waldonis & Albingensium.

Diffidebant extremè inter se Cæsar & Pontifex:

Ardebant ubiq; bella, seditiones & schismata Guelphos inter & Gibelinos:

Impunè serpebant vitia, sine vindice passim grassabantur scelera & peccata:

Exulabat pietas & virtus, extincta jacebat reverentia Numinis:

Evangelii ac Christianæ legis æstimatio exigua:

Consilia Christi, de mansuetudine, paupertate & continentia ut impossibilia explodebantur:

Memoria Passionis in omnium cordibus erat velut mortua & obliterata.

Verbo omnes declinaverunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis, nec erat, qui faceret bonum.

Hic status miserandus erat ruentis Ecclesiæ, quem ipse Salvator oranti Francisco intimavit, ac periculi admonuit dicens: *Francisce vade, & repara domum meam, quæ, ut cernis, tota destruitur.*

Unde Clementissimus Dominus renovaturus Ecclesiam suam, beneficiumq; redemptionis cordibus fidelium de novo inscripturus, novo & inaudito portento, aberranti Mundo per

do per Franciſcum oſtendere voluit legem ſuam eſſe poſſibilem, Conſilia ejus ſancta & perfecta, hæcque per Franciſcum ac Normam vitæ ejus, velut annulo ſuo obſignavit, ac quinque ſigillis ſanctiſſimorum vulnerum roboravit: per humilitatem & demiſſionem infimam Franciſci, mundi condemnans ſuperbiam; per rigidam pœnitentiam carnis anathematizans petulantium: per paupertatem denique extremam, mundi inſatiabilem avaritiam confundens: & quod prius impoſſibile eſſe videbatur, facile eſſe per gratiam Dei in Franciſco mundo demonſtrans.

Exulabat à mundo priùs *vade & vende omnia, quæ habes & ſequere me*: falſa videbatur mundo ſententia illa *BB. pauperes Spiritu, quia veſtrum eſt regnum cœlorum*, unde ut leproſam mundus execrabatur paupertatem; eam tamen per Franciſcum monſtravit eſſe amabilem facilem & poſſibilem, dum totus Franciſci commeatus erat *jacta cogitatum tuum ſuper Dominum, & ipſe te enutriet*: De eo certè Bonaventura ait, nullus tam cupidus auri & argenti, quàm ipſe ſanctiſſimæ paupertatis; quàm Franciſcus à toto orbe repudiatam, pro amantiſſima ſponſa eſt amplexatus, quæ pro dote è contra Franciſco omnia bona attulit; *qui enim Deum habet nullius indiget*.

Nec minus paupertate odio erat humilitas & demiſſio animi, cùm omnibus januis velut hædera appenſum extiterit tritum illud *cede nulli*. Sed & Deus hanc per Franciſcum dé novo reſuſcitavit, ac per ejus ſummam humilitatem & abjectionem omnem pompam & gloriam mundi condemnavit: Contrariâ enim mundus & Franciſcus gradiebantur viâ.

Mundus totus ambitioſus inſtar Icari alta petebat; Franciſcus humilis & dejectus infra omnes ſe deprimebat.

Mundus titulos, honores & grandia Nomina affectabat, Franciſcus contemptum & ignominiam ambiebat.

Mundus in amplis Palatiis, pompoſis Arcibus ſuperbiebat; Franciſcus anguſtâ cellulâ contentus Deum laudabat.

Mūdus veſtibus pretioſis auro & argento intertextis ſuperbiebat, Franciſcus rudi ſacco amictus fune conſtrictus omnium ludibrio ſe exponebat.

Nec exteriùs ſolùm humilitatem hanc præletulit Franciſcus, ſed & ore ſuo profeſſus eſt, eſſe ſe peccatorem omnium maximum, nec ore ſolum, ſed & opere ipſo id demonſtravit, dum præcepit ſe fune ad collum alligato, ſeminudum ad inſtar furis aut latronis trahi ad lapidem infamibus ſicariis deputatum, ubi (velut ex pulpito) faſſus eſt iterum ſe peccatorem maximum, rogavitque, ne ſe tanquam hominem probum ac abſtemium venerarentur, ſed velut vanum hypocritam, guloſum, voracem & impoſterum haberent.

Exulabat demum è mundo caſtitas, ſimilis tota quanta columbæ illi

Noëticæ, quæ totum orbem circumvolans, nullibi invenit locum ubi requiesceret pes ejus: jamque eò ventum erat in hac virtute, ut vel sola moderatio libidinum, pudicitia crederetur, isque satis castus haberetur, qui ad minus cautus in hoc vitio esset.

Quo medio ergo corrigeretur mũdus tam immundus? certè non alio, quàm austeritate vitæ & exemplo Francisci ac Sociorum ejus; Monstrum hoc impurum variè domuit Franciscus; nunc flagris in se sæviendo, nunc cilicio corpus atterendo nunc jejunio & abstinentia illud enervando, nunc vigiliis & maceratione illud castigando, quandoque inter spinas & nives ei illudendo, subinde accensis ignibus illustrem victoriam de eo reportando. Quid innuebant Mundo præclara hæc Francisci exempla? *nisi vade & tu & fac similiter* Lucæ c. 10.

Fuit igitur Franciscus superbis & ambitiosis, in demissione humilis formica; vindicativis in mansuetudine Agnus, Epulonibus in abstinentia Joannes non manducans & bibens; Luxuriosis casta Salamandra in igne; avaris pauper Testudo omnia sua secum portans; Mundi denique amatoribus annulus amorosus, cui inscriptum.

Deus meus & omnia.

O Annulum rarum! paupertate celebrem! puritate nobilem, demissione sublimem, insignitum signis redemptionis nostræ, sculptum ab artifice illo omnipotente, *per quem facta sunt omnia.*

Heu! quàm dissimiles Francisco sunt annuli nostri, dum non sculptam gerunt imaginem Crucifixi, sed subindè cum libidinoso Julio Cæsare venerem aut cupidinem; cum vindicativo Pompejo, Leonem evaginato gladio minitabundum; cum invido Galba canem è prora navis prospicientem; cum Augusto monstrosam Sphyngem; cum avaro Mœcenate incisam ranam habent.

Procul procul abjiciantur Annuli infames, qui bestiæ characterem habent, qui Adonidis notâ sunt insigniti, qui signo & imagine carent Crucifixi: exemplo nobis præivit Franciscus, eòque supra modum admirando audite casum.

Cum invisisset Assisii anno 1449. sepulchrum S: Francisci Nicolaus V. Pontifex Maximus, invenit Sancti Corpus super basem marmoream, ac si viveret, erectum stare, oculis in cœlum intentis, manibus ad pectus decussatis, vulneribus recentem sanguinem stillantibus: Consternatus hoc portento mox in terram sese dejecit, multisque profusis lacrymis rogavit Sanctum, ut meminisset Ecclesiæ, ac precibus uti hactenus, apud Altissimum eam sustentare pergeret: his dictis cum ad pedem dexterum deosculádum propius accederet, humilis Franciscus stupente Pontifice pedem retraxit, quo viso majori devotione inflammatus Papa ait; novi Beatissime Pater humilitatem tuam,

quæ etiam post mortem in te resplendet; si ergo inveni gratiam in oculis tuis, ad minùs manus & latus tuum deosculandam præbe, & sufficit mihi: inde uno aut altero gradu suppedanei marmorei conscenso oscula plura manibus ac lateri recenti sanguine rubenti impressit ac indicibili gaudio, quasi extra se raptus, annulum digito suo detractum manui sinistræ Francisci indidit, qui tamen repente in terram decidit; Pontifex casu id factum ratus, resumptum annulum dexteræ ejus reimponit; & ecce! Paupertatis amator: ac auri contemptor elevatâ à pectore manu dictum annulum longius à se rejicit; quo viso turbatus est supra modum Pontifex, at ubi paulò post se recollegit, in genua iterum provolutus ita Sanctum est affatus: Francisce semper obedientem filium, dum viveres, experta est te Apostolica Sedes, noli igitur post mortem Vicario Christi esse refractarius, sed ad perpetuam tesseram meæ in te Devotionis recipe annulum istum, quo tibi de novo afflictam & desolatam recommendo Ecclesiàm: vix hæc fatus fuerat Pontifex, cùm eo momento Sanctus non solùm manum, sed & digitum exporrexit, quo facilius annulus indi posset; quẽ cum recepisset, manum ut antea iterum ad pectus reposuit Filius *obediens etiam post mortem.* Ita Sannius p. 4. l. 4. cap. 12. Cronicæ & Francisci, citans Wadignum in annalibus ac Archivum conventus Assisiensis ad S. Franciscum.

Væ væ nobis miseris! si enim innocens annulus Piscatoris rejicitur, quid aget cũ añulis nostris Altissimus Crucifixi imagine non insignitis? utique non aliud, quàm quod per Jeremiam cap. 22. est comminatus dicens; *Vivo ego, dicit Dominus, si fuerit Jechonias filius Joachim Regis Juda annnuus in manu dextra mea, inde evellam eum*: idem prorsus accidet & annulis nostris; ut metallum adulterium abjicientur de manu Dei in tenebras exteriores: ut sigillum inutile carens imagine Imperatoris cœlestis annulabuntur; Annulus autem dilectus Franciscus in æternum erit custoditus quasi in fasciculo viventium apud Dominum, ad omnia vota nostra paratus in tempore opportuno obtinere ab altissimo, quidquid nobis fuerit placitum.

Si ergo fortè persecutionem pateris, *Sede cito & scribe, Domine Deus meus in te speravi, Salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me* psal. 7. Obsigna litteras tuas annulo hoc sacro, & mox audies, *multæ tribulationes Justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* psal. 33.

Si morbi te infestant, sede cito & scribe, *Domine quem amas infirmatur,* Joann. c. 11. & mox respondebitur tibi, *infirmitas hæc non est ad mortem; sed pro gloria Dei* Joann. c. 11. *forti esto animo, in proximo est, ut à Deo cureris.* Tobiæ c. 5.

Si Tentationes ingruunt & molestant te; sede cito & scribe, *Domine vim patior, responde pro me* Isaia 38. & mox

& mox cessabunt venti tentationum, & *erit tranquilitas magna: fidelis enim Deus est, qui nòn patitur vos tentari supra id, quod potestis* 1. Cor. 10.

Si Calumniis opprimeris, si periclitatur fama tua: sede citò & scribe, *surge Domine judica causam meam & redime me à calumniis hominum* psal. 118. *quia locuti sunt adversum me linguâ dolosâ* psal. 108. & respiciet altissimus signaculum annuli sui, & conteret dentes eorum in ore ipsorum, & humiliabit calumniatorem. psal. 71.

Verbo, quidquid orantes petieritis à Patre, dab[illegible]t vob[illegible], modò annulo hoc sacro petitiones vestras obsignetis: quod enim olim dixit Dominus ad Eliphaz Themanitem & amicos ejus Job. c. 42. Ite ad servum meum Job & offerte Holocaustum, pro vobis, Job autem Servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam: idem videtur Dominus innuere nobis, ite ad servum meum Franciscum, signatum signis redemptionis, ipse orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, & in annulo imaginem meam recognoscam.



IN

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI & EVANG.



Et ſurgens ſecutus eſt eum Matth. cap. 9.

IDem propemodum mihi hodiè accidit, quod Cœco illi ad Bethſaidam Marci 8. circa Mare Geneſareth à Chriſto curato; interrogatus enim à Salvatore, ſi quid videret, Reſpondit, *video homines velùt arbores ambulantes*; (a) Oculi enim ejus nonnihil adhuc caligabant, nec diſcernere rectè poterat, quid cerneret.

Video & ego hodie ad idem mare Tiberiadis quidpiam à longè juxta UrbemCapharnaum,& neſcio utrum ſit ſtatua hominis, an arbor emor-

(a) *Marci cap. 8.*

tua, an aliud quidpiam monſtroſi; tunc lucernâ Diogenis, aut aquilini oculi Pauli ſimplicis (magni illius Abbatis Antonii diſcipuli ex ſingulari gratia Dei, conſcientias & corda hominum intimè penetrantis) ad juſtum & æquum judicium ferendum, neceſſariò mihi erunt conſulendi, ne erronei judicii reus exiſtam.

Age proindè mi Diogenes Philoſophorum veraciſſimè, è dolio tuo prodi, lucernam tuam accende, ac in omnem partem gira, oculos tuos acue, ac effare nobis, quid vides? quid intueris in Telonio Capharnitano? quid eſt quod ibi inter acervos ac cumulos auri & argenti reſidet? Num opulentus Crœſus, aut auro inhians pygmallion?

Non non: Reſpondet Diogenes: non hominem cerno, ſed formidabilem harpyam, quæ faciem quidem hominis præſefert, ſed aduncis unguibus eſt metuenda: quomodo enim hominem dicam, qui rapto vivit, pelle proximi veſtitur, ſubſtantiâ alienâ nutritur, medullâ pauperum ſaginatur: Non homo eſt, ſed rapax harpya, quæ inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua pſal. 9. quæ velut inſomnis draco, ad aurea Heſperidum poma diu noctuque vigilat; velut lupus famelicus nunquam dicit ſufficit

Vera dicis mi Diogenes, & belle avarum publicanum in telonio lucris injuſtis intentum depingis: monſtro enim ſimilis Auguſtino teſte eſt avaritia. ſerm. 15. de Verbo Domini, ſemper rapit & nunquam ſatiatur, modum non habet, nec capiendo expletur, ſed incitatur. Ita & publicanus juxta Joan. Sarisberienſem, (a) eſt caput rapinæ, Lex violentiæ, prædo ſine pudore.

Et quid tu vides Beatiſſime Paule ſimplex, Magni quondam Antonij nobilis diſcipule? (b) cujus ita perſpicaces erant oculi, ut etiam abſcondita cordis humani arcana rimarentur, ediſſere quid vides in telonio illo? Ego, reponit ille, ſicut aliquando in introitu templi peccatorem quendam graviſſimum, quem cuncti ingredientem venerabantur, conſpexi vultu monſtro ſimilem, nigriorem æthiope, catervâ dæmonum cinctum, quem unus capiſtro aureo vinctum frænabat; ita & in telonio cerno non hominem, ſed camelum gibboſum inter auri & argenti pondera in terra jacentem ac ſuſpirantem, quem aureo capiſtro ducit Mammon.

Spero tamen fore, ut ſicut Aethiopsi ille miſerante Deo in templo aliam formam induit, ita & deformis Cameli ſpecies ſacrâ metamorphoſi non ſolúm tranſeat in formam hominis, ſed & Angeli faciem aliquando repræſentet.

Benè vidiſti mi Paule, benè divinâſti; non caligant oculi tui: Camelus erat Matthæus auro & argento, rapinis & injuſtis bonis, gravatus ad terram; verum prætereunte Salvatore,

(a) *Polyanth. V. avaritia.* (b) *Bexeufelder Hiſt. 22.*

tore, mox formam hominis induit, naturam cameli exuit; cum transiret indè Jesus, (a) *vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi, sequere me, & surgens secutus est eum* Matthæi 9.

Obstupeo factum admirandum hoc, ac Metamorphosin tam subitam non capio: An non sacra pagina memorat Luc. 18. faciliùs camelum transire per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum Dei? unde ergo deformis hic camelus in momento per foramen acus penetravit in regnum Dei? factus ex Publicano Apostolus; ex filio Mammonæ filius Abrahæ; ex Magistro rapinæ, Magister paupertatis; ex Telonario Augusti, Evangelista Christi; ex peccatore Angelus? quæ causa transformationis tam subitaneæ? Patientiam parvulam habete, & intricatum hunc vobis nodum gordium mox exsolvam.

Quàm tenax gluten, ac inextricabilis viscus existat aurum & argentum, testantur infelices illæ volucres, *quæ volunt divites fieri, & incidunt in tentationem & laqueos diaboli*: 1. Tim. 6. aurum enim fascinat mentem, illaqueat cor, excœcat oculos, captivat voluntatem, infatuat intellectum, inflammat denique pectus & animum, nam Chrysologo teste auri furor ardentiùs humano fervet in pectore, quàm caminus totus ignescit incendiis; crudelitatis dominus sævus hostis; amando lædit, captivat aspectum, fidem frangit, vulnerat charitatem, turbat quietem, docet furta, suadet fraudes, imperat latrocinia; verbo radix omnium malorum cupiditas.

Hinc Ambrosius in consideratione furti illius, quod infelix Achan, dum expugnaretur Jericho, contra expressam interminationem Dei & Josue cap. 7, commiserat, suffurando pallium coccineum, ducentos Siclos argenti regulamque auream 50. Siclorum. Josue 7. exclamat: *Josue solem sistere potuit, ne procederet; avaritiam hominum non potuit sistere ne serperet; ad vocem ejus stetit Sol, avaritia non stetit.* Unde alibi lib. de Cain & Abel concludit, avaritia quò plura abstulerit, eò magis inopem se credit, nullus rapiendi modus, ubi nulla mensura cupiendi.

Quis nunc miretur, quod doctissimus Scribanius asserere non vereatur ex 100. luxuriosis facilè triginta salvari, ex 100. superbis quinquaginta, ex centum verò avaris vix tre- damnationem effugere.

Et tamen in momento Matthæus aurea, quibus ligabatur, rumpit vincula, in momento argenteas disfringit compedes, in momento auro graves excutit divitiarum sarcinas, in momento ex publicano evadit Apostolus; ex iniquo raptore pauper Christi discipulus ex telonario Evangelii Chronologus; ex terro æthiope can-

(a) *Matthæi cap. 9.*

candidus Nazaræus; ex maledicta ficu cedrus paradysi.

Hæc mutatio dextræ Excelsi psal. 76.

At unde hoc?

An fortè insolitæ conversioni ansam præbuit miraculorum Christi celebris fama totam pervagata Judæam? dum inaudiit. Medicum cœlestem appulisse, qui sine pharmaco morbos abigere, sine emplastro vulneribus mederi, sine pilulis febres fugare, sine potione hydropé curare, lepram mundare; solo luto oculos sine herbis cœcorum illuminare, aures surdorum sputo aperire; vitam denique mortuis solâ voce reddere nosset: teste enim Joanne, cap. 2. *multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa, quæ faciebat*, Joan. c. 2.

An fortè conterritus est vocis illius tonitru, quo Salvator Hebræorum obstinata corda sæpius concussit, ac sceleratam vitam exprobravit, interitum certum, ni pœnitentiam agerent, illis denuntians ac væ æternum auribus eorum intonans. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, & tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata usque ad infernum demergêris*: (a) væ vobis divitibus, (b) qui hic habetis consolationē vestram; væ vobis, qui saturati estis quia esurietis: Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis, idque illis validè probans adducto tragico exemplo divitis Epulonis in inferno sepulti. (c)

Et quid mirum ¿ si marmore durius pectus Telonarii tādem est emollitum? (d) *Vivus est enim sermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus compagum quoque ac medullarum*, confringens cedros libani, concutiens desertum & comminuens vitulos Libani.

An fortè cauteriatam ejus conscientiam radius quidam cœlestis repente perstrinxit, quo illustratus visâ turpitudine infamis quæsturæ, quæ non aliud erat quàm officina rapacitatis, cellarium fraudis, spelunca crudelitatis, ut eam nominat Paschasius Abbas: avaritiam detestatus, ad meliora pedem retulit vulneratæ conscientiæ emplastrum quæsiturus. Nam Bernardo teste: *Nulla pœna major est malâ conscientiâ: ipsa est testis, ipse Judex, ipsa tortor, ipsa carcer; ipsa accusat, ipsa judicat, ipsa condemnat.*

Verum quidem est fortissimos hos extitisse arietes ad cor & animum Matthæi expugnandum; sed ita oculi ejus fulgore auri erant fascinati; ita in cor ejus iniquus penetravit Mammon; ut salutis suæ totus incurius; ut viri divitiarum dormierit somnum suum, à veterno avaritiæ non nisi divino tonitru & fulgure excitandus.

Quod

(a) *Lucæ capite 10.* (b) *Lucæ 6.* (c) *Lucæ capite 16.* (d) *Hebr. capite 4.* (e) *Bernardus l. de conscientia.*

Quod Petrus inter spumantes procellas maris, profundo gurgite non sit haustus, adscribere debet potenti dextræ Salvatoris, quæ jamjam naufragantem benignè ex undis extraxit; *extendens Jesus manum, apprehendit illum, & ait: modicæ fidei, quare dubitâsti?* Matth. 14.

Quod Magdalena delictorum suorum veniam & remissionem sit consecuta, à clementissimo Judice non solùm absoluta, remittuntur tibi peccata tua Luc. 7. sed & contra objurgantes defensa: Quid molesti estis huic mulieri, Math. c.26. gratiosis adscribit pedibus Christi, quos amorosis osculis complexa, lacrymis non solùm rigavit, sed & capillis capitis sui tersit.

Quod incredulus Thomas, ab infidelitate & interitu instante sit clementer retractus, (a) adscribere debet gloriosissimo vulneri lateris Salvatoris, in quod dum manum immisit, incredulitatem omnem abstersit, & dum ille palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postpositâ in fide solidatur.

Quod misera illa (b) Hæmoroïssa à sanguinis profluvio 12. annis vexata momento à Christo sit persanata, hoc adscribere debet fimbriæ vestimenti Christi, de qua virtus exivit; quam dum plena fide tetigit, salva facta est ex illa hora.

Quod Lazarus ex faucibus mortis sit ereptus, ac vitæ denuò restitutus, hoc adscribere debet & lacrymis & voci Christi Joan. 11. lacrymatus est Jesus, & voce magnâ clamavit: Lazare veni forâs, & statim prodiit, qui erat mortuus.

Quod autem Matthæus in momento ex publicano discipulus Christi; ex Telonario Apostolus; ex filio gehennæ factus sit filius Dei; hoc totum adscribere debet gratiosis oculis Christi, qui benignissimis radiis cor ejus tenebrosum illuminârunt, inflammârunt, vulnerarunt, omni gratiâ & benedictione repleverunt; *Cùm transiret indè Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine* Matth. 9. ad quod alludens Ambrosius in Psal. 45. ait: *Aspectus ejus salus nostra est*; enucleat hoc melius Greg. M. l. 30. moral. c. 34. dum ait: Quid est respicere Dei? nisi ab iniquitate ad melius commutare; convertit, namque, quem respicit Deus.

Nec videri debet nobis mirum aut paradoxum tantam gratiam & influentiam inesse oculis Salvatoris; cùm Suetonius testetur, tantam majestatem & gratiam sparsisse oculos Augusti de se, ut subindè luminis illius incapaces Aulici, in terram deflectere suos fuerint coacti.

Quid jam censendum de oculis divinis, si humani tam efficaces radios sparserunt? cùm præsertim Hieronymus in c. 1. Matth. testetur de oculis Christi *igneum quid atque sydereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas relucebat in facie.*

(a) *Joannis cap. 20.* (b) *Math. 9.*

Igneum quid, quod incuteret timorem; Sydereum quid, quod conciliaret amorem; Igneum quid, quod averteret à malo; Sydereum quid, quod converteret ad bonum; Igneum quid, quod terreret improbos; & ad se pertraheret etiam aversos.

Si Regina Esther radiis oculorum Assveri ita est perstricta (a) (terribilis enim erat aspectu) ut corruerit, & in pallorem colore mutato lassum super ancillulam reclinârit caput; quid cogitandum de oculis Christi, de cujus aspectu Psalmista ait Psal. 103. *Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant.*

Experta est hoc damno suo infelix urbs Indiæ Thaman dicta, uti refert Leopoldus Mancinus l. 4. differt. 8. Christiana quidem civitas, sed flagitiis, præsertim vindictæ & libidinis, tota cooperta, (b) huic anno 1618. clara die imago crucifixi in aëre apparuit, non amabilis, ut illa Constantino Magno, sed tota terribilis, torvis oculis respiciens civitatem, quæ sensim tamen disparuit, successitque ejus loco avis incognita, velut illa fatalis aquila Apocal. 8. per medium cœli volans, ac væ væ habitantibus in terra denuntians; nam è rostro ejus voces prodière sequentes: Videbitis mox vindicem iram Dei; indè cœlum totum turbatum per turbines, mare exæstuans ad 4. milliaria effusum, naves in portu demersæ, secuta indè fulgura, fulmina, grandines, domos, arbores, pecora, homines sternentia: An non hoc erat aspectu suo facere terram tremere.

Benè igitur Habacuc ait: (c) *Aspexit & dissolvit gentes, & contriti sunt montes Sæculi.*

E contra suo bono expertus est priori Sæculo, Anno nimirum 1582. fortitudinem hanc oculorum Christi Regulus ille Americanus Gentilis, (d) ad quem cum captivus adductus esset Neophita Christianus cum lignea effigie crucifixi, isque torvo supercilio interrogaret, num hæc imago foret illius Numinis, à quo deletum imperium Ingarum in Mexico, & Regna Peruvii sub jugum missa Hispanorum? annuenteque Christiano, Barbarus Iconem Salvatoris in manus sacrilegas sumptam sputis deturpatam, ac mille diris devotam ad pedes Christiani dejiceret: è vestigio Imago sacra, velut spiraret, torva tuens, spiransque oculis flammantibus iras, minaci obtutu cunctos adstantes Aulicos, quorum numerus facilè ad 300 ascendebat, ita exterruit, ut ad modum Judæorum in horto olivarum Jesum comprehendere volentium proni in terram corruentes trium horarum spatio pro mortuis jacuerint, donec ad se reversi ac virtutem crucis agnoscentes exclamare coacti sunt: Magnus est Deus Christianorum; Regulus hoc casu ita est perterritus, ut mox

(a) *Esther cap. 15.* (b) *Leopoldus Mancinus.* (c) *Habacuc. cap. 3.* (d) *Thomas Bozius de Sig. lib. 5.*

mox Cuſcum, regiam urbem cum plurimis ſuorum profectus divulgato ſtupendo miraculo baptiſma ſuſceperit, ac nomen Chriſto dederit. Thomas Bozius de Sig. Eccleſ. lib. 5.

Si tantum robur, ſi tanta virtus inerat ligneæ imagini Salvatoris? Quid cogitandum de vivis ac lucidiſſimis ipſis oculis Domini, dum in carne adhuc apud nos ambularet: Ah quàm amoroſos, quàm vivaces, quàm potentes radios eum vibrâſſe in corda hominum credendum eſt.

Fortis quidem fuit prodigioſa virga Moyſis, (a) quâ mare rubrum eſt diviſum.

Fortis vox Joſue, quæ Solem ſtitit, obediente Domino voci hominis. Joſue c. 10.

Fortis tubarum clangor, (b) quo muri Jericho conciderunt: at longè fortior extitit benigniſſimus aſpectus oculorum Chriſti in corde Matthæi, ab hoc enim muri Jericho, quos iniquitas fundârat, avaritia extruxerat, Mammon cuſtodiebat, funditus mox corruerunt.

Fortis quidem erat Joſue, qui Solem ſtitit, fortior vox Chriſti: Sequere me, quæ avaritiam in momento, ac omnem cupiditatem auri ſtitit; nam Ambroſio teſte, (c) Joſue Solem ſiſtere potuit, ne procederet, avaritiam tamen hominum ſiſtere non potuit, ne ſerperet, ad vocem ejus ſtetit Sol, avaritia in Achan non ſtetit. Undè par aut majus prodigium reputat Chryſologus: (d) *Emendare avarum, & ſuſcitare mortuum.*

Verba illius ſunt: quod eſt dare vitam mortuo, hoc eſt largitatem tribuere avaro; at Matthæus ad ictum primum oculorum Domini, ad primam vocem, ſurgens relictis omnibus ſecutus eſt eum; aurum ut lutum, gemmas ut ſputum, honores ut fumum reputans: Undè Caſſianus coll. l. 2. c. 12. actionem iſtam ſummo prodigio comparat dicens: quod majus poteſt eſſe prodigium, quàm ſub momento breviſſimo ex rapaciſſimis publicanis Apoſtolos fieri?

Si ſymbolo quopiam aut docto Emblemmate ſtatum miſerum Matthæi ante adventum Salvatoris in Capharnaum adumbrare vellem, aptius non invenirem, quàm ut delinearem ac depingerem firmamentum cœli totum tenebroſum, uti nocturno tempore apparet; ac in erectâ turri, ſolare horologium cum inſcriptione: Sine tuo lumine nihil eſt in homine; infra verò appingerem ſolſequium languidum cum Lemmate: *Anima mea deſideravit te in nocte.*

Antequam enim in Hemiſpherio Capharnitano Sol oriretur & illuceſceret; in corde Matthæi nox erat & denſæ tenebræ; ambulabat is in umbra mortis adinſtar talpæ, globo terreſtri affixus, auro & argento ex terræ viſceribus eruendo totus quantus intentus.

Vir,

(a) *Exodi cap. 14.* (b) *Joſue cap. 6.* (c) *Ambroſius in cap. 7. Joſue.* (d) *Chryſol. 28. Serm.*

Vir, qui secundùm Psalmistam (a) *non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua.*

Vir, qui secundùm Job (b) *putavit aurum robur suum, & obrizo dixit fiducia mea.*

Horologium quidem splendidum, cujus lineæ & numeri deargentati, stylus aureus gemmis interpunctus, sed vanum & inutile, utpote radijs Solis justitiæ necessariis destitutum.

At quàm primum Sol justitiæ Capharnaum irradiare cœpit, ac lux cœlestis illabi pectori Matthæi, mox tenebræ noctis evanuêre, ac horæ æternitatis sese spectandas obtulêre; insiliitque in publicanum Spiritus Domini, & mutatus est in virum alterum, exclamans illud Rom. 13. *Nox præcessit, dies appropinquavit, abjiciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis.*

Videte Dilectissimi robur, virtutem & efficaciam oculorum Christi.

An non meritò dicendi, admirandi duo magnates, qui cœlesti influentiâ ferrea ad se pertrahunt corda hominum?

An non benè Rupertus Abbas has binas pupillas l. 6. in Joann. vocat *fenestras salutis, & portas misericordiæ, per quas gratia & veritas emittitur?*

Noverat hoc robur David, (c) unde tam sollicitè orabat: Illustra faciem tuam super servum tuum: nam Ambrosio teste: Aspectus ejus salus nostra est, in Psal. 45.

Stupendum est, quod in Athlante suo Mariano Imagine 533. Eruditissimus P. de Gumperberg recenset.

Inquilini non procul Nanceio habitantes, cum iteratis vicibus in colle quodam comparere cernerent candidam cervam, ominati sunt non variè Deum cupere sibi in eodem loco sedem & Ecclesiam strui: accedentes igitur ad S. Ganzelinum Episcopum Tullensem rogant demissè quatenus illis liceat ibidem in honorem Virginis Mariæ templum struere; annuit is piis eorum votis, ac primus lapidem angularem posuit: Surrexitque modico tempore ad medium fabrica sacra: at ubi paulatim defecêre pecuniæ, defecit & primus fervor. Cessatum proindè ab opere: sed non cessavit Cœli Regina; in somno enim apparens Reginæ Franciæ, monuit seriò, ut pecuniam camelo impositam transmitteret illi loco applicandam, ubi camelus esset substiturus. Factum ita. Camelus velut viæ certus sine duce & comite itinere recto ad Murtam fluvium, quam parte Buxerianum montem interfluit, ad fluvium subsistit cum divite onere: & ecce! Lembus, qui in altera ripa religatus erat, spontè se solvens advenienti camelo occurrit, ac intra se receptum securè in alteram ripam exponit, qui iter cœptum ulterius prosequens tandem in loco extruendi templi defatigatus substitit; rem gestam mox mutus ad Episcopum detulit, qui gratiis Deo

(a) *Psalm. 51.* (b) *Job. c. 31.* (c) *Psalm 50.*

Deo & B. V. actis, interruptum opus ad finem perduxit.

An non hæc genuina est forma conversionis D. Matthæi.

Venerat Christus in terras, suam ædificare Ecclesiam, (Sapientia ædificavit sibi domum) Primum lapidem jecit per Petrum Apostolorum Principem; minimoq; tempore stupente Judæa assurrexit sanctum ædificium usque ad medium; ac ne casum metueret sacra structura 7. columnis est stabilita, Andrea, Jacobo, Joanne, Thoma, Jacobo, Philippo & Bartholomæo. Cessatum ibi aliquantisper est ab ædificio.

Deerat Camelus oneratus auro & argento, comparuit tandem & ille, ad mare Galilææ, injustisque lucris & peccatis oppressus ac defatigatus, in telonio resedit, expectans securum transitum per aquas maris; cum ecce ex altera ripa occurrit Navis illa beata Christum vehens, quæ informem Camelum in proram suam receptum, ac per fluctus procellarum sæculi transvectum, tandem ad semi ædificatam Ecclesiam Christi direxit ac stitit; idque per duo verba: Sequere me, & statim secutus est eum.

Non dubito, Dilectissimi AA: quin ex toto pectore desideretis nonnihil de gratia Apostolo collata participare, benignissimis oculis à Salvatore aspici, & ex publicanis & peccatoribus eradere sancti & justi: ne dubitate, singulis diebus & momentis exspectat vos Salvator non in Metropoli Galilææ Capharnaum, sed in templo, utpotè domo Patris sui, cupiens tenebras mentis vestræ illustrare, errantesque oviculas ambabus manibus complecti, quoties enim eum cernitis in sacra hostia elevatum, aut in altari expositum, (a) ibi stat post parietem prospiciens per cancellos ac radios divinos oculorum suorum in obdurata corda vestra vibrat, & in silentio cordi vestro inclamat: Sequere me: Surge, qui dormis in peccatis tuis, via tua perversa est, non ad cœlum, sed gehennam perducens: Cave illas & illas pravas & periculosas occasiones, quæ certissima causa erunt tui interitus: rumpe catenam colli tui, & sequere me, qui sum via, veritas & vita: emunda aliquando per seriam confessionem sordidam & immundam cloacam conscientiæ tuæ, evome ex corde tuo iram, rancorem & vindictam, quâ ardes ergà proximum tuum, & sequere me, qui sum mitis & humilis corde.

Sed in vanum plurimis peccatoribus clamat Salvator; similes enim sunt aspidi obturanti aures suas: aures quidem hi habent, sed obstruunt eas, nec vocantem audire volunt, in antiquo luto scelerum hærentes, ac de die in diem procrastinant pœnitentiam, manentes publicani & peccatores, ex hoc nunc & usque in sæculum.

Ah quàm dissimiles sunt hi Matthæo,

(a) *Cantic. cap. 2.*

thæo, qui Amalphi ad ſepulcbrum ſuum oranti B. Brigittæ apparens, in hunc modum converſionem ſuam revelavit: Voluntas mea talis erat eo tempore, quo Chriſtus juxta Capharnaum præteriit Telonium, quod neminem defraudare volui, ſed deſiderabam invenire viam, quâ ſeparem me ab iſto officio, & toto corde adhærerem Deo ſoli: prædicante igitur Amatore meo Jeſu Chriſto, inflammabatur ſicut ignis verbum vocationis ſuæ in corde meo; ſic dulciter ſapuerunt verba ſua mihi, quod de divitiis & honoribus non plus cogitabam quàm de paleis; imò mihi magis flere placuit, & gaudere, quod Deus meus tantillum & tantum peccatorem vocare voluit ad gratiam. Hæc Cornel. de S. Matth. in cap. 9. Matthæi.

Si ergò cor veſtrum & animus ſimilis fuerit cordi Matthæi ad converſionem ſuam aſpirantis; credo & ſpero firmiter, ſi prætereat Jeſus, futurum, ut & vos oculis ſuis benigniſſimis reſpiciat, & de luto peccatorum veſtrorum extrahat.

Nemo deſperet, ait Chryſoſt. hom. 14. in Matth. Si publicanus es, potes fieri Evangeliſta; ſi blasphemus, potes fieri Apoſtolus, ſi latro es, poteris Paradiſi colonus effici, ſi magus es, poteris adorare Dominum, nec eſt ulla malitia, quæ pœnitentiâ non ſolvatur.



IN

IN FESTO S. OTHONIS EPISCOPI & CONFESSORIS.



Ecce Sacerdos Magnus! Ecclesia.

VOtum triplex hodiernâ die in corde meo æstuat AA: desidero enim pennam, linguam, virgam mensoriam; desidero pennam floridam Hieronymi ad Panegyrim æternæ memoriæ Othoni describendam:

Ambio linguam disertam Chrysostomi, ad laudes & præconia ejus universo orbi enuntianda:

Virgam denique mensoriam apocalyptici illius Angeli Apoc. cap. 21. civitatem S. Jerusalem dimetientis flagito, ad immensa merita & virtu-

 tes

tes sanctissimi Præsulis ad longum & latum dimetiendas: sed ubi Panegyricum ordiar, non invenio; ubi Præconia terminem, non perspicio.

Si nominem Othonem Pastorem bonum, stant longo ordine alii infulati Præsules Ambrosius, Augustinus, Nicolaus, Martinus &c. qui titulum hunc affectant.

Si dicam stellam matutinam in medio nebulæ, iterum prodeunt grandia Ecclesiæ Luminaria Hilarius, Athanasius, Chrysostomus, Basilius, qui jure merito stellæ matutinæ in medio nebulæ & persecutionum sunt dicendi.

Si Palmæ comparem, titulum affero omnibus Justis communem, Justus enim ut Palma florebit. Psalmo 91.

Si Lucernam ardentem & lucentem nuncupem; Præconium hoc Præcursori Baptistæ jam pridem adjudicavit Evangelista Joannes, dum c. 5. scripsit: Ille erat Lucerna ardens & lucens.

Si Apostolum & Doctorem infidelium deprædicem; pridem hunc titulum Paulo contulit Ecclesia, salutans eum: Tu es vas electionis S. Paule Apostole, Prædicator veritatis in universo mundo. Cadunt ergò conceptus mei, rumpitur penna, deficit lingua; panegyris in auras abit:

Desertus igitur ab hominibus subsidium cogor petere à lapidibus, si quo modo hi mei loco laudes & præconia loquantur Sancti, ubi enim homines tacuerint, lapides clamabunt, Luc. c. 19. nam teste Habacuc cap. 2. Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum respondebit.

Quod bruta aliquando sint locuta, res est testata.

Asinam locutam cum Balaam ariolo, recenset Num. cap. 22. Scriptura.

Bovem ante tertium punicum bellum grandi voce exclamâsse: Væ tibi Roma; tradit Julius obsequens lib. de prodigiis cap. 55.

Ab Equo Achilli mortem & interitum prædictum confirmat Homerus Iliade 19.

Quod Leo à Tyranno immissus in Martyrem Mammantem, ad pedes ejus corruens cum voce hominis salutaverit: Salve serve Dei, qui es habitaculum Spiritûs Sancti, testatur Bollandus tom. 2.

Sed quod lapides loqui queant, hoc vobis fortè novum videbitur, sed si vitam venerabilis Bedæ evolvatis, invenietis & voces inesse lapidibus.

Alphabetum Deo gratius & nobilius non vidit orbis, quàm quod Carolus Magnus orbi exhibuit, dum juxta alphabeti initiales litteras 25. Magnifica per Europam hinc indè templa ad honorem supremi Numinis munificentiâ regiâ extruxit.

Imitatus est non infeliciter in pietate hac Cæsarem Otho noster, si non & superavit (quid enim reditus episcopales collati cum regia gaza?) dum faventibus superis ultra viginti Cœnobia sacra, in diversis Episcopatibus,

tibus, ſub regula SS. Benedicti, Bernardi & Norberti, munificâ manu ad laudem omnipotentis, ſub patrocinio diverſorum Tutelarium erexit, fuére autem ſequentia:

Allerspacum.	Madlhardsdorfium.
Aſpacum.	Nithardhuſium.
Arnnoldſteniũ.	Prüflinga.
Biburgum.	Regensdorfium.
Clunica.	Rotha.
Entsdorfium.	Tucklenhuſa.
Hailsbronna.	Vezera.
Lanckhemium.	Ura.
Monaſterium.	Uragia.
Michelfelda.	Windsperga.

Quibus ſi addas Cathedralem Eccleſiam Bambergenſem ex incendio Anno 1110. reſuſcitatam; Montem S. Michaelis poſt Terræ motum Anno 1117. reſtauratum & ampliatum; Banzium Anno 1114. ab hoſtibus Fœdè deformatum, priſtino nitori reſtitutum; collegiatam deniq; Eccleſiam S. Jacobi; S. Fidem; aliaq; Sacella minora & Hoſpitalia, invenies ab Othone (ſi parva magnis licet comparare) Carolum propè ſuperatum.

Et quis Lapides hos mutos & elingues eſſe dicit? clamant hi cum univerſa Eccleſia: Ecce Sacerdos magnus! non eſt inventus ſimilis illi; Ambabus manibus ſubſcribo ego acclamationi huic, ac Othonem Magnum voco, Titulo ab Imperatore Othone primo in noſtrum Othonem optimo jure translato.

Magnitudo Celſitudinis apud homines in mundo variè deſumitur. Magni vocati ſunt Reges ob potentiam, & amplitudinem Regnorum: Ita Eſther cap. 16. Artaxerxes vocatus eſt magnus, qui regnavit ab India uſq; Æthiopiam ſuper 127. Provincias. Ita Turcarum, Mogorum & Tartarorum Imperatores vocantur Magni, quia latè imperant.

Alij Magni dicti ſunt ob heroica facinora, glorioſas relatas Victorias, uti Pompejus M. Alexander M. Conſtantinus M. Theodoſius M.

Alios Magnos coram populo fecit ſcientia & doctrinâ, hinc cognominatus eſt Plato Magnus, Albertus M. Gregorius M. Leo M. Baſilius M.

Magni alii habiti ſunt ob illuſtres & præclaros Natales; ſic Job 1. dictus eſt Vir ille Magnus inter omnes Orientales; ita Tobiæ cap. 5. ait Angelus: Ego ſum Azarias Ananiæ Magni filius; unde Tobias obſtupeſcens reſpondit, ex magno genere tu es.

Magnitudinem quod attinet Sanctiſſimi noſtri Othonis, non deſumimus eam ex illuſtri proſapia aut Generoſis Natalibus, quanquam & Ipſe ex præclaris Comitibus de Monte Andex ſit prognatus Bertholdi & Dominæ Sophiæ Duciſſæ in Amberonis Valle Filius, natus Anno ſalutis 1069: nam

Non cenſus nobilem, nec clarum nomen avorum
Sed probitas Magnum, ingenuumq; facit (a)

(a) *Ovid. 1. de Ponto.*

Non desumimus Magnitudinem ejus à præclaris Officiis & Legationibus, quas apud Reges & Principes obijt, dum primò Sacellanum Aulicum apud Juditham sororem Imperatoris Henrici, desponsatam Boleslao Polonorum Duci egit, quam & in Poloniam est comitatus: Non quia ab intimis consiliis Henrico quarto Imperatori fuit, ac munere Cancellarij supremi in Aula Cæsaris est functus: Non desumimus magnitudinem ejus ab honore extraordinario, quem à Paschali 2. Pontifice maximo est consecutus, dum Anagniæ in Festo Pentecostes ab ipso Sanctissimo in Pontificem est consecratus, ac Pallium è propriis ejus manibus 1102. recepit.

Hæc licet omnia in oculis hominum magna sint & sublimia, Titulum tamen Magni non peperêre Othoni, sed sola virtus, dum in honore humilis, in divitiis pauper, in abundantia mensæ, abstinens & jejunus, in charitate demum ergo proximos prorsus Magnus extitit & mirabilis: Hunc enim solùm reputat magnum & mirabilem Mellifluus Bernardus serm. 1. de omnibus SS. dicens: quid majus, aut quid mirabilius, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, inter honores & dignitates esse humilem: rara enim Avis in terra humilitas honorata; hæc, hæc fecêre Othonem Magnum: Unde S. Greg. M. epist. 54. ad Archiepiscopum Ravennatem ait, *nihil in Episcopali cervice splendidius fulget, quam humilitas.*

Humilitas ergo prima virtus fuit, quæ Othonem Magnum fecit: demissionem hanc Ratisbonæ abundè coram universa Imperatoris Aula remonstravit, quando ab Henrico Imperatore ei Annulus & Mitra Episcopalis gratiosè fuit oblata, (a) quam tamen in genua abjectus, multis lacrimis à se est deprecatus, indignum se tali honore asserens; in hoc æmulatus S. Malachiam Ep. Hiberniæ, qui vocatus ad Archiepiscopale onus, omni quo potuit annisu restitit, Anathema autem ei, (b) ni pareret minitantibus, respondit: *ad mortem me ducitis, sed obedio spe Martyrii.*

Magis resplenduit Humilitas, & ima demissio in Othone, (c) quando declaratus Episcopus Bambergæ, approximans Civitati à Clero & Populo salvere jussus de equo descendit, & solutis calceamentis, nudis pedibus etiam rigidissimo hyemali tempore urbem intravit, usq; dum ad S. Gregorii Basilicam est perventum.

Crevit humilitas in illo, dum jam electus Episcopus, (d) Confirmationem & Consecrationem suam per triennium distulit, inde Romam profectus in manus Pontificis Pedo & Mitra resignatis Romæ valedixit, quem tamen revocatum ex itinere, & renitentem propriis manibus Anagniæ

(a) *Jacobus Gretserus lib. 1. c. 7. Vitæ.* (b) *Surius in Vita.* (c) *Vitæ lib. 1. c. 8.* (d) *Vitæ lib. 1. c. 10.*

nagniæ in Festo Pentecostes in Episcopum consecratum Jure Pallii ipsi & successoribus confirmato, cum multa benedictione Bambergam remisit: Rectè proinde dixit Bernardus l. de modo benè vivendi cap. 39. *Qui sibi vilis est, ante Deum magnus est.*

Et quanta demissio, & extraordinaria humilitas extitit illa, (a) dum in consuetudinem duxit â manib9 sacerdotum ob errores commissos, disciplinas usq; ad sanguinem recipere? Adhæc Monachis in monte S. Michaelis non solùm ministrabat ad altare, (b) sed & ad mensam, aquam manibus affundens, cibos manibus sacratis triclinio inferens: hinc factum, ut passim humilis Otho diceretur: Sed Titulus humilis, peperit ei Titulum Magni; Nam Senecâ teste *nihil magnum in rebus humanis nisi animus magna despiciens.*

Observabat proinde Sanctissimus Otho ad amussim effatum illud Eccles. 3. *quantò major es humilia te in omnibus*, (c) fundans se penitus in Doctrina Magni Augustini asserentis: *Magnus esse vis, à minimo incipe, cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.*

Quemadmodum Otho humilis erat in Honoribus, ita & Pauper extitit in divitiis. Præceptum, quod Psalmista divitibus Psalmo 61. tradidit, *divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, ad amussim observabat: Reditus Episcopales erant ampli & pingues, his accedebant magna & multiplicia Xenia ab Imperatoribus & Ducibus transmissa; sed non sibi, sed pauperibus ac Ecclesiis Dei ea reserservabat.

Præter alia vasa aurea & argentea 20. libras excocti auri transmiserat Othoni Bela Rex Hungariæ: in quem usum existimatis Aurum expensum ab Othone? an fortè in Rhedas deauratas, fræna equorum aurea, Vasa mensæ servientia? minimè: Aurum acceptum nil moratus mox B. Michaeli obtulit, mandans ex auro Crucem confici, (d) quam gemmis undiq; ornatam Templo intulit: non cadebat in Othonem acerbum dictum illud Chrysostomi: mandit equus tuus aurum, & pauper non habet panem, quem rodat.

Vestitus ejus, lectus, & alia erant communia, nil magnificum: cum senuisset, pelliceum confici jussit ex pellibus leporinis, prominentibus parũ vulpinis, quod constabat bis binis unciis, in hoc totus luxus vestium sistebat, & cum ob parsimoniam hanc argueretur à suis, respondit, (e) finite fratres, finite, res Episcopi elemosinæ sunt fidelium, vanis usibus eas profligare non debemus, terrebat scilicet eum Ambrosius serm. 81. dicens, Esurientium panis est, quem quem tu detines, nudorum indumentum, quod tu includis, misero-

rum

(a) *Vitæ lib. 1. c. 38.* (b) *Vitæ lib. 1. c. 47 & 48.* (c) *Aug. serm. 10 de V. Domini.* (d) *Vitæ lib. 1. c. 86.* (e) *Vitæ lib. 1. c. 36.*

rum redemptio pecunia, quam tu in terra fodis.

Operimentum nocturnum pretiosissimum auro & serico intertextum ac megallinâ pelle suffultum ei aliquando erat transmissum à Boleslao Duce Poloniæ: Otho acceptum donum plicabat ac replicabat, ac Legatis humanissimis actis gratiis dixit; (a) Munus hocce magnæ dilectionis in memoriam perpetuam servare curabo, ita sanè, ut nec fures mihi id auferant, nec tineæ corrumpant. Vocato ergo Vestiario ait, tolle præclarum munus, & charum mihi tegumentum, ac pone super illum paralyticum, ac cooperi miserum: exemplum in hoc secutus Joannis Patriarchæ Alexandrini, qui cùm à divite vile grabatlium miserante, (b) plumeam culcitram dono missam accepisset, alterâ die venundari jussit, ac pretium pauperibus distribui.

Agnovit hanc magnitudinem ipse Seneca gentilis Philosophus, dum scripsit, Magnus ille est, qui in divitiis pauper est; (c) cui perfectè consonat S. Gregorius M. dicens, *Parvulus est, qui terrena diligit, Magnus, qui æterna concupiscit:* Talis profectò extitit Otho noster, cui quidem effluebant divitiæ, quibus tamen cor non apposuit, sed Deo & pauperibus eas consecravit, dispensator potius, quàm possessor & Dominus, mente semper retinens illud Augustini, serm. 50. de diversis: *Aurum Ecclesia habet non ut servet, sed ut eroget.*

Si quid præterea Magnum & mirabile fuit in Othone, erat Frugalitas ipsius ac Abstinentia in Mensæ ubertate & abundantia l. 1. Vitæ c. 37.

Ipsemet S. Præsul non semel fassus est, dum Episcopatum administraret, nunquam se ad satietatem comedisse: semper enim sobrius, ac penè jejunus de prandio vel cœna surrexit, ac apposita fercula liberaliter inter pauperes & mendicos distribui jussit.

Procurator ejus aliquando lucium piscem duobus solidis emptum ad mensam intulit, quæsivit mox Episcopus, quanti constitisset, cumq; responderet Procurator solidis duobus; absit à me, inquiebat S. Vir, ut miser Otho solus hodie duos solidos absumat, levansq; discum cum pisce, defer ait hunc pretiosum cibum Christo meo, defer ei, sicubi ægrotus in lecto jacet vel paraliticus, nam ego robustus hoc me pane reficiam.

O quàm benè ad mentem D. Gregorii hoc factum est, qui in Pastorali suo ita scribit: *Illud jejunium Deus approbat, quando quod tibi subtrahis, alteri largiris, ut unde caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.* Unde Chrysost. ser. 41. de jejunio & Elem. omnibus inculcat, *Fratres, prandium nostrum sit pauperis Cœna.*

Sed quis admirandam Charitatem ejus in Proximum satis deprædicabit?

(a) *Vitæ lib. 1. c. 43.* (b) *Marulus lib. 1. c. 2.* (c) *Moral. c. 31.*

bit? quæ vel maximè nomen Magni ei impressit? cum omni veritate gloriari ac dicere cum Job poterat, (a) *ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum*: Oculus eram cœco, & pes claudo; (b) flebam super eum, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi, (c) nam teste M. Gregorio *qui compassionem non habet, Vacuum Episcopi nomen tenet.*

Pauperum & languidorum Catalogum semper penes se habebat, imitatus in hoc Sylvestrum I ac Clementem I Pontificem, (d) de quo Marulus scribit Viduarum Orphanorum ac reliquorum Christi pauperum nomina in codicillo seriatim descripta lectitasse, ne quem die illa præteriret, cujus miseriam, ope & elemosyna non juvaret: ad hunc modum Othonem charitas Christi indesinenter urgebat, ut pasceret famelicos, vestiret nudos, consolaretur ægros, sepeliret mortuos; cujus menti perpetuò occurrebat terrifica illa sententia Jacobi: (e) *Judicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam:* Nunc audite quousq; se charitas ejus extenderit.

Laborabat aliquando Franconia Orientalis maximâ sterilitate & inopiâ panis, ita ut mendici passim per plateas & pagos mortui jacerent, hîc Vir Dei Tobiam imitatus, modò per se, modò per alios sepeliendi officium complevit; ubi autem cadaverum multitudo sepulturam non admittebat, ingentes fossas fodi jussit, & centenos subindè ac millenos terræ mandabat, pretio conducens homines, qui id officii præstarent, ipse autem per se omnia lustrabat, Vicos, plateas ac domos vespere, mane, & meridie circumiens.

Accidit ergò die quôdam cùm Otho accersito cubiculario more suo ad Hospitale pauperum contendit, ubi gravis odor inhumati Corporis non procul à Via sub urticis nares eorum offendit: substitit parumper Otho, ac cubiculario ait, sentio Corpus inhumatum, eamus inquiramus; post paucos gressus inveniunt inter senticeta cadaver mulieris lacero vultu, ab avibus etiam libato: Episcopus conspectâ miseriâ mox ferit pectus ac sortem deflet mortalium, inde persolutis precibus pro anima defunctæ, manum mittit ad corpus, ac cubicularium hortatur, ut se adjuvet, at ille, noli, inquit, Domine sacros manus inquinare, curram, & vocabo alios, ac sepeliemus eam. Cui lacrimabundo vultu Otho, absit, inquit, ut sororem nostram tangerè despiciam; portabo mortuam, quam vivam pascere debueram, moxq; generosó ausu sublatum fœtidum cadaver, ad proximum cœmiterium usq; deportavit. O factum generosum! quod Cœli cives utiq; spectatores & admiratores habuit.

Nec minori charitate erga Vivos ardebat

(a) *Job. c. 31.* (b) *c. 29.* (c) *c. 30.* (d) *Marulus lib. 1, c. 2.* (e) *Jacobi c. 2.*

ardebat Sanctissimus noster Pontifex, si enim verum, quod D. Bernardus serm. 27. in Cant. scripsit, *cujuscunq; animæ quantitas æstimatur de mensura charitatis*, Magnus imò maximus erit Otho noster, dum charitate Christi totus succensus, non contentus Ovili suo, ad barbaras etiam Nationes Evangelio imbuendas per mille pericula & discrimina in Pomeraniam usq; iteratò excurrit, primus gentis illius Apostolus, in votis nil aliud habens, quàm sanguinem & vitam suam pro Christo ponere; & licet intentum suum non sit assecutus, palmam tamen Martyrii non amisit: à Lothario enim Imperatore, aliorumq; Principum litteris revocatus, ne Deo repugnare videretur, visitatis prius circumcirca Neophytis ac in fide confirmatis, Christo cui crediderunt, eos commendans, iter cum suis est agressus, maximisq; laboribus in itinere pro Christo exantlatis, salvus tandem in Vigilia S. Thomæ Bambergam appulit, ab universo populo non aliter ac Angelus Dei susceptus. Sed non diu exultatio populi duravit, siquidem interjecto exiguo temporis spatio viribus exhaustus, senio confectus, doloribus attritus, Sacramentis Ecclesiæ munitus, meritis & Virtutibus plenus Sanctissimam animam in manus Creatoris sui deposuit Anno 1139. tertio nonas Julii, miraculis ante & post obitum clarus.

O Beatum Pontificem, cujus anima Paradisum possidet!

O Sanctissimam Animam, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmom tamen Martyrii non amisit!

O Pastorem bonum; qui animam suam posuit pro ovibus suis!

O Virum ineffabilem! cum quo misericordia de utero Matris est egressa, cujus elemosynas enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum; cujus laudes Ligna & Lapides loquentur, de quo verissimè exclamat non solùm Ecclesia, sed & universus orbis: Ecce sacerdos magnus! Non est inventus similis illi; Otho verè Magnus, Magnus à Natalibus,
Magnus in Aula apud Reges & Cæsares,
Magnus in Ecclesia Dei,
Magnus in Virtutibus.
Magnus in meritis & sanctitate
Magnus in Patrocinio
Magnus in Vita,
Magnus in Morte.
Magnus in Terris
Magnus in Cœlis.
Humilis in Honore,
Pauper in Divitiis,
Abstinens in Abundantia
In Charitate demùm mirabilis
Sacerdotum Gloria, Gemma Pontificum, Uno Verbo

OTHO MAGNUS.



IN

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.



Archangele Michael, conſtitui te Principem ſuper omnes &c.

GRande beneficium fuit, quo Theſeum ſibi devinxit ac obligavit Liberatrix ejus Ariadne, Minoris Cretæ Regis filia, (a) cujus ope & induſtriâ animatus, non ſolùm inextricabilem Labyrinthum evaſit ſed & Minotaurum (cum quo ei depugnandum erat) generoſè peremit.

Grandis fidelitas fuit Michael filiæ Saul, (b) quâ Davidem ſibi obſtrinxit; quando apparitores Saul Regis ad ne-

(a) *Raviſius.* (b) *1. Regum cap. 19.*

necandum Maritum immiſſos ſtratagemate pio eluſit, ligneam ſtatuam in lecto pellibus coopertam pro Davide ſubſtituendo, donec à ſe per feneſtram demiſſus fugâ ſibi conſuleret Maritus, ac gladium evitaret inimici. 1 Reg. c. 19.

Miſericordia ingens fuit, quâ Joſaba filia Regis Joram obligavit ſibi Joas Filium Ochoziæ; (a) quando maledictâ Athaliâ omne ſemen regium interficiente, hunc parvulum principem morti & gladio deſtinatum furata eſt de medio Fratrum ſuorum, & abſcondit eum ſex annis, in domo Domini, ut non interficeretur.

Obſequium memorandum fuit, quo ſenex quidam Piſcator, Wenceslaum Regem Bohemiæ ſibi devinxit Viennæ; (b) quando tetro carcere & turri concluſum beneficio reſtis ex turri demiſſum, cymbaq; per Danubium tranſuectum deviis itineribus in Bohemiam liberum traduxit.

Amoroſa Charitas fuit, quâ Pius (c) Æneas Trojâ incenſâ Anchiſem Patrem ſuum per medias Flammas ſuis humeris extulit, ſarcinâ magis, quàm hoſtium ſpoliis felix.

Maxima gratia extitit, quâ ſibi Q. Ligarium obligavit Orator Cicero, qui eum tanquam rebellem Cæſaris, comitatus in forum, ac ſecuri jam ſubijciendum luculentâ Oratione defendit, ac ſententiam feralem, attonito ipſo Cæſare ſtitit.

Magnas has Obligationes fuiſſe, & grandia beneficia, non diffiteor, ſed cedere millies coguntur Obligationi & devotioni illi, quam debemus ſupremo Principi Exercitus Domini Joſ. 5.

Præpoſito Paradiſi, Salutis ſignifero Michaeli.

Hic eſt enim, *qui deducet nos in Civitatem illam munitam, cujus plateæ aurum mundum, cujus turres gemmis ſunt ædificatæ.*

Hic eſt diſertus & facundus ille Cicero, qui nos defendet in tremendo Judicio, (d) *quando cœli revelabunt iniquitates noſtras, & Orbis terrarum conſurget adverſum nos.*

Hic eſt, qui ſceleratos peccatores in infernale barathrum jam jam præcipitandos, tremendis ignibus ſubducit, ac plus quàm pius Aeneas ab interitu ſervat.

Hic eſt, qui nos ex diuturno carcere captivitatis noſtræ, in qua exules ſuſpiramus, eductos; per viam æternitatis nobis incognitam ad amatam patriam deducit.

Hic eſt, qui velut miſericors & ſollicita Joſaba, ſuffuratur animas noſtras, & abſcondit à furore & ira Principum tenebrarum.

Hic eſt, qui ut fidelis Michol, viam elabendi de manibus quærentium animas noſtras nobis monſtrat & oſtendit.

Hic eſt, qui nos ex hoc mundi inextricabili Labyrintho educit, ac contra Minotaurum infernalem armat & defendit.

Hic

(a) *4. Reg. c. 11.* (b) *Dubrav. l. 23.* (c) *Virgilius.* (d) *Job. 20.*

Hic eſt denique Archangelus ille à Deo conſtitutus ſuper omnes animas ſuſcipiendas, Amicus noſter fideliſſimus uſque ad aram, uſque ad tumulum, uſque ad thronum Judicis ſupremi; qui nos in negotio illo terribili non deſeret, ſed contra omnes hoſtium inſultus fortiter defendet, donec per tenebroſam noctem æternitatis ex hoc ſæculo eductos, repræſentet in lucem ſanctam.

Amara triſtis ac funeſta quidem viſa eſt hora ac nox illa Ovidio, quâ ultimùm Romæ valedicere eſt coactus, hinc l. 1. triſt. eleg. 2. ait:

Cum ſubit illius triſtiſſima noctis imago,
Qua mihi ſupremū tempus in urbe fuit.
Cum repeto noctem, quā tot mihi chara reliqui,
Labitur ex oculis plurima gutta meis.

Sed millies funeſtior, millies triſtior erit nox & hora illa, quâ æternùm claudentur noſtra lumina; quâ omne aurum & argentum, omne quod charum & amicum in vita habuimus, cum vita ipſa relinquenda erunt, ac in viam æternitatis, utinam non æternum exilium cum Ovidio proficiſcendum.

Heu horam & noctem terribilem ac doloroſam! quâ catervatim nos invadent dolores infiniti, donec violenter vitam nobis extrudant, ubi cum infelice Agag fruſtra clamabimus, (a) *ſiccine ſeparat amara mors.*

O horam & noctem crudelem! quâ contra nos inſurgent Principes tenebrarum, quærentes animam noſtram!

O horam & noctem lamentabilem! quâ animam noſtram circumdabunt ſpiritus tartarei velut rapaces vultures columbam; quâ obſidebunt lectulum mortualem infernalia monſtra, velut corvi putridum cadaver! quâ vox omnium erit, (b) *Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt, qui eripiat.*

Ecce hominem, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed evanuit in vanitate ſua. pſal. 51. (c)

Ecce hominem, qui putavit aurum robur ſuum, & obrizo dixit fiducia mea, qui divitias terræ plus æſtimavit, quàm theſauros cœlorum.

Ecce hominem, cui longè melius placuit fores meretricis, quàm facies illa divina, in quam deſiderant Angeli proſpicere.

Ecce hominem, qui fluxas voluptates ſæculi antepoſuit gaudiis Paradiſi!

Ecce hominem, qui ob tranſitoria perdidit æterna, qui ob mundum perdidit cœlum!

An non ergo erit tunc tribulatio magna (c) *areſcentibus hominibus præ timore & exſpectatione, quæ ſuperventura eſt eis.*

Ibi ibi verificabitur id, quod Chriſtus de Jeroſolyma dixit: (d) *circumdabunt te inimici tui vallo, & ad terram proſternent te.*

Ibi ibi fateri cogetur miſer ægrotus, (e) *circumdederunt me dolores mortis & pericula inferni invenerunt me.*

(a) 1. *Regum c.* 15. (b) *Pſal.* 70. (c) *Job* 31. (d) *Lucæ c.* 21. (e) *Lucæ c.* 19. (f) *pſ.* 114.

O Hora! ò nox plena anguſtiis, referta terroribus, prodroma æternorum tormentorum!

Foris terrebit miſerum gladius evaginatus Judicis, intus pavor, tremor & anguſtia; infra ſuccenſi ignes tartari; ſupra occluſa janua Paradiſi. Ubique retia, ubique laquei.

Ibi ſtabunt inimici tui conſtanter accuſantes te, tenentes apertos libros peccatorum tuorum; ibi monſtrabunt numeros ſine numero, ibi titubabit ſpes tua, ibi juſtitia Dei exaggerabitur, quæ & angelis non pepercit; ibi oſtendent tibi tempus miſericordiæ jam effluxiſſe, ut meritò exclamare cogatur æger, (a) Anguſtiæ mihi ſunt undique?

Hæc facies Trojæ cum caperetur erat.

Expertus eſt anguſtias ſupremæ hujus noctis B. Elzearius, in vita ſua Angelus terreſtris; (b) ſemper quieſcens in vulneribus Chriſti Crucifixi; ſpeculum Sanctitatis, Patronus & Eleemoſynarius pauperum, in Matrimonio Virgo: hic ergo ad ultima deveniens omnibus ritè Deo commendatis, tandem in hæc luctuoſa verba erupit; O quàm ego magnam experior eſſe poteſtatem dæmonum in morituros, inde cum parumper ſiluiſſet, exclamavit. Vici, Vici, tandem ſubjunxit: me totum cenſuræ divinæ ſubmitto.

Si hoc in viridi in arido peccatore quid fiet? (c)

Expertus eſt Conradus Cardinalis ex Ordine S. Bernardi, Anno 1225. (d) à Honorio III. Papa miſſus Moguntiam ob certa quædam Eccleſiæ negotia legatus; hic vir tantæ Sanctitatis, ut digiti, quibus ſolitus fuit ſacram hoſtiam tenere in ſacrificio miſſæ, noctu inſtar ardentium cereorum lucerent, ad ultima deveniens (Spondano teſte) graves ſingultus deducebat, exclamans ò utinam ò utinam in cœnobio manſiſſem, ac in culina ſcutellas cum fratribus laviſſem!

Expertus eſt auguſtias has Antonius Cirnæus ex Corſica Capucinus miræ Sanctitatis & abſtinentiæ vir, hic ſemper præcinctus erat aſpero cilicio, per totum annum nihil manducabat niſi ter in ſeptimana panem & aquam, dormiebat in aſſere per tres ſolùm horas, (e) reliquis 5. horis ſeſe flagellabat, ſingulis noctibus 6666. ictus ſibi infligens, plurimis miraculis per vitam clarus. Hic ubi ad agonem devenit, totis artubus cœpit contremiſcere; interrogatus cur? reſpondit non novus hic timor eſt, Domini enim judicia expaveſco. Zach. Boverius ad annum 1540.

Expertus eſt tribulationem hanc maximam (f) B. Stephanus Abbas, qui in ſolitudine per 40 annos in jejuniis, lacrymis, Orationibus & magna Sanctitate vixerat, (g) adeò ut & Leopardum ſuâ manu nutriret. Hic teſte Climaco gradu 7. de luctu, pridie quàm moreretur repentè animo obſtupuit, apertisque oculis ad dextram

(a) *Dan. 13.* (b) *Sedulius in hiſt. Seraph.* (c) *Lucæ. cap. 23.* (d) *Spondanus in annal.* (e) *Zachar Boverius ad annum 1540.* (f) *Corn. in cap. 16 Lucæ.* (g). *Climacus in ſcala Paradiſi gradu 7.*

dextram & finistram partem lectuli circumspiciebat, quasi rationem redderet audientibus cunctis, subindè dicebat, ita sanè, sic revera est: sed pro hoc tot annis jejunavi. Aliquando dicebat: Non, non, sed mentimini; hoc non feci: deinde rursus, verè me accusatis, & quidem ad hæc quid dicam non habeo, ideo misericordiam appello; erat hoc profectò spectaculum horrendum ac terrificum.

Hinc aptissimè ait Bernardus: (a)

O Anima mea, quis erit ille pavor, cum dimissis omnibus, quorum tibi præsentia tam delectabilis fuit & jucunda, sola ingredieris in alienam ignotam regionem, ubi tibi catervatim occurrent teterrima monstra; quis tibi in die tantæ necessitatis succurret? quis te eruet à leonibus rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? & quis deduéet te? quis advocatus? quis comes tuus erit?

Accidet tibi eheu morituro quod accidit mortuo Francisco Cotinio Comiti de Redundo Indiæ Proregi; (b) qui cum ingenti comitatu totius Cleri Nobilitatis ac frequentia accurrentis populi elatus esset, & ad tumulum depositus; ecce tibi declaratur subitò alius Prorex, qui defuncto succedat Joannes Mendosa, qui & ipse funeri intererat, quo audito cuncti Cotinio deserto ad Mendosam conversi plurimum illi gratulantur, ac in urbem deducunt, unico eoque vili mancipio duntaxat ad humandum cadaver relicto.

Ita & te mi homo cùm mortis tuæ ultima periodus instabit, totus mundus deseret, *amici tui & proximi tui de longe stabunt, & fratres tui pertransibunt sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.* Job. 6.

Accidet tibi, quod infelici Absoloni, (c) qui à suis in prœlio derelictus, cùm occurreret servis David mulo sedens atque ingressus fuisset, mulus subter condensam quercum adhæsit caput ejus quercui, & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus cui insederat pertransivit 2. Reg. 18.

Sic pertransibit fallax mundus cum concupiscentiis suis, quibus hactenus animam tuam credidisti, ac te inter spem & metum Judicis æterni pendentem, spiculo mortis transfigendum relinquet.

Accidet tibi quod infelici Judæ, qui Pharisæos & summos Sacerdotes quidem convenit, ac scelus suum est detestatus, (d) *peccavi tradens sanguinē justum*, at responsum aliud non retulit, nisi *quid ad nos? tu videris!* ita & proximi tui bonis & hæreditati tui inhiantes, omni ope & consolatione te destituent, nec aliud tibi respondebunt, quàm quid ad nos tu videris; ut meritò cum Job c. 19. lamentari queas: *Frateres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me, dereliquerunt me propinqui mei &, qui me noverant, obliti sunt mei*: Unde rectè ait Aug. ser. 45. ad (e) FF. Ecce fratres mei mundi amicitia quanta vel qualis est, An non verum

(a) *Bernard. l. 1. Med.* (b) *Sachinus in histor. Soc. l. 8.* (c) *2. Regum cap. 18.* (d) *Matth. c. 27.* (e) *Augustinus serm. 45. ad fratres.*

verum illud Ecclef. 6. *Eft amicus fecundum tempus, & non permanebit in die tribulationis.*

Jam edicite AA. in tanta calamitate & perturbatione quo confugiet undique defertus peccator? quem Patronum, quem Advocatum, quem defenforem inveniet?

Si oculos in cœlum levet unde veniat auxilium fibi, videbit iratum Judicem, quem in vita toties contempſit, non amplius extendentem manus, ut prodigium in gratiam recipiat, fed ut in reum fententiam ferat

Si aures arrigat; audiet horrendos clamores accufantium dœmonum, animamque miferi à Judice depoftulantium.

Ad latus anguftiabit eum evaginato gladio adftans juftitia; intus fentiet mordentem vermem confcientiæ; infra denique terrebit eum apertum infernale barathrum.

O Cœlites! *fi juftus vix falvatur, peccator ubi erit*? quis tuebitur eum à rugientibus præparatis ad efcam?

Solus & unicus reftat amicus nofter fideliffimus Archangelus Michael cujus officium eft animas morientium Deo præfentare, ac judicio particulari adeffe.

Amicus optimus, Amicus ad Aram Amicus ufque ad tumulum: folus hic tibi Auguftino tefte (b) *folus hic tibi fidem fervabit in die fepulturæ tuæ! & cum omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquet, fed tuebitur à rugientibus præparatis ad efcam!*

Amicus vere fidelis, qui cum veritate dicere poteft illud pfal. 90.

Cum ipfo fum in tribulatione eripiam eum & glorificabo eum. Dixit quidem Ecclefiaft. cap. 6. eft amicus fecundùm tempus fuum, & non permanebit in tempore tribulationis, at non talis eft Michael, fed fimilis illi, quem verfu 14. defcribit: Amicus fidelis pro tertio fortis; qui invenit illum, invenit thefaurum.

Ah quot milleni æternum interiiffent: nifi Michael veniffet in adjutorium eorum, & caufam jam penè defperatam defendiffet.

Expertus eft ingenti fuo bono Patrocinium Michaelis Religiofus ille Osbertus nomine, de quo meminit D. Anfelmus (utpotè qui luctæ præfens aderat) (c) decumbebat Osbertus in agone ultimo, gelidusque toto manabat corpore Sudor, cùm repentè inferna'es larvæ terno infu'tu eum funt aggreffi, fed præfidio Michaëlis femper repulfi: primus erat de peccatis ante baptifmum admiffis (fuerat enim in adu'ta ætate baptizatus. Sed refpondit Angelus ea omnia baptifmatis fonte expiata: fecundus erat de iis, quæ poft baptifmum perpetrârat; fubjecit Michael, & per ingreffum in religionem hæc remiffa fuiffe: Tertius erat de iis, quæ in Monafterio degens contraxiffet, fed & hæc per obedientiæ opera & diuturnam moleftæ ægritudinis tolerantiam deleta effe. Nihil proindè habere tartareum hoftem, quod in Cliente

(a) 1. Petri cap. 4. (b) *Auguft. cap. 24. in manu.* (c) *Anfelmus apud Engelgraw in F. S. Michaelis.*

ente suo requirat: sic irrito insultu larvis infernalibus decedendum fuit in tartara.

Conclamatum fuisset de anima illius nobilis, nisi Archangelus Michael in adjutorium illius venisset, ac de faucibus rugientium eruisset, seriem rei describit Cronicon Min. parte secundâ lib. 4.

Sub Vesperum venêre ad Arcem quandam Religiosi bini de Ordine S. Francisci, ac per amorem Dei rogarũt sub tectum recipi: cum omni charitate suscepit eos Nobilis, ac in triclinium quoddam introductos lautâ cœnâ pavit; (a) & quia mollitiem lectorum intuitu regulæ aspernabantur, stramen, frœnum ac paleas, quibus lectus commodus conficeretur; propriis manibus detulit,& quantùm poterat accommodavit, in quo servi Dei nocte illâ quiescerent.

Nox illa Toparchæ suprema fuit & fatalis, nam repentinâ apoplexiâ tactus lachrymabile funus extitit: dormiebant interim servi Dei, cum tepentè visio terribilis in somno oblata est illis: videbant agonizantem Dominum, & cum jamjam anima separanda esset à corpore, cernebant advenire catervatim dæmones, ac animam à Deo reposcere ad tartara secum abripiendam, eò quod Nobilis ille perditam vitam ap mortem usque duxisset, demonstrabant hanc suam esse allatis libris, in quibus scelera demortui punctuatim erant descripta; urgebant fieri justitiam, allegabant nec sibi parcitum ob unicum duntaxat peccatum admissum: cumque jam infelicem animam raperent, & ad supplciia æterna deportare contenderent, apparuit Michael Præpositus Paradysi increpans ob temeritatem Spiritus malignos, ac dicens: Quis ut Deus? fugite partes adversæ: Jus omne quod vos protervi spiritus in animam prætenditis est nullum; præsto sum ut defendam clientem, voluntas enim Dei absoluta est, ut anima hæc consors fiat æterni Paradysi, ad lancem justitiæ & ad Stateram meam vos provoco; agite appendite maledicti scelera & peccata ejus in lancem unam; appendam & ego in lancem alteram stramen & paleas, quas moribundus his pauperculis servis Dei lectum paraturus substravit: apponam gemitus, suspiria & lacrymas, quibus hesterno crepusculo ante mortem diffluxit, addam firmum propositum alterâ luce errata sua confitendi, & conscientiam exonerandi, depriment hæc lancem, & præponderabunt omnibus iniquitatibus ejus. Vix injectæ erant paleæ, & ecce lanx descendit, & altera, quæ peccatis onerata erat, ut palea in altum est sublevata; sicque ex erèbi faucibus anima nobilis illius, aliàs æternum arsura, ope & intercessione Archangeli æternis ignibus est subducta. Augustinus Paoletti in festo Sancti Michaelis. Didacus Diez ibidem.

(a) *Cronicon Minorum p. 2. l. 4.*

O Patronum nobilem! ò Intercessorem potentem! ò amicum fidelem necessitatis tempore nos non deserentem! ò Archangelum omni obsequio colendum! Ad hoc intensè nos hortatur Laurent. Justin. serm. de S. Michaele dicens: Agnoscant omnes illum protectorem suum, laudibus illum efferant, precibus frequentur sollicitent, servitiis amplexenter, devotione inclinent, vitæ emendatione lætificent. Consinat his Ecclesia canens:

Collaudamus venerantes omnes cœli milites,
Sed præcipuè Primatem cœlestis exercitus
Michaelem in virtute conterentem Zabulum.

Sciens has prærogativas Michaelis P. Camillus de Lellis Fundator Ordinis, qui ægrotis inserviunt, morti proximus effigiem S. Michaelis petiit sibi ante oculos poni tanquam Amicum optimum, qui eum comitaretur in alteram vitam usque ad thronum Judicis supremi, cum B. Sophronio orat de SS. Ang. exclamans: (a)

O Ter Sanctissime summeque amande ac venerande Sacræ militiæ Princeps & Administer Michael Angelorum Coriphæe,(b) omni cultu & celebratione dignissime, qui Judaici populi ductor quondam extitisti, ipsique planam ad meliora viam summâ fide ostendisti, nobis in terra illa deserta, plena horroris, in regione illa mortis & tenebrarum te ducem præbe: iterum re & nomine Michael te oro & quanto possum sésu obtestor, ut è vitæ hujus curiculo exituro lætus pacatusque appareas, meque sub honorato alarum tuarum velamine abscondas, atque ex angustiis obscurisque inferorum locis ereptum in locum tabernaculi admirabilis constituas, deducens usque ad domum Dei in voce exultationis & confessionis.

Clamemus & nos cum eo ó Sanctissime Angele Dei ne derelinquas nos, cùm defecerit virtus nostra: cum nos coangustabunt inimici nostri, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo Judicio. Tu es enim Angelus ille., quem periclitanti Danieli (c) in lacu leonum Dominus in subsidium snbmisit: qui conclusit ova leonum, & non nocuerunt ei. Eheu Leones & Dracones aliquando lectulum nostrnm mortualem cingent vociferantes: Euge euge devorabimus eum, exurge tum ò Michael in adjutarium nostrum, contere dentes eorum in ore ipsorum & molas leonum confringe psal. 57.

Descende de cœlis ò Sanctissime Angele, & nos cum morte luctantes corrobora virtute de alto, sicut corroborasti Magdalenam, cum in specu sua Massiliensi à spectris & dæmonibus variè tentata auxilium inclamasset de alto, (d) quando desolatæ apparuisti, ac in fugam actis monstris crucem in antri aditu designes

(a) *Jo. Rossi in vita.* (b) *Sophonius orat. de SS. Angelis.* (c) *Danielis cap. 6.* (d) *Nadasi de Magdal. 22. Julij*

figens eam consolatus es dicens: Cave ne extrmesces, quia Custos tuus est Altissimus: Ah Gloriosissime Angele adesto nobis, & in illa tremenda hora, quando tentationes ingravescent ac stygii alastores nos invadere tentabunt, defige Crucem S. signum salutis, ut fugiant partes adversæ ac erubescant, qui volunt nobis mala.

O Sanctissime Michael veni obsecro & visita nos, sicut visitare dignatus es S. Pandulphum Clientem tuum, (a) monstra & nobis cum morte luctantibus scalam prætensam in cœlum, in cujus apice Deus residens, uti Pandulphum ita & nos ad coronam gloriæ invitet, Nadasi 21. Decembris.

Conforta est robora nos in agone illo tremendo sicuti confortasti S. Aigulphum & Socios MM. (b) quibus in carcere apparens dixisti: confortamini pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

Esto Amicus noster usque ad Aram, usque ad tumultum; Dux fidelis per tenebrosam viam æternitatis ac umbram mortis, donec animas nostras repræsentes in lucem sanctam quam inhabitat Pater, Filius & Spirus S. &c.

(a(*Nadasi 21e Decembris* (b) *Nadasi 3. Septembris.*



IN FESTO ANGELORUM CUSTODUM



Non dormitabit, neque dormiet. Pſalmo 120.

STupendum eſt, quod de portentoſo quodam genere piſcium ad Fretum Anianum, narrant hi, qui deſcendunt mare in navibus: (a) Infelices ſunt hi piſces nullibi locorum tuti, Terra, mari ac in aëre hoſtium inſidiis expoſiti; attamen ad evitanda hæc pericula, natura provida alas illis appendit, ut inimico eos perſequente in mari, levare ſe queant in æthera, inſtante inimico in aëre, iterum ſe abſcondere & tutari valeant in profundo.

Piſci-

(a) *Joann. Neuboſs in de Script. regni Sinarum.*

Piſcibus his nos miſeri mortales multò exiſtimus infeliciores, dum nos undique viſibiles & inviſibiles cingunt hoſtes, ubique hami, laquei & retia tenduntur? Nobis interim prô dolor arma, ſcuta & alæ neceſſariæ deſunt, quibus elevari hoſtium inſidias eludamus.

Accidit nobis, quod Dario Perſarum Regi, ad quem Herodoto teſte l. 4. bello laceſſiti Scythæ ſuos misêre Legatos, pro regio munere AVEM, MUREM, RANAM & QUINQUE SAGITTAS offerentes. (a) Darius exiſtimabat per hæc munerum ſymbola terram, aquam, aërem ac arma Scytharum ſibi tradi: At Gobrias Exercitus Perſici Dux penitiùs rem conſiderans aliter eſt interpretatus, affirmans idem eſſe, ac ſi Scythæ dicerent: O Perſæ, niſi effecti ut Aves in cœlum evoletis, aut effecti ut Mures ſubeatis Terram, aut ut Ranæ inſiliatis in paludes, non remeabitis undè veniſtis, his Sagittis noſtris confecti.

Idem, quod Paulus de ſe lamentabatur, in nobis verificatur 2. Cor. 11. conſtituti ſumus in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, Periculis in falſis fratribus: His periculis undique obſepti in veritate cum Miniſtro Eliſæi exclamare cogimur: (b) *Heu heu Domine mi! quid faciemus?* actum eſt de nobis, in prædam miſeram cedimus hoſtibus: deeſt nobis prætoria cohors Cæſaris Auguſti; deſunt nobis *60. fortes ambientes lectulum Salomonis, tenentes gladium ſuper femur ſuum* (c): quis laqueos atque retia evadet? quis miſeris ſuccurret? quis pericula avertet? quis miſeros proteget ac defendet?

Quid timidi eſtis modicæ fidei? habete fiduciam: quod olim Eliſæus Miniſtro ſuo, (d) idem & ego vobis reſpondeo: aperite oculos, ac nolite timere, plures enim nobiscum ſunt: En cum D. Michaele Archangelo preſto eſt in occurſum noſtrum, tota quanta cœlorum militia, contra inimicos noſtros pro nobis in aciem deſcenſura; Cuſtodia nobiliſſima, fortiſſima, vigilantiſſima. Corona impenetrabilis, ut eam vocat Sophronius, (e) Phalanx præſtantiſſima, multitudo immenſa, exercitus innumerus, cuſtodia incomparabilis. Quid ſub tantis cuſtodibus, (f) qui cuſtodiunt nos in omnibus viis noſtris timeamus? Sunt nobiles, ſunt fideles, ſunt fortes & potentes, ſunt vigilantes, quid trepidamus? De hac ergò nobili, forti ac vigilanti Angelorum cuſtodiâ dum plura diſſero, patientiam veſtram exſpecto.

Sapientiſſimus Plato (g) civitatem ab hoſtium inſidiis tutam & ſecuram definit ac deſcribit. Tria in ea requirit: Primò muris fortiſſimis ſit circumdata; foſſis ac propugnaculis circum-

(a) *Le Blanc tom. 5. in Pſal. 62.* (b) *4 Reg. 6.* (c) *Cant 3.* (d) *4. Reg 4.* (e) *Sophronius in Encomiis SS. Auguſt.* (f) *Bernard. in Pſal. qui habitat.* (g) *Plato lib. de Republ.*

cumvallata; armis & omni commeatu probè instructa; forti denique & vigilanti strenuorum militum custodiâ circumsepta, qui inimicos de longè stare compellant.

Sapientissimi hujus Philosophi doctrinam secuti videntur Sapientes Sinæ, dum Imperii sui securitati consulentes, ut à finitimis Tartaris regnum suum tuerentur, non solùm muro fortissimo (qui quatuor Provincias ab Ortu usque ad Occidentem, Leaotung, Peckin, Xansi, & Xensi cingit) trecentorum milliarium germanicorum longo, quadraginta quinque pedes alto, viginti quatuor pedes lato cinxerunt; nec hoc contenti supra murum amplas turres extruxerunt, ac pro defensione illius decies centena millia militum per murum disposuerunt. (a) At frustra, nam Tartari contermini & murum superârunt, ac totum Imperium sub jugum miserunt. Cur obsecro? Murus ingens: propugnacula fortia commeatus abundans, portæ reclusæ, tormenta ad omnem impressionem hostilem dissipandam disposita; cur ergò superatus murus, China subjugata? Custodia erat infidelis, milites proditores, hinc custodia deficiente, defecit & Imperium.

AA. Anima nostra, teste erudito Martino Delrio, (b) nobilissima est civitas, quinque portas habet, quinq; nimirum sensuum: tres profundas fossas complectitur; Memoriam, Intellectum & Voluntatem; cincta est hæc Urbs duplici muro præceptorum Dei & Ecclesiæ: Vallis & propugnaculis cœlestium gratiarum munita, ponte liberi arbitrii strata; Annonâ & commeatu Sacramentorum abundantissimè instructa & provisa. Huic Civitati tot infernales insidiantur Tartari, quos in abysso degunt diaboli, qui die noctuque circumeunt velut rugientes Leones tentantes aditum, quà irrumpere queant: Urbis igitur hujus misertus Deus, custodes posuit, qui omnem incursum hostilem, cunctos assultus repellerent: custodes & milites non gregarios, sed principes cœlestis exercitus; non meticulosos aut timidos, sed fortes, magnanimos & imperterritos; non dormientes, sed vigilias omni mometo obeuntes: Hinc meritò exclamat Bernardus: (c) Verè munitissima civitatum est anima nostra, urbs fortitudinis, quoniam à sanctissimis Angelis ad tutelam circumdatur; quid sub tantis custodibus timeamus? Fideles sunt, potentes sunt, vigilantes sunt, quid trepidamus?

Originem & nobilitatem Angelorum vestrorum Custodum si desideratis, si stemma ac domicilium eorum investigatis? Descendunt hi atque originem trahunt à Patre omnis nobilitatis. Magno Anania, Tobiæ 5. cap. Secundùm Nazianzenum (d) prodeuntes à Deo sicut radii à Sole; juxtà S. Thomam in principio temporis in cœlo

(a) *Martinus Martinius in bello Tartarico.* (b) *Delrio in opere Mariano.* (c) *Bernardus in Psalm. qui habitat.* (d) *Nazianz. Orat. in Nativit. Domini.*

cœlo Empyreo à Deo creati, uti id ex Gen. capite primo, ex verbis: igitur perfecti sunt cœli & omnis ornatus eorum, pulchrè probat Cornelius.

Si qualitates ac naturam eorum penetrare velitis, audite, quid S Augustinus de cognitione veræ vitæ c.6. de Angelis dicat: *Angelus spiritus est & substantia incorporea, putredini non obnoxia, mortem non timens, invisibilis, insensibilis, rationalis, intellectualis, immortalis, impassibilis*: Natura proindè illis est pura & subtilis, ætherea, quam nulla materiæ labes infuscat, nullus corruptionis nævus aspergit.

Si officia eorum consideretis. Secundùm Danielem sunt Principes militiæ Dei. Secundùm Blosium cœlestis aulæ Principes. Secundùm Sophronium Præsides Provinciarum. Secundùm Bernardum Domestici Dei, qui semper vident faciem Patris. Secundùm Augustinum (a) Cœli Cives, Principes Paradisi, Scientiæ Magistri, Doctores Sapientiæ, Nuntii & Legati supremi cœlorum Imperatoris, ita celeres, ut uno momento sint, ubi esse desiderant.

Si de scientia eorum interrogetis. Respondet S. Greg. Papa l. 2. moral. c. 32. *Quid porrò Angeli de iis, quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt*: Universa eis patent naturæ mysteria, intima penetrant cœli ac terræ arcana, quæ Aristotelem in fluctus maris, Empedoclem in flammas Æthnæ, Plinium in Vesuvium præcipitârunt. Norunt illi omnem herbarum virtutem, lapidum præstantiam, stellarum, Solis ac Lunæ influxus mirandos, conjunctiones stupendas? Imò Lumen illud Africæ Augustinus (b) affirmare audet: Nauseam creare Angelis nostras quisquilias scientiarum. Angelis ait ille temporarium corporaliumque rerum scientia vilis est, omnis doctrina Platonis, Aristotelis ac Salomonis in quintam essentiam redacta, nihil est, ignorantia est.

Pulchritudinem eorum si contemplari lubet, audite S. Dionysium (c) quomodo eam depingat: Angelus est speculum purissimum suscipiens totam pulchritudinem deiformitatis & resplendere faciens in seipso, quantum est possibile: adorâsset tantam majestatem & pulchritudinem Pathmi incola Joannes, jam jam ad pedes ejus se prostraturus, nisi inhibuisset ac reclamâsset Angelus dicens: (d) *Vide, ne feceris, conservus enim tuus sum.* Undè S. Anselmus (e) considerans eorum pulchritudinem, ait: Si tot Soles, quot stellæ splendescerent, tamen unius Angeli claritas obtenebraret omnes. Quis nunc miretur dictum piissimi P. Drexelii, dum ait: Terra cœlo comparata est punctum, homo Angelo comparatus seu collatus formica est & vermis.

En nobilitatem militum & custodum nostræ civitatis, quæ tanta est, ut meritò S. Thomas scribat p. 1. q. 60. art. 2.

(a) *Serm. 46. ad ff.* (b) *Aug. lib. 9. de civit. cap. 22.* (c) *S. Dionys. de divinis nominibus.* (d) *Apoc. 19.* (e) *Anselm. serm. 8. de S. Michaele.*

art. 2. Substantiæ Angelicæ sunt supra intellectum nostrum.

Dignitas altera custodiæ nostræ est fortitudo & potentia Angelorum. Varios fortes & lacertosos Heroes celebrant tàm sacræ (a) quàm prophanæ historiæ.

Samsonem obstupuêre Philistæi, videntes ab eo Leones hœdorum adinstar discerpi: (b) portas Gazenses unà cum postibus humeris impositos supra montem Urbi vicinum transferri: (c) recentes funes, ut fila & telas aranearum disrumpi: (d) unicâ mandibulâ asini mille ab eo Philistæos trucidari. (e) Columnas, quibus templum Dagon innixum funditus concuti & dirui. Magna & grandis fortitudo.

Obstupuit Olympia, Plinio teste l. 7. c. 2. Milonem Crotoniatam in olympico certamine obœsum Taurum in humeros sublatum per stadium presso anhelitu sicut hœdum portantem, ac unico demùm ictu pugni neci dantem; Nervum denique, quo arcus intenduntur, temporibus circumductum concluso spiritus meatu disrumpentem. Grande robur, magnæ vires.

Suspexerunt Turcæ Georgium Castriotam, Scanderbeg dictum, gladio suo cataphractos Turcas à vertice ad umbilicum dividentem. Fortis dextera!

Rapuit Augustum Junius Valens Augustæ cohortis Centurio, adeò viribus valens, ut quadrigas & carpenta obnitentibus licet equis sola injecta manu stiterit. (f) Fortes lacerti!

Obstupuêre Etrusci fuso Romanorum Exercitu, (g) dum viderent Horatium Coclitem solum & unicum totum Etruscorum agmen sustinere, donec post tergum pons abrumperetur sublicius, ut ita salvaret patriam, ne hostis transitum haberet, undè exclamaverunt: Romanos vicimus, ab Horatio victi sumus.

Grandis fortitudo, fortis dextera, magnæ vires, at comparatæ fortitudini nostrorum Custodum, idem erit, quod lutum comparatum Auro, vitrum adæquatum Adamanti, formica aut testudo collata Elephanto.

Citra mendacium & cum veritate dicere possumus, quod Exploratores Terræ Sanctæ cum grandi hyperbole de Gigantibus dixêre: *Vidimus Gigantes de genere Enacim, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* (h)

Stiterit sanè rotas curruum Julius Valens: An non Exodi 14. *Angelus Domini subvertit rotas curruum, ferebanturq; in profundum.*

Opposuerit sese generosè Horatius Hetruscis, ne transirent Tyberim: An non Angelus Domini opposuit se Pharaoni, ne transiret mare rubrum, *reversæq; aquæ operuerunt & currus & Equites Pharaonis, nec unus quidem superfuit ex eis.* Exod. 14.

Fortis fuerit gladius Scanderbegi, ac medios secuerit Othomannos, non gladio

(a) *Judicum c. 14* (b) *cap. 16.* (c) *cap. 15.* (d) *Ibid.* (e) *cap. 16.* (f) *Pontanus in bellariis.* (g) *Valer. Max. l. 3. c. 2.* (h) *Num. 13.*

gladio opus eſt Angelo; ſolus & unicus aſpectus Angeli id præſtare poteſt; Undè Daniel (a) viſo Angelo mox corruit, & ne quidquam virium remanſit in illo; expertæ ſunt & hoc Mulieres ſedentes contra ſepulchrum, quas ita terruit aſpectus Angeli, ut vix pedem retrò ferre potuerint, *aſpectus enim ejus erat ſicut fulgur*. Matth. c. 18.

Bovem quidem humeris ſuis per ſtadium tulit Milo, verùm Angelus Habacuc capillis prehenſum unà cum prandio per aëra in momento tulit, (b) à Judæa usque in Babylonem.

Fortis quidem Samſon, qui binas columnas, cui domus innitebatur Gazana, ambabus manibus concuſſit, at fortiter Angelus, cui, teſte Thomâ Aquinate, facillimum eſt cœlos & terram movere, urbes evertere, montes concutere, terræ motus excitare, maria concitare. Fortiter Samſon funes, quibus ligatus erat, ut fila rupit, fortius Angelus apparens Petro in carcere (c) non funes, ſed ferreas catenas, quibus vinctus ſervabatur, diſrupit, ac per portam ferream cum Petro penetravit. Fortiter quidem Samſon Leonem ut hœdum diſcerpſit, at fortior fuit Angelus, qui Dan. 6. non uni, ſed pluribus leonibus ora concluſit: *Miſit Dominus Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi*. Fortiter & glorioſè in ſola mandibula aſini Samſon mille Philiſthæos percuſſit, at quid hoc reſpectu Angeli, qui 4. Reg. c. 19. unâ nocte in caſtris Senacherib Regis Aſſyriorum centum & octoginta quinque millia occidit?

Undè Ludovicus Vives, præclarus Interpres voluminum Auguſtini, præclarè dicit in lib. 13. de Civit. c. 18. eat nunc humanum genus, & jactet ſuperbam ſuam infirmitatem. Magna quidem & obſtupeſcenda fortitudo fuit hæc Angeli, ſed major illa, dum unicus horum cœleſtium ſpirituum cœlum, & cum eo reliquos orbes cœleſtes, Solem, Lunam, planetas & ſtellas, velut per otium tot millibus annorum jam girat motu tam præcipiti, ut Sol unâ horâ 260000. milliarium germanicorum percurrat. O quàm lacertoſum erit brachium, quod immenſam hanc machinam absq; omni delatigatione girat? Non nobilis ſolùm, ſed & fortis etiam eſt cuſtodia veſtra, imò & vigilans.

Vigilantiam Angelorum quod attinet, eſt illa maxima, teſtatur id clarè D. Auguſtinus (d) dicens: Magna cura & vigilanti ſtudio adſunt nobis omnibus horis & locis ſuccurrentes & providentes neceſſitatibus noſtris. Hinc à Daniele c. 6. vigiles vocantur: & ecce vigil & Sanctus deſcendit de cœlo; à Zacharia verò cap. 4. Oculi Domini dicuntur: undè Richard Victorinus in Cant. ait: Angeli rectè vigiles dicuntur, quia vigilant & ſolliciti ſunt circa electos, ut defendantur in tentatione.

Oo Pluri-

(a) *Dan.* 10. (b) *Dan.* 14. (c) *Actor. cap.* 12. (d) *Auguſt. c.* 27. *Soliloq.*

Plurimùm extulit ſtulta & gentilis Roma Anſeres ſuos Junoni ſacros, qui, ut Auguſtinus l. 2. de Civit. c. 22. memorat, canibus dormientibus vigilabant, & Capitolii Arcem clangore ſuo à Gallis ſeu Senonibus hoſtibus defendebant; undè in æternam rei memoriam Urbs ſtulta Feſtum ſolemne Anſerum conſtituit, in quo canis, teſte Plutarcho, ob vigiliam neglectam in pœnam è trabe ſuſpendebatur, ècontra Anſer, utpotè vigilans cuſtos, holoſerico pulvinari floribus ornato inſidens populo oſtendebatur.

Solemnius Feſtum merentur noſtri Cuſtodes Angeli, qui, ut Bernardus aſſerit, (a) non dormitabunt neque dormient, centoculo Argo vigilantiores, nunquam dormientes, ſed ſecundùm Auguſtinum c. 27. Soliloq. ſuper muros civitatis tuæ vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis, ne quando rapiat leo animam tuam.

Quid exiſtimatis protendiſſe factum illud Jacobi Gen. 32. dum fugiens faciem fratris ſui Eſau obvios habuit Angelos, ac nomen loci illius vocavit caſtra Dei. *Jacob autem abiit in itinere, quod cœperat, fueruntq; ei obviam Angeli Dei, quos cum vidiſſet, ait, Caſtra Dei hæc ſunt, & appellavit nomen loci illius Mahanaim, id eſt, caſtra.* Obſecro, cur Angelos caſtra Dei vocat, an ob eorum multitudinem? quia non eſt numerus militum ejus? An ob fortitudinem, quia terribiles ſunt aſpectu, ut caſtrorum acies ordinata? Non, ſed ob vigilantiam, quia in caſtris continuæ die noctuque ſunt vigiliæ. Sic Angeli nobis dormientibus ſtant ſuper cuſtodiam ſuam, ac ut B. Laurentius Juſtinianus ait: (b) Ubique tanquam fidei comites nos tuentur, dormientes, ſtantes, & ambulantes, operantes & quieſcentes, comitantur nos in periculis, in laboribus, in infirmitatibus, in negotiis, in itineribus; exhortantur ad bonum, protegentes à malo.

O Spiritus cœleſtes, intelligentiæ nobiliſſimæ paradiſi, qui à cunis ad tumulum, à primo vagitu ad extremum ſpiritum & ſuſpirium nobis aſſiſtitis; pro nobis die & noctu excubatis, hoſtium inſidias depellitis, orationes & miſerias noſtras ad thronum Altiſſimi defertis, quam mercedem Tobiæ exemplo vobis dabimus, aut quid condignum præſtare poterimus beneficiis veſtris?

Vos eſtis, qui nos cum Tobia à rictu piſcis infernalis Behemoth jam jam non devoraturi millies ſervâſtis. Vos eſtis, qui nos cum Petro jam æternæ morti deſtinatos ex carcere peccati millies liberâſtis. Vos eſtis, qui nos cum Daniele ex lacu leonum perverſorum ſociorum extraxiſtis. Vos eſtis, qui nos cum Judith inter converſationem impiorum caſtos & incontaminatos reduxiſtis. Vos eſtis, qui nos cum 3. pueris in fornace ignis ardentis, in millenis occaſionibus proximis peccandi, ſervâſtis illæſos.

Quod

(a) *Bernard. Serm. 77. de Angel.* (b) *Laur. Juſt. l. de caſto con. c. 8.*

Quod millies cervix nobis non fracta, naufragio non absorpti, ab igne aut fulmine non læsi, à globis & gladiis hostium non perempti, à morbis non consumpti, à pestilenti aëre non suffocati, à sagis & veneficis non intoxicati, Angelicum est beneficium; hi nos euntes & redeuntes custodivêre; hi ora leonum obturaverunt, à mortis faucibus eripuerunt. Quid nunc cœlestibus his spiritibus condignum dabimus?

Magnus ille Constantinus, Nicephoro teste l. 7. gratus futurus Custodi suo è tot prœliis cum eruenti Michaeli, in utroque littore Euxini maris propè Constantinopolim in honorem ejus duo magnifica templa extruxit. Excedit hoc fortunas nostras, ac superat facultates.

S. P. Seraphicus Franciscus ad pietatem suam in D. Michaëlem contestandam, (a) in honorem ejus quadraginta dierum jejunio se maceravit. Superat hoc vires imbecilli corporis nostri.

Otho III. Romanorum Imperator, pœnitentiæ causa (b) in honorem Michaelis in Apuliæ montem Garganum nudis pedibus Româ usque per quinquaginta milliaria germanica perrexit. Peregrinatio nobis impossibilis.

Falco Juvenis Byzantinus, (c) quò magis veneratione & devotione devinciret sibi Angelum suum tutelarem, votum arduum, nunquam mendacium proferendi etiam cum vitæ dispendio emisit. Candidè servavit votum, & in extremo vitæ periculo, jam instante capiti ejus carnificis gladio, ab Angelo servatus est. Votum arduum, ab iis, de quibus Psalmista ait: Omnis homo mendax, difficulter observandum!

Collocârunt alii ante ædes suas statuam aut iconem Custodis Angeli; Gestârunt alii imaginem ejus in scutis, labaris ac vexillis: Recitârunt nonnulli novies Pater & Ave, ad honorandas novem cœlestes Angelorum Hierarchias; Oscula novena quidam terræ imprimunt: distribuunt alii totidem eleemosynas: alii in gratiam cum inimico redeunt, memores, quod toties secum Angeli in gratiam denuò redierint. Quid igitur nos dabimus? quo honore Angelos nostros custodes præveniemus?

Me consultore melius nihil præstabitis, quàm si gaudium Angelis faciatis. Sed dicetis, quomodo hoc fiet? Respondet vobis S. Augustinus c. 27. Soliloq. Quoties benè agimus, gaudent Angeli, & tristantur dæmones; quoties à bono deviamus, diabolum lætificamus, & angelos suo gaudio defraudamus: per seriam ergò conversionem vestram, Evangelio teste, (d) gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Nec unum solùm, sed multiplex est gaudium Angelorum. Lætantur, dum ex atrocitate pœnarum infernalium nos subtrahunt,

(a) *Bonavent. in vita* (b) *Petrus Damian.* (c) *Franc. Xim. Patriarch. Jerós. l 3. c. 8.* (d) *Lucæ cap. 16.*

hunt, & nomina nostra ob peccata deleta iterùm libro vitæ inscribunt, nec interest liberari nos jam in inferno positos, aut paulò pòst illuc ponendos.


Lætantur, dum Christus per peccata nostra in nobis prius occisus, iterum de novo nascitur, ac gloriam lætantes canunt in Altissimis Deo. Ita Alb. Magnus.

Lætantur, quia anima nostra domicilium Dei, à diabolo prophanatum, & spelunca latronum factum, iterum expurgatur & reconciliatur, ac dedicatur noviter Deo.

Complectitur paucis gaudium Angelorum Bonaventura, dum in Lucam ait: Gaudent Angeli de pœnitentia hominis peccatoris, quia destruitur culpa, restituitur justitia, confutatur dæmonum superbia, efficax efficitur Angelorum custodia, reparatur Ecclesia, placatur ira divina, & restauratur Jerusalem superna, dum amissæ sedes rebellium spirituum novis colonis pœnitentium hominum iterum replentur.

Meliùs igitur sanctos Angelos colere non valemus, quàm si conversione nostra eos gaudere faciamus, ad quod nos unicè hortatur Bernardus super Epist. 1. Pauli ad Hebræos dicens: *Angelos exultare facimus, quando conversi sumus ad pœnitentiam; festinemus complere eorum gaudium, ac de nobis lætitiam.* Væ tibi, pergit hic S. quicunque es, qui deliberas redire ad lutum, reverti ad vomitum; putasnè placatos habebis eos in judicio, quos tanto & tam sperato privare vis gaudio?

Agnoscamus igitur omnes, ut nos admonet Laurentius Justinianus, Protectores & Custodes nostros, efferamus illos laudibus, frequentemus precibus, votis amplectamur, devotione inclinemur, & per emendationem vitæ eos lætificemus. Nil addo, quàm ut eorum suffragia adhuc semel pro omnibus implorem, ac omnium voce exclamem cum S. Sophronio: O vos Angeli & Archangeli, cœtus cœlestis, corona impenetrabilis, phalanx præstantissima, multitudo immensa, exercitus innumerus, chorus incomparabilis, succurrite nobis in tremendo judicio.



IN

IN FESTO SERAPHICI P.N. FRANCISCI.



Auxilio adjutus Dei, usq; in Hodiernum diem sto. Act. 26.

TOtum Orbem, quà latè patet Oriens, obstupefecit admirandus ille Simeon, dictus Stylites, (a) dum Theodosio Juniore Imperante, novâ ac prioribus sæculis inauditâ vivendi formâ, à terrâ totus segregatus, Columnam 36. vel, ut alii volunt 40. cubitorum altam conscendit, in eaq; velut Angelus terrestris, Divinæ Contemplationi vacans, omnibus injuriis Cœli expositus, sine alimento propè ac somno, per

(a) *Baronius Anno Christi 432.*

no, per ipſos 80. annos, ut annotat Baronius, ſtetit immobilis. Portentum ſæculorum, ut eum vocat Cornelius in c. 8. Iſaiæ.

Concurrêre ad eum turmatim Perſæ, Armeni, Medi, Scythæ, Aethiopes, Reges ac Principes, ut Portentum hoc Sanctitatis oculis ſuis cernerent, ac deſideratam benedictionem reportarent.

Diſcipulos plures numeravit admirandus hic Virtutum Magiſter; (a) Theodorum, Julianum Jacobum, Danielem & Simeonem Juniorem, omnes Stylitas dictos.

Septingenti interim & plures poſt mortem Sanctiſſimi Magiſtri interceſſerunt anni, cùm tandem unum eſt nactus diſcipulum adeò docilem, ut & ipſiſſimum, quà miraculis, quà virtutibus ſuperarit Magiſtrum, qui jure optimo thematis mei verba uſurpare poteſt: (b) Auxilio adjutus Dei, uſq; in hodiernum diem ſto.

Quis eſt hic, & laudabimus eum? verè non alius niſi glorioſus & Seraphicus Pater noſter Franciſcus jure meliori quàm Simeon dicendus Franciſcus Stylites, alterum Occidentis admirandum & ſtupendum ſanctitatis portentum.

Steterit enim Simeon ille vivus ad 80. annos in Columnâ ſuâ immobilis Portentum Orientis; At quis ſatis obſtupeſcat, ait Thomas Bozius l. 15. fig. 65. Franciſcum non per 80. ſolùm, ſed per 4. jam ſæculo Corpore etiamnum integro & erecto, nullus humanæ induſtriæ fulcris innixum, ſolâ divini Spiritûs vi ſuſtentatum, facie tota, oculis & manibus junctis, in cœlum ſemper intentum perſtare, alterum Occidentis admirandum Sanctitatis Portentum.

Teſtem hujus ſtupendi miraculi produco Vobis Oculatum omni exceptione majorem, Nicolaum V. Rom. Pontificem, qui ducentis ac viginti tribus annis poſt obitum S. Franciſci, cum anno 1449 degeret Aſſiſiis, tenerâ devotione in Sanctiſſimum Patriarcham ductus, nocturno tempore tribus ſolùm ſociis, Uno Cardinali, Epiſcopo, ac Secretario aſſumptis, (c) comitante eos P. Guardiano Loci illius, per quoſdam gradus marmoreos ad ſacellum ſubterraneum deſcendens, aperto ferreo Oſtio, 3 catenis ac ſeris firmato, ſuis oculis vidit Sancti Corpus ſuper Baſen ſeu columnam marmoream ſtans, per bina ſæcula in pedes erectum, ac ex impreſſis vulneribus recentem ſanguinem ſtillans.

Scripſêre de admirabili hac ſtatione Lucas Waddingus, Franciſcus de Baucio Dux Andriæ, Henricus Sedulius, aliiq; complures.

O Portentum inauditum mundo devictam mortem demonſtrans, O donum ſingulare, O gratiam ſpecialem Humili Franciſco conceſſam!

Plures quidem in Orbe videre licet Sanctos, quibus miraculoſè conceſſum à Deo, in terram & pulverem non redigi.

Ita

(a) *Raderus in Virid. Ss. p. 3.* (b) *Actorum c. 26.* (c) *Wading. An. 1230.*

Ita Goæ in Indiâ videbitis S. Xaverium. Bononiæ in Italiâ Catharinam Bononiensem.

In Angliâ S. Eduardum.

In Galliâ S. Sigebertum. (a)

In Poloniâ S. Casimirum.

In Siciliâ S. Rosaliam.

In Belgio S. Amandum Episcopum Ultrajectensem.

Florentiæ in Hetruria Andream Corsinum Episcopum Fesulanum.

Venetiis Laurentium Justinianum.

Romæ S. Cæciliam.

Leodii S. Hubertum Episcopum Leodiensem.

Viterbij S. Rosam.

In monte Falcone deniq; B. Claram.

At jacent & requiescunt omnes in Domino, aureis & argenteis loculis inclusi, nulli tamen horum stare concessum; solus Franciscus prærogativâ hac admirandâ gaudet, obstupescendus post mortem Stylita, utpote qui auxilio Dei adjutus usq; in hodiernum diem stat immobilis.

Auditores Humanissimi! Ego hodiernâ die relictis cunctis admirandis Virtutibus hujus Sancti, transmissis portentosis ejus miraculis, totus in hoc ero, ut causas indagem stationis tam admirandæ, & cum me nullo modo sufficientem agnoscam, pro quæstione tam difficili enodanda, consulam Historicos, Ascetas, Theologos, Philosophos, Concionatores ac Poëtas, si quo modo causam genuinam stationis tam admirandæ deprehendere queam; Patientiæ interim Vestræ negotium totum recommendans.

Historicos si interrogemus, dicent illi, Franciscum videri sibi nondum mortuum: probare id contendent ex admirando Epitaphio quod Anno 1228. Sancto huic posuit Gregorius IX. Summus Pontifex, ubi hæc Verba leguntur.

Viro Seraphico, Catholico, Apostolico,

Francisci Romani celsâ humilitate conspicui, Christiani Orbis fulcimenti, Ecclesiæ Reparatoris, Corpori nec viventi, nec mortuo, Christi Crucifixi plagarum clavorumq; insignibus admirando; Papa novæ Fœturæ collacrymans, lætificans & exultans Jussu, Manu, Munificentia posuit

Anno Domini MCCXXVIII 16. Kalend. Aug.

Ante Obitum mortuus, post Obitum vivus.

Credent ergo illi Franciscum dulci solum & extaticâ contemplatione correptum ad modum Anachoritæ illius, de quo Veterum Patrum historia memorat; (c) cum super Psalmo 89. meditaretur, ac ad illa verba devenisset: *quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit*, nec sensum caperet Verbo-

(a) *Beirlink Tit Cadav* (b) *Sedulius Hist. Seraph Wading. An. 1230.*
(c) *Spec. exempl. V. cœlestis gloria Ex. 14.*

verborum, submissam à Deo cœlitus aviculam, quæ cantus sui admirandâ suavitate allectum, per 100. annos continuos in solitudine circumduxerit: Exemplo id firmarent 7. fratrum dormientium: (a) Maximiani, Malchi, Martiani, Dionysii, Joannis, Serapionis & Constantini, qui Ephesi anno 430. sub Decio fugientes, in speluncâ usq; ad Theodosii tempora, id est annis 180. dormiverê, Nicephoro & Baronio testibus.

Verùm ratio ista non placet, cum contrarium doceant Annales Ordinis nostri, (b) in quibus refertur, Franciscum graviter ægrotantem deportatum in Ecclesiam Mariæ de Angelis, cumq; fratres ad paupertatem aliasq; virtutes cohortatus psalmũ illum decurreret: Voce mea ad Dominum clamavi, ad versiculum illum, me exspectant Justi, donec retribuas mihi sanctissimam efflasse animam 4. Nonas Octobris 1226. Ad alias igitur rationes est procedendũ.

Si Ascetas interrogemus, dicent illi, causam non aliam stationis hujus existere, quàm rigidissimam paupertatem Francisci, quâ terram cum gemmis, auro & argento generosè calcavit; (c) Nam Augustino teste, divitiæ elevant nos, si sunt infra nos, & demergunt nos, si sunt super nos: Confirmat hoc Minutius Felix in Octavio dicens, proprium est paupertatis sublevare, divitiarum autem auri pondere deprimere: at de Francisco testatur Bonaventura, (d) Nemo tam auri cupidus, quàm ipse sanctæ paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior ullus, quàm iste hujus Evangelicæ Margaritæ: expertus est id cum stupore Soldanus Babylonius, aurum, gemmas Sancto offerens, quæ tamen omnia, ut lutum platearum calcavit Sanctus. Unde optimè ait Gregorius Nazianzenus Orat. 12. qui in mundo nihil habent, supra mundum existunt; nihil habuit Franciscus, qui aurum ut lutum, gemmas ut spumam maris, honores ut fumos reputavit; dignus igitur, ut qui terram vivus cum omni pompâ calcavit, calcet & eam mortuus. Optimè ad mentem Ptolomæi in præfatione Almagesti dicentis: ille inter homines altior est mundo, qui non curat, in cujus manu sit mundus. At fuerê & alii paupertatis amatores, contemptores sæculi, cur non & illis facta hæc gratia?

Si Philosophos & Astrologos rogemus, quæ eorum mens in quæstione hac difficili; attribuent illi stationem hanc admirandam Ignoto Naturæ Magnetismo, qui corpus Sancti in aëre suspendat, ac occultâ Sympathiâ sursum trahat.

In probationem allegabunt Arcam illam marmoream; (e) in quâ Gor-

(a) *Baronius ad annum 253. Metaphrast. Raderus in Virid.* (b) *Chronic. Ord. Wading. A 1226.* (c) *Aug. serm. 176. de temp.* (d) *Bonav. in Vita.* (e) *Beyerlink V. Cadaver.*

corpus Voltherij Patriarchæ Aquilejensis spectatæ sanctitatis viri conditum, quæ nullo adminiculo fulta in aëre visa est pendere.

Aut Tubam Mahometis, quæ Meccæ in Arabiâ felice occulta vi Magnetis in aëre pendula cerni dicitur: At figmento huic apertè contradicunt Wadingus ac Bozius de sig. Eccl. reclamantes, Franciscum nullis industriæ fulcris innixum, solâ divini Spiritus vi sustentari.

Si Theologos interrogemus, ut & ipsi speculationes suas nobis de statione hac depromant: Respondebunt jussu Numinis stare Humilem Franciscum loco superbi illius Cherub, qui Isaiæ 14. dixerat in corde suo, *in Cœlum conscendam, super Astra Dei exaltabo solium meum*, cui tamen mox responsum, *quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris*? Verificatem proindè in Francisco, quod Job 34. scriptum: *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*, ceciderunt enim illi Psalmista teste Psal. 35. *qui operati sunt iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare.*

Aut dicent, Privilegium hoc concessum Francisco in reverentiam corporis ipsius à Seraphino per contactum sanctificati, neq; decuisse quinq; ipsius obstupescenda vulnera terrâ oblitterari, æquum esse, ut qui vivus amore arserat ut Seraphin, & mortuus exemplum eorum imitetur, atq; more eorum stet ante thronum Dei. Tobiæ c. 12. Sed Pace vestrâ, an non melior & proportionatior locus foret ipsum cœlum?

Vos Poëtæ Amœni ingenio, quid statuitis de statione hac exoticâ? quæ mens vestra? Recurrunt Poëtæ ad Metamorphoses suas, ac pro responso objiciunt oculis nostris tres statuas considerandas.

Unam Memnonis positam Thebis in Templo Serapidis, (a) quæ quamprimum manè solis radiis est tacta, (b) mox suavem sonum & concentum emittebat.

Alteram Niobe Thebarum Reginæ, (c) quæ ubi ab Apolline uno die filios suos ac filias duodecim numero, sagittis interemptos inaudiit, mœrore contabescens in saxum dirriguit, cladem filiorum continuis lachrymis ad montem Sipylum deplorans.

Tertiam deniq; Uxoris Loth in salis statuam conversam Gen. 19. *respiciensq; Uxor ejus post se, versa est in statuam quandam salis*, incredibilis animæ memoria, stans figmentum salis Sap. c. 10.

Existimant ergò Poëtæ & Franciscum à Diis per Metamorphosin in statuam quandam transformatum stare huc usq; toti Orbi admirandum Portentum.

Admitto Metamorphosin sacram, ac ultrò fateor, Franciscum Sal extitisse, & quidem adeò nobile, ut eo insipidum mundum condire voluerit Altissimus.

Fateor simile quid habere Franciscum

(a) *Pausanias.* (b) *Ravisius Textor.* (c) *Ambrosius Calepinus Literâ N.*

ſcum cum Uxore Loth, dum natus, mortuus, & inſepultus ſtat, ut illa.

Fateor, fuerunt & Franciſco lachrymæ panes die ac nocte, quibus non ſolùm ſua, ſed & aliena errata deflebat, non ſine periculo cœcitatis, non tamen in ſaxum ut Niobe obriguit.

Quod ſi tamen ſtatua eſt Franciſcus, non alia erit quàm Memnonis, quæ à Solis ortu uſq; ad occaſum laudem ſui Creatoris decantavit; juxta Antiphonam in Laudibus: (a) *Laudans laudare monuit, laus illi ſemper adfuit, laus inquam Salvatoris; invitat aves, beſtias & Creaturas alias ad laudem Conditoris.*

Si deniq; ſtatua eſt Franciſcus, Charitatis erit ſtatua, quam amor ſeraphicus ſculpſit, ad quod alludere viſus eſt Joannes Franciſcus Picus Mirandulæ Princeps, qui nummum aureum cudit, in cujus una parte cernebatur effigies Principis, in alterâ verò Franciſci, adjecto Lemmate: Amoris Miraculum. Sit ergo Franciſcus amoris prodigium, ſal univerſæ terræ; ut Niobe diffluens in lachrymas, ſit ſtatua Memnonis ſemper & ubiq; Laudem Conditoris reſonans.

At hæc cuncta difficultatem ſtationis non elucidant aut ſolvunt.

Ad Vos proinde Concionatores plurimùm Venerandos me verto, ac ſtationis hujus cauſam reſolvi poſtulo.

Reſpondent Divini Verbi Precones cum Pſalmiſtâ Pſal. 1. Ideo ſtare Franciſcum, quia *in viâ peccatorum non ſtetit*, nam Juſtino teſte de ritibus Eccleſiæ, Ritus ſe proſternendi in terram denotat Lapſum, ſtare autem erecto corpore ſtatum indicat innocentiæ, unde rectè Hieronymus ad Damaſum ait: *ſtare Juſtorum eſt, jacere autem peccatorum.*

Reſpondent ſecundò: Ideo ſtare Franciſcum, ut confundat Amatores mundi, dum Sap. 5. *ſtabunt Juſti in magnâ conſtantiâ adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt & abſtulerunt ſudores & labores eorum.*

Stare juxtà præceptum Chriſti fune ſuccinctum lumbos, exſpectantem Dominum, donec revertatur à nuptiis Luc. 12.

Stare ut Aheiſmum ex cordibus pellat eorum, qui poſt mortem unum jumentorum & hominum exiſtimant eſſe interitum. Eccleſ. c. 3.

Stare inſtar Columnæ juxtà quod Apoc. 3. dicitur, qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, vicit Franciſcus, triumphavit de mundo, debellavit carnem, proſtravit Sathanam.

Stare deniq; more Vigilis ſuper Cuſtodiam ſuam, Habacuc 2. ne lupi rapaces invadant ac dilacerent gregem.

Rationes non diffiteor, ſunt Ingenioſæ, ſacræ, plauſibiles, at ſcopum nondum attingunt.

Genuinam cauſam ego non reor eſſe

(a) *Breviar.*

esse aliam, quàm concertationem quandam inter Cœlum & terram de Corpore Francisci similem illi alterationi, quæ accidit circa corpus Moysis sepliendum, ut legimus in Ep. Cathol. S. Judæ Apostoli.

Contendebant Cœlum: Homini, qui terram cum omni pompâ calcasset, qui humilitate suâ se infra cunctas creaturas demisisset, dicendum necessariò: (a) *Amice ascende Superius.* Hominis illius Corpus, cujus vivi conversatio semper erat in Cœlis, necessariò etiam post mortem assumendum in Cœlum. Addebat dedecere corpus tactu Seraphico sanctificatum terrarum sordibus pollui, ad quid in terra retineatur paupertatis sponsus, Patientiæ Professor, Veritatis Preco, Sanctitatis speculum, totius Evangelicæ Perfectionis forma & Exemplar? Et cum paupertas in mundo locum non inveniat aut diversorium, recipiendum ad æthera necessariò pauperem Franciscum.

Terra econtra retinere volebat Pastorem & Custodem suum; Venientes enim timebat lupos, ne invaderent pauperculum Gregem.

Objiciebat idem terra quod Antiocheni Imperatori Leoni, quando adduxerunt ad Urbem suam sacratissimum corpus Simeonis Stylitæ, (b) ac Leo illud Constantinopolim transferre fatagebat; quia muris ajebant orbata est Civitas, quos furor Cæsaris dejecit, ideò adduximus corpus hoc sanctum, ut sit murus noster & antemurale; gravissimum igitur nobis accidet sacro hoc pignore & asylo orbari; ad modum hunc lamentabantur derelicti Francisci filii, ajebant proinde sufficere Christum in cœlis gloriosa monstrare vulnera, in terris exinde memoriam eorum non abolendam, stet in Cœlo Prototypon Christus, in terris remaneat similitudo ejus Franciscus.

At Deus decidit litem, ac neutri adjudicavit, sed jussit, ut in aëre pendulus pro terra ad Deum intercedat; ut sit Athlas, qui ruenti Orbi, uti olim Lateranensi Ecclesiæ supponat humeros.

Hinc Wadingus dum stationem hanc describit, ait facie totâ, oculis ac manibus junctis in Cœlum semper intentum supplicantis in modum stare erectum.

Nec frustra monumento ejus incisa sunt Verba ea Christiani Orbis fulcimento: Unde Doctissimus Mansi Tom. 4. tract. 87. D. 7. ait: Seraphicus Pater mundo ostendere velle videtur, illum se non solùm orationibus, verùm etiam corpore suo Athlantis instar sustentare: nec hoc abs re, teste enim Hieronymo in Verba illa Job. c. 9. *Sub quo curvantur, qui portant Orbem,* Sancti portant Mundum; dum eum, ne ruat ac pereat, Orationum fortitudine sustinent.

Interiisset funditus Urbs Venetiarum, uti jam Anachoritæ cuidam in Insula

(a) *Luc. 14.* (b) *Niceph. lib. 14. c. 51.*

Insula Corfu degenti divinitùs revelatum erat, nisi Sanctissimi Patriarchæ Laurentii Justiniani precibus ab interitu fuisset præservata. Spec. Exempl.

Actum fuisset de urbe Turone Anno 845. à Hastingo duce Nortmannorum obsessa; nisi Cives rebus desperatis S. Martini Corpus ex tumulo rapientes hostibus id apposuissent: tanta enim formido ac panicus timor obsessores invasit, ut mox turpi fugâ obsidionem solverint. Baron. ad annum 845.

Desperatum erat de Urbe Nisibi, quam sapor Persarum Rex obsederat, igni & ferro eam devastaturus, nisi oratione Jacobi loci illius Antistitis exoratus Deus innumera agmina muscarum ac culicum in Exercitum imisisset, à quibus Elephantes & Jumenta in furorem & rabiem acta, universum hostilem exercitum in confusionem & fugam præcipitem compulêre. Theod. l. 1. c. 7.

Justi ergò & Sancti sunt Bases, sunt fulcra, sunt scuta, sunt columnæ Urbium, Provinciarum & Regnorum, ne ruant, aut exitium patiantur: mitigant hi iram Dei, irato se se opponunt Numini, ac tela excutiunt armatæ Justitiæ, ne ferire queat; Unde Ruffinus Præfat. in Vit. P.P. ait: quis dubitet mundum precibus stare Sanctorum, ac ne ruat deprecatione fulciri Justorum?

Adesto proinde Bellis quassata, discordiis exagitata, Viribus enervata, ferro & igne devastata misera Europa: age desolatos tuos oculos attolle; gaude & exulta, quia hodie Magnum nacta es Patronum, Intercessorem potentem, Advocatum inciytum, Stylitam admirandum, Athlantem fortissimum, qui mundum humeris suis, ne ruat, bajulat & sustentat: ne metuas, hic medebitur tui.

Si enim benedicti Crines Francisci, (a) à Medico olim pro cœmento adhibiti, ruentem Domus Machinam conglutinarunt, quid ni & intercessio Sancti fatiscentem & ruentem conglutinet Europam.

Si olim Franciscus inter animo efferatos Principes, Episcopos & Gubernatores Italiæ pacis fœdera sancivit, quid ni efficere precibus suis queat, ut & inter Germaniæ ac aliorum Regnorum Principes Pax aliquando firma coalescat, & sit cor unum & anima una.

Si olim Franciscus Arezij truculentos dæmones super mœnia civitatis tripudiantes, ac populum ad cædes & strages instigantes in fugam egit; agat & in fugam illos infernales genios, qui hactenus in Europa tot turbas, tot bella, tot dissensiones excitârunt.

Si olim visus est Franciscus à S. Paulo gladium mutuari, (b) qui altera die sanguine respersus in fenestra Ecclesiæ apparuit; stringat & hunc in hostes Imperii ac Ecclesiæ.

Si Eugubii ferocem lupum grandia damna

(a) *Chronica Wading. An. 1225.*

(b) *Platus de bono Status Rel. cap. 31.*

damna civibus inferentem cicuravit, ponat & circulum in navibus truculenti canis Turcici, ac dentes, ne amplius mordeat Hungariam, ad unum omnes excutiat.

Age! Sanctissime Patriarcha, qui volucribus cœli olim adeò benignè benedixsti, age benedic etiam & Romanam Aquilam, quam rapaces vultures rostris & unguibus suis impetunt, da ut hæc in altum se elevet; subditos suos sub umbra alarum suarum in pace & concordiâ protegat, apprehende arma & scutum, & expugna impugnantes eam.

En humili mente ac contrito corde advolvitur Sanctissimis pedibus tuis afflicta Germania, demisissimè sacra tua stigmata deosculans, & rogat, ut Sequester ac medius velut olim Moyses inter populum desolatum & afflictum ac Deum ad iracundiam nostris sceleribus & peccatis provocatum esse digneris. Sta pro populo contrito, mitiga precibus tuis justissimam iram in nos conceptam, eripe promeritas Virgas & flagella Justitiæ, ae ostensis sacris tuis Stigmatibus, irato nos reconcilia Numini. O Stylita admirande, ora pro nobis ad Dominum.

Finio sermonem, & verbis Hilarionis salutantis Magnum Antonium saluto & ego Patriarcham meum ac dico. (a)

Pax tibi Columna Lucis, quæ sustines Orbem terrarum.

(a) *In Vitis PP. lib. 15. cap. 17.*



IN FESTO SS. APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.



Vos Sæcli justi Judices, & vera Mundi Lumina.

O Torquati! ò Epaminondæ! ò Othones! o Hippomenes! ò Bogores! ò Irenes! ò Clotharii! ò Sigismundi! ò Solymani! quid fecistis? quid egistis? Naturæ jura & sanguinis paterni obliti, quàm lamentanda Orbi spectacula exhibuistis?

Vidit & spectavit lachrymantibus oculis Exercitus Romanus à Manlio Torquato consule, (a) proprium Filium, licet Victorem contra Samnites, quia

(a) *Livius Valerius Max l. 2.*

quia inconſulto parente pugnaverat, ſecuri cœſum. Valer. Max. lib. 2.

Obſtupuêre Thebæ Steſumbrotum Epaminondæ Thebanorum Ducis filium, quia cum Spartanis contra edictum Patris conflixiſſet, miſerè decollatum Plutarch.

Expalluit Italia, dum vidit amores Othonis III. Imperatoris in ardores & flammas erupiſſe, dum amoris conjugalis oblitus, (a) Mariam conjugem Aragonum Regis filiam, in furtivis amoribus deprehenſam, manu Carnificis ferali rogo incinerandam injecit. Baron. anno 998.

Cohorruêre Athenæ ad Tragœdiam illam, (b) quàm populo ſpectandam dedit Hippomenes Athenarum Princeps, (c) dum infelicem filiam ſuam Limonem in adulterio deprehenſam unà cum feroci equo tetro carceri incluſit, ubi tandem miſera ab equo, pabuli inopiâ in rabiem acto, in partes diſcerpta, ac majori ex parte devorata eſt.

Illacrymata eſt Francia triſti ſpectaculo, ubi à Clothario Rege, Chramnum filium acie victum cum uxore & liberis ſpectavit in caſa ruſtica, injecto igne in cineres actum! Fulgoſus l. 5. c. 8.

Conſternata eſt Bulgaria & Conſtantinopolis, ubi aſpexit (d) à Bogore Bulgarorum Rege, (e) & Irene Orientis Imperatrice propriis filiis expuncta lumina ac æternam noctem inductam.

Burgundia & ipſa Turcia infremuêre, (f) ubi à Sigismundo & Solymanno propria pignora ſtrangulata aſpexêre; funera infelicia!

Feralia hæc & terribilia judicia èxtitêre, non ob gravitatem pœnarum, aut tormentorum ponderanda, ſed potius quia parentes & conjuges, qui Advocati, Patroni & defenſores eſſe debebant, ſepoſito omni affectu paterno & conjugali, in Carnifices, lictores & accuſatores abiêre.

Horremus iſta & ad audita animo concutimur, at longè durius magiſque metuendum judicium capitibus noſtris imminet, ubi aliquando Patroni noſtri evadent ſeveri Judices, ubi ſpes noſtra nos confundet, ubi Aſylum noſtrum mutabitur in ferale theatrum perditionis.

Ubi Sancti conſurgent adverſum nos, ac condemnabunt ſocordiam & negligentiam noſtram: dum Feſta & Solemnitates eorum toties celebramus, facta tamen & præclara exempla eorum nunquam imitamur.

Væ nobis, quia non ſolùm Regina Auſtri aut Ninivitæ, ſed & Apoſtoli ipſi conſurgent adverſum nos, judicantes 12. tribus Iſrael.

Dum itaque plura de feſtorum celebratione ac imitatione Sanctorum peroro, patientiam veſtram imploro.

Præclarius nemo de feſtis Sanctorum locutus eſt, aut ſcripſit Bernardo Abbate, dum ſerm. de Vigil. Apoſt. Pet. & Pauli ait *Tria ſunt, quæ in feſti-*

(a) *Baronius anno 998.* (b) *Beirlinck Tit. Crud.* (c) *Ovidius in Ibin.* (d) *Baronius ad annum 845.* (e) *Fulgoſus l. 5. c. 8.* (f) *Greg. Tur. l. 3. c. 5.*

in festivitatibus Sanctorum vigilanter considerare debemus! Auxilium Sancti, Exemplum ejus, & confusionem nostram.

Hæc causa erat, cur Ecclesia festa instituerit Sanctorum; ut scilicet manum nobis auxiliatricem porrigerent; ut in illis; tanquam in speculo contemplaremur præclaras virtutes eorum, ac imitaremur vestigia Sanctitatis: tertiò demum, ut videntes quàm longe à perfectione eorum absimus sanctè confundamur, sacroque timore percellamur, ne aliquando Sancti qui patroni nostri esse deberent, existant severi nostri Judices.

Quod verò attinet ad auxilium & intercessionem Sanctorum, non est angulus propè in orbe, qui id non loquatur ac testetur.

Testantur hoc sacri Ecclesiarum Codices ac registra, in quibus millena descripta sunt & annotata beneficia, Intervenientibus Sanctorum precibus miseris de cœlo impetrata.

Testantur Thavmaturgam & auxiliatriem manum eorum innumera sacra Anathemata ad altaria & sepulchra eorum à fidelibus suspensa.

Clamant hoc ligna & lapides templorum; quæ Reges & Principes in honorem Sanctorum ob varios favores & acceptas gratias munificentiâ regiâ extruxêre.

Testantur hoc demum Textus multiplices Scripturæ ac SS Patrum.

Job c. 5. jubetur desolatus Job de cœlo qaærere solatium: *voca ergò si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.*

Apostolorum Princeps post mortem suam omnem opem spondet Ecclesiæ dicens. 2. Pet. 1. *Certus quod velox est deposito tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster JESUS Christus significavit mihi! dabo autem operam & frequenter haberevos post obitum meum, ut & horum memoriam faciatis*, quod idem est, ex mente Bellarm, dabo operam, ut crebrò vestri sim memor apud Deum, eumque pro vobis orem; ut horum monitorum meorum memoriam vobis refricet. Ita Salmeron. Petrus Damiani, Suarez Bellarminus lib. 1. de SS. c. 18. censent.

Jeremiæ c. 15. iratus Dominus ob scelera Jerosolymæ, non solùm intercendentis Jeremiæ preces ad Dominum rejecit, sed ad eum expressè ait: *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*; quasi diceret, ob scelera eorum sum hac vice totus inexorabilis, ita ut ne quidem preces duorum mihi amicissimorum servorum, qui hactenus semper pro populo intercesserũt, sim admissurus.

Machab 2. cap. ultimo vidit Judas Machabæus Oniam Pontificem manus in cœlum levantem, ac simul Jeremiam Prophetam pro populo orantem & intercedentem, cujus vultum cum non agnosceret Machabæus, dixit ei Onias: *hic est qui multum orat pro populo & sanctà Civitate Jerusalem Jeremias Propheta.*

Unde

Unde antiquissimus Origenes hom. 3. in Cantica ait: Omnes Sancti, qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & juvare eos precibus suis atque interventu suo apud D., non erit inconveniens: Scriptum namque est in Machab: libris ita: Hic est Jeremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo. Imò doctrinam suo exemplo sanciens in sua lamentatione, omnes Sanctos invocat his verbis: Incipiam me genibus prosternere & deprecari universos Sanctos, ut mihi non audenti petere Deum propter nimietatem peccati succurrant. Hæc ille in Tractatu, qui inscrib. Threni.

S. Basilius M. hom. 20. de 40. MM. dum merita & favores eorum considerat, ait: Hi sunt, qui nostram obtinentes regionem, quasi quædam turres contra Adversariorum incursum, refugium exhibent: Concludit denique hom. his verbis: qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat; qui rursus lætatur, hos oret, hic ut à malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis.

S Gregorius Nissenus Orat. in laudem S. Theod. M. circa finem: Cum Scytharum gens barbara in Oriente omnia depopularentur, S. Theodorum Mart. clarissimum Orat. ut barbarorum furorem avertat, ita dicens: multorum beneficiorum egemus; intercede ac deprecare pro Patria apud communem Regem ac Dominum; timemus afflictiones, exspectamus pericula, non longè absunt scelesti Scythæ bellum adversum nos parturientes; ut miles pugna pro nobis, ut Martyr pro conservis, ne conculcet sancta profanus & impius: quod si majore etiam opus fuerit advocatione & deprecatione; Sanctissimorum tuorum Martyrum coge Chorum, admone Petrum, excita Paulum, Joannem item Theologum ac discipulum dilectum, ut pro Ecclesiis, quas constituerunt, sint solliciti. Hæc ille.

August. in lib. medit. c. 24. felices S. Dei omnes qui jam pertransistis hujus mortalitatis pelagus & pervenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, obsecro vos per vestrã charitatem, estote jugiter memores nostri, subvenite nobis miseris, qui adhuc in salo hujus vitæ circumstantibus agitamur procellis; intercedite, orate constanter atque indesinenter pro nobis miseris multumque negligentibus peccatoribus.

Unde non satis admirari possum impudentiam & perfrictam frontem Calvini Instit. Christ. l. 3. c 20. §. 24. scribere ausi, quis Sanctis eousque longas esse aures revelavit, quæ ad voces nostras porrigantur; oculos tam perspicaces, qui necessitatibus nostris invigilent? quid eructas Stigmatica bestia? responde prius, qu's Stephano oculos ita acuit, ut inter lapides concava cœli penetrans, quo nullus tubus opticus pertingere valet, viderit filium hominis stantem à dextris Dei Act. 7.

Quis Angelo Raphaeli aures & oculos aperuit, ut de ſummo cœlo audiret orationem & gemitus Sacræ videretque opera miſericordiæ, quæ ſenior Tobias quotidie in mortuos operabatur, ut ipſe Tob. 12. teſtatur: *quando orabas cnm lacrymis & ſepeliebas mortuos; & derelinquabas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.*

Nunquid Sancti in Cœlis, Angelis conditione ſunt deteriores, de quibus tamen Salvator dicit: *erunt ſicut Angeli Dei.*

Viderunt Prophetæ in terris, & intellexerunt abſcondita cordium, & hæc gratia negetur Sanctis in cœlis? Ponderans hoc Auguiſtnus cum l. 22. de civit. Dei c. 19. diſputaſſet in verba illa 4. Reg. c. 5. nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tibi? præclarè concludit: ſi Eliſæus abſens vidit Giezi famulum ſuum occultè munera à Naaman Syro recipientem: multò ergo magis Sancti in cœlis abſentia & remota, quæ in terra fiunt, cernere poſſunt.

Teſte enim S. Petro Damiano Epiſt. ad Blancam: *Sancti in ſapientia, cui uniti ſunt omnia ſciunt, in omnipotente omnia poſſunt.*

Habuerunt Sancti in terris gratiam patrandi mira & auxiliari miſeris, auxilium eorum implorantibus, nunquid in cœleſti gloria hanc gratiam perdidêre, nunquid charitas eorum & ſollicitudo eſt extincta in cœlis? hoc argumento utitur S. Hieron. c. 3. contra hæreſiarcham Vigilantiam: dicis, inquit in libello tuo, quod dum vivimus mutuò pro nobis orare poſſumus: poſtquum autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio, præſertim cum MM. ultionem ſui ſanguinis obſecrantes impetrare non quieverint: ſi Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti potuerunt orare pro cœtris, quando pro ſe adhuc debebant eſſe ſolliciti, quanto magis poſt coronas, victorias & triumphos intercedent? hinc Auguſtinus ſerm. 29. de SS. Apoſt. Petro & Paulo: ſi opem ferre poterat umbra corporis Petri, quantò magis nunc plenitudo virtutis? ſi tunc ſupplicantibus proderat aura pertranſeuntis, quantò magis nunc oratio ſuccurret permanentis in cœlo?

Magis inſtat Bernardus in Vig. Apoſt. Petri & Pauli: Qui potens eſt in terra, potentior eſt in cœlis ante faciem Domini Dei ſui, ſi enim dum adhuc viveret, miſertus eſt peccatoribus & oravit pro eis, nunc tantò amplius, quantò verius agnoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa Patria charitatem ejus non immutavit, ſed augmentavit.

Sufficiat incredulis his erronibus ſolùm reſpondere id, quod Matth 22. Chriſt. Saducæis Angelos & reſurrectionem non credentibus objecit: *erratis neſciẽtes ſcripturas vel virtutẽ Dei.*

Progre-

Progrediamur nunc ab auxilio & favoribus Sanctorum ad imitanda eorum exempla Verbis clarissimis ad hoc instituta esse Festa Sanctorum testatur Author Summæ prædicantium verbo feria C. 1. n. 12. dicens: festa ideò instituta sunt, ut in diebus Sanctorum, vitam ipsorum audientes, ipsos tanquam exemplaria vitæ nostræ respiciamus, per eos tanquam per duces ad cœlestia ducamur: Idem statuit Concilium Narbonense Anno 1009. c. 9. allegans verba Augustini: Sanctorum Solemnitates celebrantes Patres censuerunt, ut eorum in animis nostris excitarent imitationem, nam secundùm Augustinum serm. 47. de SS. *Solemnitates MM. exhortationes sunt Martyriorum, ut eos imitari non pigeat, quos celebrare delectat.*

Unde S. Thomas de Villa nova Dom. 2. Quadrag. ait: Spiritus Sanctus sciens quantùm ad benè vivendum proficiat imitatio, ferè per totam scripturam varia Sanctissimorum exempla passim sparsit, & fidelibus imitanda proposuit, in quibus velut exemplaribus & speculis omnis bene vivendi ars relucet & splendet.

Sunt enim Exempla Sanctorum igniti Carbones, quibus tepida corda in amore Dei accenduntur.

Sunt Cynosuræ & lucentia sidera, quæ navigantes in procelloso & caliginoso mari hujus sæculi ad portum æternæ salutis dirigunt. Gregorio enim teste c. 10. Moral. ut Stellæ noctem, ita Sancti nos illuminant, & virtutum decorem ostendunt.

Sunt Specula, in quibus nostram vitam & mores reformare debemus.

Sunt Magnetes, qui ferreos licet animos ad sese trahunt, & in tramitem virtutis statuunt.

Sunt denique occultæ Exhortationes, quibus ad heroica acta stimulamur, nam testimonio Bern. serm. 54. in Cant. animantur enim filiorum animi, dum Patrum recensentur triumphi.

Validiora enim sunt exempla quàm verba, & plenius opere docetur, quam voce: ait Leo Papa serm. de jejunio.

Sed dicetis, quæ exempla, quas virtutes hodie à SS. Apostolis addiscere poterimus? plurima sanè: tot enim virtutes in illis, quot in malo punico grana invenietis.

Reliquerunt ipsi cuncta, quæ habebant, ac omnia mundi hujus bona arbitrati sunt ut lutum & stercora, & quod perfectius secuti sunt Jesum.

Imitatòr & tu eorum esto, ac per contemptum mundi tende ad cœlestia, noli peritura quærere, sed æterna sectari.

Maledicebantur, & benedicebant, persecutionem patiebantur & patienter sustinebant: Imo *ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati: Vade & tu, & fac similiter.*

Eos à charitate Christi non tribulatio, non angustia, non fames, non nuditas, non periculum, non persecutio, non gladius separare poterant:

terant: Rom. 8. Disce, & tu ab illis fortitudinem & constantiam in adversis: *per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* (a)

Adierunt illi dissitas & longinquas regiones, ut omnes Christo per Evãgelii prædicationem lucrifacerent; miraculis & signis doctrinam suam confirmârunt, sanguine demùm suo Ecclesiam purpurârunt, in nullo gloriati, nisi in cruce Domini. En! quanta virtutum præconia!

Sed opponitis mihi imbecillitatem vestram, dicitis, vires tantas ac gratias à Deo vobis non infusas; asseritis tantum robur ac Spiritum in Pentecoste vos non esse sortitos; scientiam aliaque dona vobis non esse concessa; allegatis impossibilitatem fragilitatis vestræ, quo minus Apostolorum ac Mart. sectari vestigia vobis liceat.

Prævidit hanc excusationem frivolam multorum S. Augustinus serm. 47. de Sanctis dicens: *sed dicit aliquis, & quis possit Beatorum MM vestigia sequi? huic ego respondeo, quia non solùm Martyres, sed & ipsum Martyrum Dominum, cum ipsius adjutorio si volumus, imitari possumus.*

Non opus est, ut facias signa & prodigia; alia tibi hoc tempore S. Isidorus præscribit signa & miracula, dum l. 1. c. 27. ait: *nunc in Ecclesia plus est benè vivere, quàm signa facere.*

Non opus est, ut cum Andrea in crucem agaris, cum Simone serrâ dividaris, cum Thadæo fuste macteris, cum Bartholomæo excorieris, cum Laurentio in craticula torrearis, cum Greg. hom. 35. in Evang. dicat, *nos sine ferro & flamma Martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodiamus.*

Non opus est, ut sanguinem tuum fundes, quia secundùm Augustinum: *carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse, pars magna est Mart.* Aug. f. 2. de MM.

Non opus est, ut cum Simone in Ægyptum, cum Thadæo in Mesopotamiam, & Persidem excurras; habes in Patria, in domo tua, ubi Zelũ ostendas, ac ignorantes in bono instruas.

Non opus est, ut variis linguis loquaris; sufficit, si lingua tua, dolos, fraudes, detractiones & similia non loquatur.

Non opus est, ut Edessam ad Regem Abagarum cum Thadæo effigiem Christi in Sindone depictam feras; tu ipse es imago Dei, vide, ne eam peccatis tuis deturpes.

Non opus est, ut sanitatem aliis conferas, medere animæ tuæ, ac lepram absterge; ægros, desolatos invise, ciba consolare. Imitare Simonem, & esto Zelotes in fide, in honore Dei sine ullo humano respectu.

Imitare Judam (quod est laudans) & lauda Deum in prosperis & adversis cum Job dicendo: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit Nomen Domini benedictum.*

Imitare Thadæũ in humilitate verborum, cum enim se in Epist. dicere posset consãguineum Christi, columnam Ecclesiæ, domesticum Dei contentus fuit titulo ut scriberet: *Judas Jesu Christi servus*: esto & tu talis, nam Deo servire, regnare est, nil prode-

(a) *Actorum cap. 14.*

proderunt cunctorum Regum tituli, nisi sis servus Jesu Christi.

Imitare ambos in dilectione inimicorum: cum enim Dux Babyloniæ hostes eorum Sacrificulos vellet flammis absumere; intercessêre pro ipsis Apostoli stupente Duce, & incendium præparatum extinxêre dicentes: Nos non ad occidendum homines, sed ad vivificandum venimus, uti refert Antoninus: Superârunt illi corporum tormenta, superemus nos animi passiones: Vicerunt illi tyrannos, vincamus nos vitia; Idolis & dæmoniis sacrificare noluerunt, detestemur nos suggestiones eorum.

Restat ultimum documentum D. Bernardi, nempè confusio nostra, si vestigiis Sanctorum, quorum festa quotidiè colimus, non insistamus: & quomodo possibile erit, ut non erubescamus & confundamur, si respiciamus ad illustria exempla eorum, & illa cum protervitate vitæ nostræ conferamus.

Sanctos Dei non tribulatio, non angustia, non fames, non nuditas, non periculum, non persecutio, non gladius separare poterant à charitate Christi Rom. 8. Nos minimus adversitatis turbo sternit, ac in transversum agit.

Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Act. 5. Nos nec umbram injuriæ aut contumeliæ pati volumus, ad minima verba insurgimus, gladios stringimus, sclopeta oneramus.

Calcârunt Sancti mundum cum omnibus concupiscentiis suis, solùm ad cœli atria anhelantes; nos æternorum toti immemores, perituris solùm inhiamus, mundum immundum velut Idolum adorantes.

Ambularunt illi per semitas justitiæ & virtutum, donec pleni meritorum requiescerent in Domino: Nos èccontra ambulamus vias difficiles, semitas iniquitatis & perditionis, à via autem Domini recedimus ad barathrum inferorum properantes; ut benè in nos cadat, quod Salvianus l. 3. de providentia cum lacrymis exclamat: Grave & luctuosum est, quod dicturus sum: præter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud, penè omnis cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum.

O opprobrium! O confusionem extremam Christianorum seu Christiani nominis! quæ utinam ultimo momento vitæ nostræ finiretur; sed eheu timendum, ne in valle Josaphati olim incrementa sumat, ubi non solùm Ninivitæ, sed & Patroni nostri contra nos insurgent, socordiam ac perversam anteactam vitam nostram, quæ ad nulla Sanctorum exempla & vestigia unquam respexit, condemnabunt justi Judices.

Doctrina hæc est Augustini, quam in Psal. 49. scribens apertè tradit dicens: (a) *Tot Judicibus inops adstabo, quot me præcesserunt in opere bono: tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt*

(a) *Idem c. 4. medit.*

buerunt benè vivendi exempla: tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus.

Stabit contra vindicativas viperas Levita Stephanus, inter lapidum grandinem pro inimicis orans, monstratisque lapidibus exprobrabit illis duritiem cordis eorum, quia ad exemplum ejus ignoscere noluerunt.

Stabit contra Helluones & Bacchi asseclas Præcursor Domini, non manducans neque bibens; confundet temulentiam eorum, & opiparas cœnas Palæmon Thebaidis Eremita, qui cum in die Paschatis jussisset Pachomio (a) discipulo suo apparare cibum Festo tanto congruentem, illeque agrestia olera, quibus vesci solebat, apparâsset, oleum cum sale condimenti loco addendo, Palæmon frontem pulsans cum lacrymis dixit: *Dominus meus felle & aceto potatus est, & ego oleum comedam!* Unde & gustare noluit.

Confundent impuros Veneris alumnos Nicætas (b) in impuram sollicitatricem linguam dentibus demorsam evomens; Benedictus in spinis, Franciscus in ardenti foco, de libidine triumphans.

Exprobrabunt impatientibus ignaviam suam Laurentius & Lydwina, hic monstrando craticulam ferream, in qua lento igne tostus, illa lectulum doloris, in qua per 8. propè lustra versata est in infirmitate suâ.

Pudefaciat nutantes in fide arundines, ac ad quælibet promissa hæreticorum mobiles fortitudine sua Victorinus Proconsul Carthaginensis, qui cum ab Hunerico Rege Ariano per internuntios ad fidei catholicæ negationem invitaretur, liberâ voce respondit, dicite Regi, subigat ignibus, adigat bestiis, excruciet tormentis, si consensero, frustra sum in Ecclesia baptizatus. Vict. Uticens. l. 3. persec. Wand.

Aderit Joannes Eleemosynarius cum Thoma Vilianova, & avaris Euclionibus improperabunt durum & immisericors pectus in pauperes, dum prior in vita octodecim millia pondo auri in eos distribuerit, & cum antè obitum testamentum condere vellet, nil residuum invenerit pauperibus erogandum, nisi tertiam partem floreni; Alter verò in lecto pauperi cuidam priùs donato, ac de novo sibi commodato animam sanctissimam exhalare sit coactus.

Confundet Incurios in cogitationibus suis Macarius Anachoreta, ob cogitationem unicam impuram non statim excussam, (c) ante tugurium terram effodiens, & per triennium dimidio corpore hoc sepulchro inclusus, solis herbis & radicibus, quas manuum extensione radere poterat, in terra victitans.

Prodibunt Petrus, Magdalena, aliique milleni pœnitentes, qui in cinere & cilicio asperrimam per plurima lustra egerunt pœnitentiam, ac obstinatis

(a) *Surius in vita S. Pachomii mense Jun.* (b) *Drexelius in Niceta.* (c) *Rader. p. 1. Virid. SS.*

tis & impœnitentibus objicient lacrymas ſine fine effuſas, cilicia, flagra, catenas, loricas, quibus offenſum Numen ſibi reconciliârunt.

O miſeri Chriſtiani, fideles nomine, ſed non re; vel ſemel tandem expergiſcimini, & audite occinentem vobis Iſaiam c. 10. *Quid facietis in die indignationis & calamitatis?* ad cujus confugietis auxilium? ab hominibus non impetrabitis conſolationem, ab Angelis nullum auxilium, à Sanctis nullum patrocinium, quorum Feſta quidem celebrâſtis, ſed exempla non eſtis ſecuti.

Advertit hoc optimè Ludovicus Granatenſis Con. 1. de S. Jacobo, undè ita: Hic igitur tantus Apoſtolus, nunc quidem Patronus eſt noſter, providendum autem nobis ſumo ſtudio eſt, ne, qui modo eſt Patronus, in extremo judicio noſter fiat adverſarius; quemadmodum de Legislatore Moyſe Dominus dixit Joan. c. 5. *Eſt Moyſes, qui accuſat vos, in quo vos ſperatis*, qui enim obſequentibus Patroni ſunt, rebellibus atque immorigeris adverſarii fient. Hæc ille.

Idem vobis occinitur, ſurgent Sancti in judicio contra vós, & quos Patronos aliquando veſtros futuros ſomniâſtis, ipſi Judices veſtri erunt, & condemnabunt ſocordiam veſtram, qui ad exempla eorum non reſpexiſtis, & veſtigia eorum non intrâſtis; nam Auguſtino teſte ſerm. 39. de SS. *Honorare Sanctos, & non imitari, nihil aliud eſt, quàm mendaciter adulari.*

Hæc cùm ita ſint AA. omni conatu adnitendum erit, ut veſtigiis eorum inſiſtamus, quos in ſolemnitatibus noſtris honoramus & laudamus: patet & nobis via virtutis & perfectionis, per quam ipſi ambulârunt, & amici Dei facti ſunt: agnoſcamus illos non fuiſſe naturæ præſtantioris, ſed obſervantiæ majoris, nec vitia neſcîſſe, ſed emendâſſe, ait Ambroſius lib. de Joſeph.

Claudo Sermonem verbis Chryſoſtomi in illud Juſtorum animæ, ac dico: Poſſumus nos quoque eſſe, quod ſunt, ſi faciamus, quod ipſi fecêre.





IN

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.



Urbs Jerusalem beata, dicta pacis visio.

UTinam hodierno die igneus ille Eliæ currus (a) cum cœlesti suo Auriga rediret, nosq; per turbinem à terra abstractos, ad tertium usque cœlum concitato raperet cursu!

Utinam cum D. Stephano videremus cœlos apertos, & Sanctos stantes ante thronum in conspectu Agni, (b) amictos stolis albis, cum palmis in manibus eorum! (c)

Utinam Angelus ille Apocalypticus præstò esset, nosque in Spiritu raperet ad montem illum magnum & altum, ac sic ut Joanni (d) servo suo ostenderet Civitatem sanctam

(a) *4. Reg. 1.* (b) *Act. 7.* (c) *Apoc. 7.* (d) *Apocal. 21.*

ctam Jerusalem habentem claritatem Dei.

Utinam venirent Exploratores terræ illius sanctæ, lacte & melle manantis, & vel unicum racemum uvarum cœlestium nobis degustandum adferrent de regione illa beata! (a)

Utinam ad minimùm uti olim in Pathmos Joanni exuli ostium unicum aut rima aperiretur in cœlo, ut de longè regionem illam viventium amoroso lustrare possemus obtutu. Sed vana sunt vota nostra, preces irritæ, suspiria cassa! (b)

Desideramus quidem cum Davide (c) pennas columbæ, ut volemus ac requiescamus in atriis Domini, sed visco terreno captivæ tenentur alæ nostræ, & incolatus noster prolongatus est. (d)

Suspiramus in hac valle lacrymarum, errantes per deserta & invia mundi anhelantes ad terram viventium, (e) at longum chaos firmatum est inter nos & Beatorum Choros.

Ingemiscimus sedentes ad flumina Babylonis, (f) sitientes torrentem illum voluptatis, interim verò sicut aquam, sic iniquitatem bibimus. (g)

Aures nostræ tinniunt, avidæ audire concentum cœlorum, & canticum illud novum, quod cœlites sine fine decantant, (h) at cum Ulysse cerâ terrestri sunt obturatæ aures nostræ. Versa est in luctum cithara nostra. (i)

Oculos perspicaces Aquilarum desideramus, quibus irretorto obtutu Beatos tanquam stellas lucentes in perpetuas æternitates contemplemur. Sed noctuarum & vespertilionum instar splendoris impatientes in tenebris & in umbra mortis circumvolamus.

Actum est, cortinas gloriæ cœlestis nullus aliger nobis discooperiet; Locus ad quem anhelamus, locus sacer est: deponenda sunt prius sordibus infecta calceamenta; nil enim coinquinatum intrabit: de longè & quasi in ænigmate spectanda erit Beatorum Patria, per tubum opticum cœlitum turmæ erunt dinumerandæ, Regioque illa benedicta perlustranda.

AA. Ego interim penicillo rudi adumbrare ad minimùm conabor cœleste illud Palatium; calamo agresti describam Civitatem illam sanctam; infantili eloquio extollere tentabo regionem viventium ac BB. Civium gaudia: Vos benevolis auribus differentem intereà audite, ac vobis persuadete, omne illud, quod dixero, umbram esse & cœci somnium: nam teste Greg. l. 27. Moral. Cùm homo de æternitate differit, cœcus de luce loquitur.

Gloria, quâ Sancti in cœlo perfruuntur, tanta est, ut eam nec Geometra circino mensurare, nec Arithmeticus calculo subducere, nec facundus

Rr

(a) *Numer* 13. (b) *Apoc.* 4. (c) *Psalmo* 54. (d) *Psalmo* 116. (e) *Lucæ* 16. (f) *Psalmo* 136. *Job.* 15. (g) *Job.* 15. (h) *Apocal.* 5. (i) *Job.* 30.

dus Orator verbis exprimere, nec ſubtilis Theologus ingenio comprehendere queat: Hinc S. Bernardus ad Eugenium ait: (a) Merces Sanctorum tam magna eſt, quod non poteſt menſurari, tam copioſa, quod non poteſt finiri, tam pretioſa, quod non poteſt æſtimari; excedit facultatem eloquentiæ, ut loquitur Auguſtinus, (b) transcendit capacitatem intelligentiæ, illud decus, illa gloria, illa celſitudo, vult dicere, abyſſus eſt, nullâ poteſt metiri bolyde: Littus eſt; cujus arenæ nullo calculo ſubduci poſſunt: Oceanus eſt; cujus guttæ omnem numerum excedunt; undè torrenti voluptatis comparat eam Pſalmiſta; ubi ſemper novæ gaudiorum aquæ ſeſe trudunt: Quis jam miretur Paulum ad mœnia ſolùm civitatis hujus glorioſæ admiſſum mox exclamâſſe? (c) *nec oculus vidit; nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparavit diligentibus ſe*: Et licet ſint infinita, quæ Civitatem hanc ſanctam & aulam Dei commendent & illuſtrent, Tria tamen potiſſimùm ſeſe nobis offerunt, conſideranda. Locus, Societas, & Viſio Beata.

Locum aliquem nobilem ac celebrem faciunt, magnitudo, pulchritudo, ſitus ac ſecuritas. Adeſto nunc Archimedes, metire amplitudinem Civitatis ſanctæ; altitudinem turrium; vallorum robur: Platearum ſemitas; Portarum magnificentiam deſcribe: deficient te cuncti Quadrantes ac Circini: fateberis, quod Saluſtius in Jugurtha dixit, de Carthagine ſilere meliùs puto, quàm parum dicere: Nec enim pompoſa Carthago, glorioſa Babylon, ſpatioſa Ninive, aurea Alexandria, Athenæ doctæ Byzantium Magnificum, Ecbatana nobilis, Roma mundi Domina, Quinzai Civitas Solis, Citor mundi umbella; Armuzium Orbis gemma; collatæ Jeruſalem ſupernæ, aliud ſunt, quàm cochlearum domicilia, teſtudinum domus, formicarum acervi, hirundinum nidi. Alia eſt amplitudo Civitatis noſtræ cœleſtis, de qua doctiſſimus Joannes Gailer (d) dicere non veretur: Tantam eſſe magnitudinem: quod ſi Deus è ſingulis arenæ granis, quæ in littore maris jacent, ſingulos crearet orbes, ij tamen immenſa cœli ſpatia non explerent: Hinc viſa Civitatis hujus magnitudine ac majeſtate præ ſtupore exclamavit Baruch: (e) *O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus, magnus eſt, & non habet finem.* Infinita Sapientia Dei civitatem hanc cœleſtem excogitavit, infinita potentia extruxit, infinita majeſtas eam inhabitat. Depingunt eam nonnihil in umbra tenebroſa Tobias & Joannes Apoſtolus, quorum poſterior in Inſula Pathmo oculatus teſtis ſic ait.

Civi-

(a) *Bernard. l. de Conſid.* (b) *Auguſt. Serm. 9. de SS.* (c) *1. Cor. 2.* (d) *Joan. Gailer in ſuo peregr. apud Drex. l. 2. c. 8. de cœlo.* (e) *Baruch cap. 3.*

Civitas in quadro poſita eſt: (a) Fundamenta urbis ex omni lapide pretioſo ſtructa: Duodecim Portæ civitatem circumdant ex Margaritis ſingulæ: Structura muri ex Jaſpide polito; Plateæ ex auro mundiſſimo, quod tanquam vitrum eſt pellucidum. Turres Jeruſalem gemmis ædificatæ: Civitas non eget Sole & Lunâ, Nam claritas Dei illuminat eam: Temporis diuturnitate ruinam non minatur; terræ motu non concutitur; igne non conſumitur; aquis non obruitur; ad ejus mœnia nulli hoſtium appropinquare eſt conceſſum: Civitas glorioſa à portis, glorioſa à plateis, glorioſa à mœnibus & vallis, glorioſa à turribus, glorioſa à majeſtate, quæ eam inhabitat: Verbo Aula Dei, Oceanus delitiarum, Angelorum manſio, Portus tranquillius, Requies Sanctorum, Terra viventium.

Unde Jure meritiſſimo S. Fulgentius Epiſcopus Roſpenſis ab Arianis ſede ſuâ pulſus, (b) cùm peregrinaretur ad Limina Apoſtolorum, ac Majeſtatem Theodorici Regis, ſplendidiſſimâ aulicorum coronâ ſtipati, cerneret, ad ſocios dixit: *O quàm ſpecioſa erit Jeruſalem cœleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris.*

Plura Angelus Seraphico Franciſco retulit, (c) dum affirmavit, ſi tota terra migraret in aurum, aqua exundaret in balſamum, montes transformarentur in lapides pretioſos, omnia tamen nil fore in comparatione Civitatis hujus ſanctæ.

Et hic eſt Locus ille celebris à magnitudine, nobilis à majeſtate, admirandus à pulchritudine, commendandus à ſitu & ſecuritate, quem divina Majeſtas Juſtis ac Deum timentibus pro æterna manſione conſtruxit. Nunc ad ſocietatem Civium ſanctorum progrediamur.

Ut in loco quis libenter verſetur, non tantùm à loco pendet, ſed & ab Inquilinis loci. Quid enim juvat habitare in aureâ domo Neronis, ſi cubicula infeſtent ſtryges aut lemures nocturni? Si thalami repleti ſcorpionibus & colubris? Si atria obſeſſa Minotauris & larvis infernalibus?

Quid juvat degere apud Antropophagos Braſilios, ubi auri, margaritarum & gemmarum quidem copia ſplendet, at nec momentum datur, quo ſecurus es, quin ab iis ad lanienam traharis, & pabulum infelix, ac triſtis eorum cibus fias:

Quæ delectatio apud Mauros & Caffros verſari? uti Tigrides, Leones & Crocodili tui ſunt inquilini & vicini, unde cùm Job lamenteris cap. 30. *Socius fui Draconum & Struthionum?* Societas amica, fidelis, affabilis requiritur, ut & locus placeat: nullius enim boni poſſeſſio jucunda eſt ſine ſocio ſecundùm Senecam lib. 1. Ep. 6.

(a) *Apocal* 21. (b) *Surius in vita.* (c) *Cronicon. Min.*

Placuit quidem Israelitis (a) terra Chanaan melle & lacte manans, magnifica à splendore urbium, nobilis à diversitate fluminum, beata à fertilitate fructuum; sed ubi Exploratores descripsêre loci incolas, ubi cum gemitu dixêre: *Ibi vidimus monstra quædam Enacim de genere Giganthæo, quibus comparati quasi locustæ videbamur*, tum vociferans omnis turba flevit nocte illâ, & murmuraverunt contra Moysen dicentes: *Utinam mortuiessemus in Ægypto, & in hac vasta solitudine utinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam.*

Cur obsecro ita loquuntur ac murmurant? displicuit illis, & contristavit eos Societas Barbara: neque enim Seralium Constantinopolitanum tapetibus Turcicis superbè exornatum, Scytharum aut Brasilorum palatia auro incrustata aliud gaudii afferre queunt, quàm Dionysii Siculi mensa regalis, ab acinace nudo super capita hospitum levissimo filo serico dependente famosa.

At in hac cœlesti nostra Civitate, ait Hugo Victorinus l. 4. de anima c. 4. Populus habitat sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes: Quod olim de Roma effatus est Legatus Regis Pyrrhi, vidi Civitatem Regum; quot in Curiâ Senatores, tot Reges vidi: Meliùs & veriùs de superna Solyma dicetur. Quid enim existimatis esse, sedere in eodem conclavi cum Rege gloriæ, esse domesticum Dei, civem Sanctorum, Angelorum choris interesse, cum Sanctis Spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, cinctum esse Patriarchis & Prophetis, associatum Apostolis & MM. cernere turbam illam magnam ex omnibus gentibus stantes ante thronum, amictos stolis albis; videre Virgines redimitas liliis, Martyres laureatos, cunctos Regi gloriæ cum summâ reverentiâ & jubilo assistentes? His sociari, cum his lætari ac in æternùm Deum laudare? Si Sol ac stellæ oculos nostros delectant, quid erit in cœlo tot millenos Soles aspicere, eorum radiis gaudere? *Justi enim fulgebunt ut Sol, & sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Danielis cap. 12.

O Beatam Societatem, in quâ multitudo sine confusione; magnitudo sine ambitione; varietas sine contentione; inæqualitas sine discordia, æterna absque diminutione demùm charitas reperitur!

O Beati cœli cives & amici Dei, quàm estis felices! ubi nunc obsecro sunt cruces vestræ, ubi dolores & tormenta, quibus in terra afflicti & oppressi gemebatis? En cuncta velut somnium evanuêre, nunc corpora vestra sunt immortalia & impassibilia; facies vestræ ut astra micant; abstersæ sunt jam lacrymæ ab oculis vestris, jam non erit

(a) *Num. 13.*

erit amplius luctus, neq; ullus dolor; Cantatis nunc in æternum Deo vestro; at vestri tortores & persecutores æternùm in Camino ignis stridebunt. Videte felicitatem vestram, quam circa vos habuit misericordia Divina, quæ nuspiam clarius resplendet quàm in millenis millionibus infortunatorum peccatorum, quos ad tartara detrusit Justitia divina, (a) *Benedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio, bonor, virtus & fortitudo & salus sit Deo in secula seculorum.* An non meritò de Vestra gloria exultat S. Augustinus in soliloquio c. 35. O quàm gloriosum est regnum, in quo tecum Domine regnant omnes Sancti, amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronas de lapide pretioso.

Sed quid hæc omnia ad vultum Dei, ad visionem illam beatam, in qua omne gaudium ac gloria est sita, quæ tanta est, ut S. Augustinus asserat, quod si per unicum momentum eâ perfrui damnatis concederetur, mox omnia tormenta in delitias, tenebræ in lucem, infernus in paradisum mutaretur. Verba illius sunt sequentia: (b) Tanta est dulcedo futuræ gloriæ, quod si unica stilla in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem illicò dulcoraret; inde concludit; quid sunt Cœlum & terra, & omnia, quæ in eis sunt præter faciem Dei? Umbra, nox, terra, cinis, nihil. Quis jam miretur interrogatum aliquando dœmonem ex Energumenâ à S. Jordano quid pati vellet, (c) si vel unico momento Deum intueri posset? respondisse, si par essem omnibus suppliciis ac tormentis, quæ à condito orbe mortales sunt passi, libens illa usq; in diem judicii perferrem.

Consentaneè omnino secundum illud Chrysostomi: (d) Si in ignem saliendum, si in enses atq; mucrones incumbendum; magno animo cuncta perferenda essent, ut illam gloriam ineffabilem consequamur.

Discursum hunc confirmavit alius ex Orco genius ex ore obsessi vi exorcismorum, ad veritatem edicendam adactus; interrogatus enim de pulchritudine Dei, cui comparari posset? Respondit, quæstionem esse stultorum; nam si omnis pulchritudo florum, gemmarum, syderum ac aliarum Creaturarum in unam confluerent elegantiam; talem venustatem idem fore, quod tenebræ ad lucem, addiditq; ultrò, si totum Cœlum foret Pergamenum, totum mare atramentum, omnes Stellæ Magistri Parisienses, cunctaq; stramina calami, hos omnes Magistros, nec scribendo, nec loquendo minimum gaudium adumbrare posse, quod percipiunt Sancti ex vultu Dei, ex visione adeò gloriosa.

Hinc rectissimè ait Augustinus lib. 22. de Civitate Dei: *quod Deus præparavit diligentibus se, fide non capitur,*

(a) *Apoc. 7.* (b) *Augustin. serm. 8. de Transfig.* (c) *Spec. exemp. dist. 9. ex. 94.* (d) *Chrysost. serm. 55. in 16. Matt.*

ſpe non attingitur, Charitate non apprehenditur; deſideria & vota tranſcendit, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.

Sed quid videbimus obſecro in ſpeculo illo glorioſo, in facie illâ, quam Angeli deſiderant aſpicere? Videbimus perfectiſſimum ſine omni principio principium: Deum non in ænigmate, ſed facie ad faciem; videbimus ſapientiam increatam, bonitatem inexhauſtam, potentiam infinitam, miſericordiam ſine termino diffuſam. Videbimus ſcaturiginem illam, à quâ cuncta flumina & maria gratiarum originem ducunt & effluunt!

Videbimus lumen illud, à quo Sol & Luna, omnisq; Chorus ſiderum radios ſuos mutuantur!

Videbimus pulchritudinem illam inexhauſtam, à quâ cunctæ creaturæ ſuum decorem, gemmæ ſplendorem, flores colorem recipiunt!

Contuebimur in hoc divinæ Sapientiæ ſpeculo, quidquid unquam factum eſt. Videbimus in eo omnia fidei & divinorum librorum arcana Altiſſimæ Trinitatis, Jncarnationis & Euchariſtiæ myſteria; cuncta vaticinia Prophetarum; quæ hîc credidimus ibi videbimus.

Videbimus obſtupeſcendum divinæ Providentiæ Ordinem: tunc omnium oculis patebit Altitudo Sapientiæ & Scientiæ Dei; cur Innocentes oppreſſi, impii ſicut cedri exaltati.

Videbimus omnipotentiam Dei in creando Orbe, Sapientiam & bonitatem in adminiſtrando. Fides ibi ceſſabit, ſpes deficiet, ſolus amor in æternum durabit.

O Viſionem glorioſam, O ſcientiæ abyſſum inexhauſtam! Cedite nunc Salomones & Platones, nam omnis ſapientia veſtra eſt delirium.

Cedite Ariſtoteles & Averroës, ſcientia veſtra eſt ſomnium; nam Deum ſemel conſpexiſſe eſt omnia didiciſſe, ait Bloſius in Monili.

Cedite Sybillæ & Prophetæ, cuncta quæ vos figuris & umbris adumbrâſtis hic apparent in glorioſo lumine.

Hæc eſt illa Bibliotheca inexhauſta, ex quâ cunctus Beatorum cœtus ſapientiam Sanctorum hauriet, & non exhauriet: Hæc eſt illa facies glorioſa, ubi cum veritate dicere poterimus: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Gen. 32.

Hic eſt ille Oceanus immenſus, ex quo torrentes voluptatis & gaudiorum in æternum emanant.

Hæc eſt ergo illa civitas cœleſtis, in quâ omne bonum; ubi ſcientia ſine ignorantia; Sanitas abſq; infirmitate; pax ſine perturbatione, Gaudium ſine mœrore, vita ſine corruptione, ubi omne deniq; bonum manet.

Adumbravi nonnihil vobis Civitatem illam cœleſtem, deſcripſi eam calamo rudi, quid vobis de ea videtur, O inſenſati amatores mundi, qui pro nihilo habetis terram deſiderabilem, qui pro terræ puncto, luto, &

ſordibus

ſordibus litigatis,& vaſta interim cœli atria perditis.

Conferte in unam maſſam aut cumulum, Sceptra, Coronas, Monarchias, honores, titulos, quos ſtolidus mundus ita adorat; aculei ſunt, qui lancinant animam, puncta ſunt inflata in imaginatione ſolùm ſita: addite pretioſa metalla, Aurum, Argentum, Gemmas & Margaritas; pulvis ſunt & lutum, quibus ſolùm ſtultitia hominum pretium fecit.

Eheu quàm infames eſtis Parides, ſtulta carnis mancipia, dum pro forma fragili, exili gaudio, Dei faciem & æterna Cœli gaudia amittitis. O inſenſatos filios prodigos, qui glandibus & porcorum ſiliquis vos ſaginatis, dum econtra SS. cœleſti ambroſiâ & pane Angelorum reficiuntur.

O miſeros, qui ad amara flumina Babylonis ſedetis; dum interim Sancti torrente voluptatis potantur. O ſtultos! qui fumo & umbris honorum ac dignitatum paſcimini, æternæ gloriæ obliti, qui auro & argento inhiatis, & cœleſtes theſauros cuntemnitis, qui ſititis hujus mundi abſynthium, nauſeatis fontem vitæ.

Stolidi nundinatores, Itane vile eſt vobis cœlum? itàne æterna gaudia flocci facitis? itane manſio illa cœleſtis ne teruntio æſtimatur? O inſenſati filii Adam! vitam beatam quæritis in regione mortis, gemmas in luto, dulcedinem in ſalſedine maris.

O ſtulti (a) *quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram*; oculos aliquando ad cœlum attollite.

O miſerandæ talpæ! conſiderate ſtupendam illam Civitatem, manſionem illam cœleſtem; hæc requies veſtra, hæc meta laborum; Hîc quid quid libet, quid quid delectat, quid quid deſideratur, habetur.

Si vos delectant honores; (b) nimis honorificati, hic ſunt amici tui Deus, gloria & honore coronaſti eos Domine. (c)

Si divitias affectatis, (d) gloria & divitiæ in domo ejus, plateæ ex auro mundiſſimo. Apoc. 21.

Si voluptates ambitis,(e) torrente voluptatis potantur. Si vita vobis Cordi: Juſti in perpetuùm vivent, mors ultra non erit. (f)

Si pulchritudo placet: Juſti fulgebunt ſicut Stellæ in perpetuas æternitates. (g)

Si agilitatem, (h) aſſument pennas Sancti ut aquilæ, volabunt, & non deficient. Si pacem; (i) ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, non erit luctus neq; clamor, (k) quomodo ergò ô inſenſati amatis terram, diligitis lutum, ubi nihil aliud, niſi vanitas vanitatum.

Ergone nullus ex vobis Daniel? qui in durâ ſervitute infelicis hujus Babylonis ad minus quotidiè aperiat feneſtras

(a) *Ad Coloſſ. 3.* (b) *Pſal. 138.* (c) *Pſal. 8.* (d) *Pſal. 111.* (e) *Sap. 5.* (f) *Apoc. 21.* (g) *Dan. 12.* (h) *Iſ. 40.* (i) *Iſ. 32.* (k) *Apoc. 21.*

feneftras Cordis, & fufpirans contempletur mœnia Civitatis Sanctæ, & cum Hugone dicat:

Heu mihi quàm procul his diftas mea Patria terris!
Quàm procul à cœli finibus exul agor!

Ergone nullus cùm Davide exclamet? (a) *quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupifcit & deficit anima mea in atria Domini.*

AA, Semel tandem attollamus oculos, Patriamq; noftram à longè cum Divo Bernardo falutemus. O Civitas Sancta, Regio beata, de longe te faluto, te amo, ad te fufpiro de valle lachrymarum: (b) *quando veniam & apparebo ante faciem Dei? fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eft Deus tuus?*

Abjiciamus ergo curam villarum, mittamus juga boum, avertamus oculos, ne videant vanitatem; finamus tranfitoria, agros fertiles, florentes vineas, promptuaria plena; linquamus mundo aurum, mari gemmas, ac feftinemus ingredi in illam requiem, properemus ad fupernam Solymam, ubi nos exfpectant Sancti, ac in æternum Deo acclamant

Sanctus! Sanctus! Sanctus!

(a) *Pfal. 83.* (b) *Pfal. 41.*



IN

IN COMMEMORATIONE FIDELIUM DEFUNCTORUM.



Mementote Vinctorum. Ad Heb. 13.

LEgatus hodie extraordinarius venio ad vos de profundis terræ, missus ab animabus illis, quæ supremi Regis jussu, violatæ Majestatis reæ, in carcere Purgatorii captivæ detinentur, donec novissimum reddant quadrantem.

Litteræ, quas ad vos transmittunt, non atramento, sed lachrymis, non calamo, sed carbonibus desolatoriis

sunt scriptæ; breves quidem, sed penetrabiliores omni gladio ancipiti, (a) pertingentes usq; ad divisionem animæ & Spiritus: Pauca verba continent, sed multa paucis complectuntur: Tenor earum est.

Misеremini mei, saltem vos amici mei, (b) dicere volunt, in rigido detinemur carcere, & nemo est, qui liberet; in tormentis suspiramus, & non est ex omnibus charis nostris, qui consoletur nos: Vinculis & compedibus constringimur, & non est, qui ea disrumpat: Debitores sumus, nec obolus adest, quò debita exolvamus: Famelici sumus, missi in lacum Leonum, & nullus Habacuc comparet, qui derelicto Danieli prandium ferat: Paralitici jacemus, per 30. & plures annos, ad Piscinam probaticam, & hominem non habemus, qui nos in eam immittat. Inter flammarum diluvium fluctuamus naufragi, nondum tamen apparet Arcus cœlestis signum clementiæ & reconciliationis. Ad Patriam nostram Paradisum tendimus, sed Angelus Domini evaginato gladio ingressum nostrum prohibet. Velut cervus anhelamus ad fontes Salvatoris, verùm de eas primoribus labris lambimus, velut à Tantalo, subitò diffugiunt à nobis. Miseremini, Miseremini mei saltem vos Amici mei. Job. 19.

Vos estis, qui miseris opem, derelictis auxilium, afflictis solamen adferre potestis; apud vos sunt scalæ illæ exoptatæ, quibus ex infernali hocce púteo emergere nobis licebit. Apud vos servantur claves, quibus portæ æreæ, & vectes ferrei reserari poterunt.

Apud vos remanent fortes illi mallei & serræ chalybea, quibus vincula & compedes nostri conteri queant. Vos Vos estis, qui nos in libertatem filiorum Dei asserere potestis.

Utinam oculos vestros aperiret Deus, ut tormentorum nostrorum locum ad vivum cerneretis, in quo ita à manu Dei conterimur, ut præter pati & affligi, nil nobis sit reliquum.

Utinam templum hoc ædificatum foret ad modum truculenti illius Palatii Siciliæ Tyranni Dionysii, ut ex rupium abditis cavernis velut tristissima Echo millena resonarent infelicium captivorum suspiria & lamenta.

Nec opus est, ut longâ oratione gravitatem tormentorum describamus: colligite in fascem unicum, quid quid morborum; sumite quid quid dolorum; adjicite quid quid cruciatuum in hoc mundo; umbra solùm erunt, somnium & nihil: Hæc mens Sanctorum Patrum, Sententia est doctorum.

Audite Bethlemitici antri Incolam D. Hieronymum, quid de tormentis animarum sentiat. (c)

Omnis pœna hujus vitæ est effabilis, sed

(a) *Heb. 4.* (b) *Job. 19.* (c) *Hieron. ad Pammach.*

sed pœna purgatorii est ineffabilis; in uno enim igne sunt omnia supplicia.

In alium fasciculum conjicite, quid quid horrendum, immane, crudele, efferum passi sunt cuncti laureati Martyres: veniant in unum cumulum formidandæ secures, candentes craticulæ, exæstuantes fornaces, succensæ pyræ, ignitæ forcipes, liquatum plumbum, metuendi equulei, venenatæ sagittæ, horrida flagra, bestiarum dentes, Leonum rictus, Tigridum ungues; fabula sunt & nihil.

Ità testatur Venerabilis Presbyter Beda, dum ait: (a) *pœna purgatorii gravior est, quàm quid quid unquam passi sunt Latrones aut Ss. Martyres*: imò materialem ignem hunc nostrum, non ignem, sed pictuarum ignis & umbram, vocat Hypponensis Præsul Augustinus: (b) Ignis noster materialis, qui tanta efficacia ardet, & in subjecta agit, ut cuncta, quæ apprehendit, in cineres convertat, metalla liquefaciat; ad comparationem purgatorii ignis, non ignis, sed pictura tantùm est ignis, & umbra.

Et quid si ab infernali ipsa & tartarea flamma non distingueretur ignis ille? (c) audite S. Gregorium Magnum: Ignis purgatorii idem est cum igne inferni, hoc duntaxat exceptò, quod iste est æternus, temporalis. *eodem enim igne crematur damnatus & purgatur electus.*

Jure igitur meritissimo exclamare possumus cum lamentante in tormẽtis suis filio Dei: (d) *videte si est dolor similis, sicut dolor meus*, cùm Angelicus ipse Doctor asserat apertè, pœnas purgatorii omnia illa tormenta, quæ Christus in sua sacra passione est passus, superare. Misereminì ergo miseremini!

Sed quid ignes, quid flammas quærimur? quid diu tormenta exaggeramus? aliam pœnam patimur, cunctis tormentis & cruciatibus graviorem, grandem illam pœnam damni, quâ infelices exules vultu Dei arcemur.

Amici quidem Dei sumus, quia in gratiâ mortui, hæredes hæreditatis supernæ, sed eheu infortunati ad hæreditatem nondum admittimur.

Ad Patriam cœlestem properamus, in labyrintho tamen hujus carceris inextricabili detenti, exitum invenire nequimus; nulla adest Ariadne, quæ filum porrigat errantib9.

Fructus arboris vitæ ante oculos nostros dependent, & tamen cum manum extendimus, velut poma Tantali evanescunt & fugiunt à nobis. Cuperemus dissolvi & esse cum Christo, at incolatus noster prolongatus est.

Ad Agni gloriosas Nuptias totis votis anhelamus, at deest nobis requisita vestis nuptialis, sine quâ coram cœlesti sponso nobis comparere non licet.

(a) *Beda in Psalm. 27.* (b) *Augustinus Epist. 16. de mirac. S. Hier.* (c) *Greg. M. in Psal 3. pœnit. item lib. 4 dial. c. 8.* (d) *S. Thomas 3. p. q. 46. a. 6. ad 3.*

Lumen illud gloriæ desideramus, vultum illum, in quem desiderant Angeli prospicere; at in tenebris sedere, & in umbra mortis cogimur. Fuerunt nobis lachrymæ nostræ panes die ac nocte, dum dicitur nobis, ubi est Deus tuus?

Si autem atrocitatem pœnæ hujus scire delectat, interrogate S. Gregorium Pontificem maximum, hic respondebit, sicut pœna sensus est ineffabilis, si tamen Deus animæ ostenderet faciem suam, nil amplius tormentorum sentiret, sed purgatorium transiret in paradisum, tormenta in gaudia.

Interrogate ulterius Chrysostomum de reparat. laps. dicet ille: pone hic unam solam pœnam damni, & pone hac ex parte centum ignes inferni, major est hæc sola pœna damni, quàm centum ignium inferni pœna. Hinc cum S. Brunone (a) exclamant: addantur tormenta tormentis, & pœnæ pœnis, sæviant sævissimi ministri, crescant crudelissima flagellorum genera, modò Deo non privemur. Optimè igitur (b) Augustinus ait: Absentia Dei quoad ejus visionem omnibus pœnis est intolerabilior.

Ad vos proindè vergunt nostræ preces, vota, suspiria, planctus & lamenta. Misereminí, Misereminí! adjutrices manus nobis porrigite, & velut pius Æneas ex his ardentibus flammis nos eripite, scalas cœlestes apportate, ut ex lacu Leonum emergere possimus: refrigerantes aquas affundite, & incendia nostra temperate: audite clamores, attendite planctus contemplamini pœnas, considerate tormenta.

Jacemus hîc mortui in sepulchro velut Lazarus non per 4. solùm dies, sed plurimos annos; ligatæ sunt manus nostræ & pedes institis, quia amplius mereri nobis non conceditur: facies nostra sudario est circumvoluta, quia Deum videre nequimus. Misereminí, Misereminí! Corda Vestra utiq; non sunt ex chalybe, caro non ex duro marmore, viscera non ex adamante rigido? Filii! nunquid non auditis clamores parentum? Uxores nunquid non hæc vox est dilecti? Cognati & hæredes, nunquid non sanguis vester præ commiseratione circa cor bullit? audite planctus, percipite lamenta, perpendite suspiria.

Lex naturæ jubet succurrere; fratres enim nostri & caro nostra estis: Lex charitatis mandat præbere sitienti potû, esurienti frangere panem, nuditatem tegere veste; ah quàm benè cum Paulo exclamare possumus: *usq; in hanc horam esurimus & sitimus, nudi sumus, & colaphis cædimur.*

Lex justitiæ deniq; mandat, ut à quibus bona habetis, ijs & bene faciatis, nisi æternam ingratitudinis notam incurrere velitis, clamant

(a) *Bruno serm. 2. de Judic.* (b) *Augustin. in Enchir.*

clamant & hortantur vos lapides, agri, vineæ, prædia & palatia, aurum & argentum quod à nobis hæreditastis.

Miseremini, Miseremini!

Auditores non dubito, quin ad voces has lamentabiles corda vestra sint liquefacta, concussa pectora, compassione & misericordiâ moti animi, sed modus fortè derelictis his animabus succurrendi vos latet, benè est, docebo illum in compendio. Referunt Historici de Gilimer Wandalorum Rege, (a) quod cum Carthagine captâ à Belisario Justiniani Imperatoris supremo duce castris esset exutus ac victus, & à persequente eum duce Belisarii Phara eò compulsus esset, ut intra extremos montes Numidiæ fugâ se tueri cogeretur, videretq; nullum effugii locum, cerneret commeatum absumptum, famem intra viscera, spem omnem extinctam; litteras supplices ad Pharam Belisarii ducem dedisse, quibus unicè precabatur, tria sibi transmitti, Panem, Spongiam, Citharam; panem ad depellendam famem; spongiam ad tergendas lacrymas; citharam ad luctum temperandum.

Et hæc tria sunt, quæ etiam à vobis efflagitant animæ: panem à vobis petunt, qui hactenus manducaverunt panem doloris; panem non materialem, sed cœlestem, panem Angelorum, omne delectamentum in se habentem: clamant, iterantque verba illa Thren. 2. *Ubi est triticum & vinum*? Micas flagitant, quæ cadunt de mensa Domini, panem illum exquirunt, quem tantis votis desideravit B. Monica, virtutem optimè noscens salutaris hujus Sacrificii, (b) dum morti proxima intermortuis vocibus repetiit: ponite hoc corpus ubicunque, nihil vos ejus cura conturbet, tantum illud vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei: Vires profectò majores addet hic panis, quàm subcinericius ille Eliæ, ut tandem in fortitudine cibi hujus perveniant ad montem Dei: ferte prandium hoc uti alter Habacuc, ad lacum Leonum, quò famem satiare, ac stolas suas in sanguine Agni dealbare queant, ut tandem egrediantur de tribulatione illa magna; aut saltem tormenta temperentur: nam teste Gregorio Magno, (c) multum solet animas post mortem sacra oblatio salutaris hostiæ adjuvare, ita ut hanc sæpius ipsæ defunctorum animæ flebilibus votis expetant.

Expertus est hoc B. Nicolaus de Tolentino, qui cùm die Sabbathi? quà precibus, quà vigiliis totus defatigatus nonnihil obdormisset, (d) animam repentè habuit aspectabilem, quæ in crastinum requiem pro solamine efflagitabat, (e) cui ille, adjuvet te Deus, cras enim Requiem legere non possum. Tùm Spiritus ad eum: Veni venerande Pater & vide, utrum preces meæ repudiandæ: subitoque raptum stitit in Eremi quâdam parte non procul Pisis, ubi in-

(a) *Cedrenus hist. Wand.* (b) *Aug. l. 9. Conf. c.* (c) *Lib. 4. Dial. c. 55.* (d) *In vita ejus c. 12.* (e) *Nadasi in anno morient. hebd. 2.*

numera multitudo animarum, variis iisque horrendis pœnis excruciabantur, vocibus miserandis opem S. inclamantes his verbis: Miserere Pater, miserere turbæ, succurre vinctis in lacu leonum, solve vincula colli nostri: somno solutus totus in lacrymas diffluxit Nicolaus, ac integrâ postea septimanâ sacrum pro earum liberatione fecit. En primum & potentissimum medium, sacrificium nimirum Missæ adeò refrigerativum, ut S. Hieronymus audacter dicat animas toto corpore, quo sacrum pro illis dicitur pœnas nullas sentire, verba hæc illius sunt: (a) Animæ, quæ in Purgatorio torquentur, pro quibus solet Sacerdos in missa orare, nullum interim tormentum sustinent, dum missa celebratur. (b) Nil magis affectant, nil magis desirant animæ afflictæ, quàm sacrificium hoc incruentum. Testis est hujus omni exceptione major.

B Henricus Suso: promiserat is Fratri cuidam post obitum se lecturum 2. sacra mortuo post longum tempus fratre, promissi immemor Suso, (c) preces tamen quotidianas pro demortuo persolvit: Adest de nocte anima, conqueritur flammas & tormenta; Suso preces quotidianas allegat! cui mox anima O Frater sanguine est opus, qui extinguat ignem, quem patior. Suso ubi sacrum absolvit, mox anima gloriosa apparens gratiis actis evanuit.

Alterum quod petunt, est Spongia, non solùm ad abstergendas lacrymas, sed magis ad diluenda peccatorum contracta debita per quàm illis necessaria; sancta nimirum & ter salutaris Eleemosyna.

Spongiam hanc plurimùm extollit Chrysost. hom. 32. in Ep. ad Heb. dum ait: *Eleemosyna vincula peccatorum dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem, ipsa enim est, quæ Tobiæ 12. à morte liberat, quæ peccata purgat; & facit invenire misericordiam, & vitam æternam*: Eleemosyna ubique bona est, sed nunquam meliùs applicatur, quàm si pro redemptione animarum harum expendatur.

Grandia olim lytra pro capitibus redimendis fuêre postulata (d) à Carolo Duce Aurelianensi ab Angelis 25. annis in captivitate detento, extorta sunt aureorum quadringenta millia. (e) Pro Henrico, Friderici II. Imperatoris rebelli filio annis 22 captivo, Amicus Henrici auream catenam spopondit, quæ totum ambitum murorum urbis Boloniæ exæquaret.

Atabaliba ultimus Cuscorum Rex pro libertate sua 70. Milliones purissimi auri intra 40. dies Hispanis persolvendos adpromisit. (f)

Grandia profectò lytra, Summa stupenda, copiosa redemptio, & hæc vivi pro vivorum salute persolvêre.

Pro liberandis mortuis ac redimendis magis sollicitus fuit insignis ille Dux

(a) *Calamat dis 64. de purg.* (b) *Van. Horn. F. 6. Dom. 4. in Quad.* (c) *In vita* (d) *Beyrlink littera L.* (e) *Engelgraw in commemor. animarum.* (f) *Engelg. ibidem.* (g) *2. Mach. c. 12.*

Dux populi Judas Machabæus, qui (a) *collatione factâ 12000. Drachmas argenti Jerosolymam misit, offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium.*

Charissimi! non terreat vos hæc summa, non ita avarus & rigidus Deus, ut tantum à vobis exigat, minor ipsum etiam ex liberali corde præstita Eleemosyna placare poterit: date id, quod habetis; si expendere non potestis drachmas mille date centum, si nec centum sunt vobis, date viginti, si viginti non habetis, date staterem, si nec stater vobis est prestò, promite minutum cum viduâ, poterit & illud purgatorii temperare ignes, ac de contracti debiti summa delere plurimùm.

Nolite inhumanitatem & truculentiam sequi Imperatoris Mauritii, (b) qui auri splendore & amore nimiùm excœcatus, milites suos à Barbaro Chagano captivos cùm uno solido redimere posset, ac nollet, causam præbuit, ut ab irato hoste ad 12000. in frustra fuerint concisa. Cavete, ne & vos captivas has animas, quas denario forsan liberare possetis, novis iterum subjiciatis tormentis, ac infernalibus Ministris cruciandos ac dilaniandos objiciatis.

Tertium quod expetunt animæ, est cithara ad luctum earum temperandum, nec alia hæc est cithara, nisi oratio vestra, juxta mentem D. Hieronymi in psal. 143. dum ait: *Hæc est Lyra nostra, hæc Cithara in hac cantemus Domino.* Hâc Citharâ seu oratione meliùs juvari poterunt animæ, quàm pullo amictu, facibus accensis, gentilitiis armis, ingeniosâ inscriptione, sumptuoso Mausolæo, inanibus & personatis lacrymis. Juvetur mortuus, ait, S. Chrysost. hom. 41. non lachrymis, sed precibus & supplicationibus: personet hæc Cithara in auribus animarum; ut sicut Saul percutiente Citharam Davide; ita & animarum Spiritus refocilletur & leviùs habeant.

Refert Athanasius Kircher in sua Phonurgia l. 2. Alexandrum M. à Timotheo; ut & Ericum bonum Regem Daniæ ab alio Citharædo in diversissimos affectus, nunc mœroris, nunc lætitiæ, nunc furoris solo sono Citharæ fuisse concitatos, testes adducit Olaum M. ac Cranzium l. 5. Daniæ cap. 3.

At quàm feliciores & beatiores motus & affectus causat Oratio; tantæ enim virtutis existit, ut compedes & catenas disrumpat.

Quis enim, cùm Petrus vinctus catenis duabus inter duos milites dormiret, catenas & compedes rupit? (c) Oratio! *Oratio autem fiebat ab Ecclesia sine intermissione pro eo.*

Quis flammas in fornace Babylonica excussit? (d) Oratio *Stans autem Azarias oravit, aperiensque os suum in medio ignis ait: Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum.*

Quis mare divisit, ut populus Israel sicco pertransiret pede? (d) Oratio. *Quid clamas ad me? dic ut proficiscantur.*

Quis

(a) *2 Machab. cap. 12.* (b) *Baron. ad annum 600.* (c) *Actor. 12* (d) *Daniel 3.* (e) *Exodi 14.*

Quis cœlum clausit & aperuit? Oratio Eliæ, (a) *Elias oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos 3. & menses 6. iterum oravit, & cœlum dedit pluvias, terra fructum.*

Imò tantæ virtutis est Oratio, ut ipsius Dei manus liget, & captivas teneat ac constringat, ne irasci possit in populum; teste ipso Deo dicente ad Moysen; (b) *dimitte me, ut irascatur furor meus.*

Imitamini Ansbertam peregrinam, quæ cùm in Turciam appulisset, (c) ac Citharâ suâ coram Soldano præclarè lusisset, Soldanus artem demiratus, jussit petere, quod vellet, petiit illa solum mancipium quoddam aratro destinatum; at ubi domum ventum, agnovit Bertulphus suam charam liberatricem in personatâ formâ fuisse conjugem,

Ah quàm mancipiorum horum grave jugum ac insupportabile, sub quo longè magis gemunt, quàm olim Hebræi sub onere Ægypti.

Sumite ergò Citharam psalterium jucundum, personate ante thronum Dei; merces vestra erunt mancipia, quot volueritis. Alas binas addite quò ad cœlum liberè evolent; nam teste Jo. à S. Geminiano c. 9. disc. 4. sicut avis ascendit sursum duabus alis, sic animæ purgatorii Eleemosyna & Oratione ad gloriam Paradisi facilè transmigrare possunt.

Hoc ipsum moriturus S. Ephrem præscripsit filiis suis & fratribus desolatis dicens: (d) Comitamini me psalmis & orationibus vestris, & assiduè pro mea pravitate offerre dignamini, oro vos, ne cum aromatibus me sepeliatis, sed date vaporem boni odoris in domo Domini.

Sint ergò tria hæc vobis cordi: ponite panes, pellite famem, promite nummos, solvite lytra, tangite chordas, Cithara sonet, & ecce extinxistis impetum ignis. Nam teste Augustino serm. 14. de verbis Apostoli. Orationibus S. Ecclesiæ & Sacrificio salutari & Eleemosynis, quæ pro eorum Spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari. Nil addo, quàm ut aures vestras semel adhuc tristi vellicem Odâ. Miseremini! miseremini!

Ad vos proindè nunc me verto animæ desolatæ: Habete fiduciam, sperate benè; impetrabitis quod desideratis: Auditoribus meis non est cor lapideum, sed carneum, compassione & misericordiâ plenum: Lamentabiles clamores vestri, mœstissima suspiria ac gemitus, jam intima penetrarunt pectora Auditorum; jam commota sunt viscera charitatis in eis; luctum induunt super contritione Joseph. Sperate benè esurientes & famelicæ animæ, saturabimini micis, quæ cadent de mensa Domini: Haurietis aquas de fontibus Salvatoris: expungentur diebus istis liberali Eleemosyna debitâ, quæ contraxistis: extinguent ignes & ardores vestros calidæ & ardentes preces fidelium, excutient flammas de fornace

(a) *Ep. Jacobi c. 5.* (b) *Exodi 32.* (c) *Jacobus Biderman. acroamat. l. 2. acroamat 2.* (d) *Ephrem in Festo suo.*

fornace ignis, & facient medium fornacis, quasi ventum roris flantem.

Sperate benè: Auditores mei non sunt similes Pincernæ Pharaonis, cui cùm benè esset; oblitus est gementis in carcere Joseph: Auditores mei non imitantur Martham, ut dicant, quatriduanus est jam fœtet; vestri enim memoria nondum periit cùm sonitu campanarum: Sperate benè auxilium aderit vobis in tempore opportuno, appropinquat redemptio vestra; omnia pro vobis hodiè perorant: perorat lugubris & niger Ecclesiæ color, perorat tristis campanarum sonus; sacro horrore perorant tumuli clamantes misereminì, misereminì, Sperate spes vestra vos non confundet. Sperate: Oratio, septimanâ hâc sine intermissione pro vobis ab Ecclesia facta, uti olim Petri, ita & vestras rumpet catenas, Geniique cœlestes vos eductos de carcere tenebricoso, per portam ferream deducent in civitatem S. ibi lux æterna lucebit vobis & æternitas temporum, *requiescite nunc in pace.*



IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI.



Servus meus es Tu, quia in te gloriabor. Isaiæ 49.

NOva, nova! mirabilia nova AA.

Hodie credere cogor quidpiam, ad quod credendum me 7. obesi Pharaonis boves non traxissent.

Hodie testari quidquam cogor; quod penitùs falsum credebam.

Hodie cerno quidpiam, quod totus Orbis obstupescit.

Hodie audio quidpiam, quod totus infernus admiratur.

Hodie lego quidpiam, quod intellectus meus capere non potest.

Lego hodie apud Bernardum serm. de S. Martino sequentia; *Non fuit Martinus*

Martinus corpus cœleste, sed nec Spiritus cœlestis: (a) *non erat Martinus Christus ipse, sed tamen Christus in ipso*: hoc intellectum meum transcendit.

Audio hodie ex Sulpitio Severo aliquid, (b) quod hactenus ad aures meas non pervenit: Dùm Martinus dœmoni sibi apparenti, & nimiam clementiam ob peccatores in gratiã receptos exprobranti respondit: O miser si tu ipse pœnitentiam ageres, & à malo desisteres, ego tibi quoquè misericordiam polliceor à Christo D. meo. Cerno hodie aliquid, quod mundus nunquam vidit: Coquam Martini agit Uxor Cæsaris; Maximus ipse Imperator Majestatis oblitus, Pocillatoris fungitur officio; ut verificetur, quod Js. 49. scriptum: *erunt Reges Nutritii tui.*

Hodie testari quidpiam cogor, quod totus mundus non credit: Martinus in bello novus Phœnix est; Miles, & tamen sanctus, probus & misericors, Lilium inter spinas, columba inter accipitres.

Tandem credere cogor quidpiam contra ipsum effatum Isaiæ 28. quod nimirùm pallium breve cooperiat non duos tantùm sed tres; Mendicum in Porta Ambianensi, Martinum in equo, Christum in cœlo: Nam teste Greg. M. in verba illa Luc. 3, qui habet duas tunicas, idcircò de dividendis tunicis datur præceptum, quia si una dividitur, nemo vestitur.

O rara! ô mirabilia nova! AA. charissimi pallium hocce charitativum Martini, thema unicum erit discursûs mei hodierni: Vos patienter dicentem auscultate, ac festum pallii celebrate.

Varia memoranda pallia in sacris litteris invenio.

Pallium verecundum fuit, quo duo filii Sem & Japhet parentem suũ Noe, vino crapulatum ac dormientem cooperuêre. Gen. 9. *Sem & Japhet palliũ imposcuerunt humeris suis & incedentes retrorsum opereurunt verenda Patris sui.*

Pallium castum fuit, quod innocens Joseph, cum ad flagitium invitaretur, in manu sceleratæ Putipharis Uxoris reliquit Gen. 39. *relicto in manu ejus pallio fugit & egressus est foràs.*

Pallium infelix fuit, quo Jahel dormientem belli ducem Sisaram operuit; ac postmodùm tempora dormientis clavo transfixit. Judic. 4. *Tulit itaque Jabel clavum tabernaculi: percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram, qui soporem morti consocians defecit & mortuus est.*

Pallium mysteriosum fuit, quod Ahias Silonites Propheta, in conspectu Jeroboam in 12. partes discidit, significans à Rege Roboamo Salomonis filio, decem partes seu tribus fore avellendas & scindendaas 3. Reg. 11. *Factum est igitur in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jerusalem & inveniret eum. Abias Silonites Propheta in via opertus pallio novo, apprehendensque Abias pallium suum novum*

(a) *Bern. serm. de S. Mart.* (b) *In vita.*

vum, quo coopertus fuerat, scidit in duodecim partes.

Pallium sacrum, quod Elias igneo curru ad cœlum raptus discipulo suo Elisæo assiduè nomen ejus inclamanti, *Pater mi currus Israel & auriga ejus*, de cœlo cadere permisit. 4. Reg. 2. & *levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.*

Pallium denique admirandum & miraculosum fuit, quo S. Raymundus de Pennafort Jacobi I. Regis Aragoniæ Confessarius (jussu Regis, ne regeo excederet, omni naviglo destitutus) in mari expanso, à litore Majoricarum, Barcellonam usque centum nimirùm & 60. milliaria, horis nonnisi sex antemeridianis est emensus, Scipione pro malo pallio pro navi usus. Bissel in septenariis.

At nobilius & illustrius omnibus his est Pallium Martini, quo Christus unigenitus Dei filius hodiè gloriatur & triumphat: ad quod contemplandum advocat Angelos, invitat Seraphinos, adesse jubet Thronos ac Dominationes, ac monstrando illud ait: *hâc me veste Martinus adhuc Catechumenus contexit.*

O admirandum festum Pallii, in quo lætantur Angeli, exultant Archangeli, Deus ipse triumphat, ac Martinum commendat: (a) *Servus meus es tu, in te (hodie) gloriabor.*

AA. proferte obsecro causam, cur Altissimus Deus, qui volucres cœli plumis, terram gramine & floribus, animalia terræ vellere vestit, cur ita exultat, lætatur in frustillo ac lacinia pallii? edicite causam, cur ille, qui aliàs indutus est lumine sicut vestimento, ita in centonem hunc Martini sit inamoratus? mysterium utiq; in pallio hoc latere debet.

Novi optimè Magnum Eremitarũ Thebaidis decus ac Potriarcham Antonium plurimúm gloriatum in Pallio Pauli Eremitarum primi, ex palmarum foliis contexto; quo nonnisi festis solemnissimis Paschæ & Pentecostes opertus comparuit, magis in hoc gloriabundus, quàm in purpura Regum.

Novi optimè Theodosium M. Imperatorem ad bellum contra Eugeninm Tyrannum procedentem, Pallio sese BBmi. Abbatis Syruphii involvisse! causas habuêre quisque suas; Theodosio erat Pallium Sytuphii thoraxl ferreus, ad hostium tela non solùm excipienda, sed & retorquenda; scutum erat & umbo ad ictus hostiles evitandos;

Antonio vero Pallium Pauli, calcar erat ad viam virtutis currendam: Verba enim movent, exempla trahunt.

At genuinam causam, cur ita Christo arrideat Pallium Martini? cur in eo ita tripudiat: cur glorietur? quid emolumenti ex eo Salvatori accrescat assequi nondum valeo.

Indutus

(a) *Isaias 49.* (b) *Hieronymus in vita Pauli 1. Erem.* (c) *Bexenfelder histor. 102.*

Indutus erat Christus purpurâ teste Joanne c. 19: *Veste purpureâ circumdederunt eum*; nec tamen lego, in eâ gloriatum, multò magis de eâ erubuisse, utpote cujus regnum non esset de hoc mundo.

Indutus est iterum ab Herode veste albâ, utpote innocentiæ, Luc. 23. non tamen gloriatum in eâ lego, sed magis illusum.

In Transfiguratione Matth. 17. *Facta sunt vestimenta ejus alba sicut nix*; non tamen in tam glorioso habitu gloriatum memini, sed inhibuisse Apostolis: *nemini dixeritis visionem istam.*

Cur ergò in Martini scisso pallio adeò gloriatur? cur exclamat? hâc me veste Martinus adhuc Cathecumenus contexit?

An forsitan renovatum & iteratum est factum Jonathæ & Davidis. 1. Reg. 18. ubi sacer textus ait: *exspoliavit se Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David, usq; ad gladium & arcum suum, & usq; ad baltheum.*

Nunquid ergò Anima Christi & Martini instar Jonathæ & Davidis, agglutinata fuit, ut adeò hodie triumphet? Videtur id apertè sentire Bernardus serm. de S. Martino, dum ait: Martinus non erat Christus ipse, sed Christus in ipso.

Binas ego invenio causas, cur Christus adeò in Martini pallio glorietur.

Prima est, ut confirmaret doctrinam suam, quam Matth. c. 25. benedicto suo ore protulerat, quando dixit; *quodcunq; uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Si pauperi haustum aquæ frigidæ dedistis, mihi propinastis: Si eum mensæ adhibuistis; me hospitem habuistis.

Si nudum operuistis, id mihi est exhibitum.

Ut ergò cœlum & terra notaret veritatem istam, ad Angelos convertitur, ac dimidium Martini pallium monstrans, cunctis inclamat: hâc me veste Martinus contexit.

Altera fuit, ut suavii & amabili tractu cunctos ad opera misericordiæ similia præstanda induceret; hinc exemplum proposuit Martini, de quo ait Bernardus: (a) *Imitare in eo, quod est imitabile, non quod est mirabile:* prudenter & sapienter.

Non opus, ut cum eo suscites 3. mortuos; suscita animam tuam, si fortè in peccato mortua jacet.

Non opus, ut cum eo te opponas incendio; oppone te ardoribus & flammis libidinis, si quando in pectore tuo exurgunt.

Non opus, ut leprosis lepram abstergas, emunda conscientiam tuam, & cura ut pura sit.

Imitare in eo quod est imitabile, Imitare Charitatem, imitare misericordiam, fove pauperes, tribue egentibus, auxiliare necessitatem patientibus, adjuva miseros, quid

(a) *Bernard. serm. de festo.*

quid his fecisti, Deo fecisti, & retribuet tibi.

Placuit ergò actus ille misericordiæ & charitatis in pauperem Ambianensem adeò Christo, ut veste Martini pauperi prius datâ contectus, totus gloriabundus apparuerit ac dixerit: hâc me veste contexit Martinus adhuc Catechumenus.

Et negare non possumns actionem illam S. Martini revera fuisse heroicam & generosam, probant hoc cirtumstantiæ variæ.

Prima erat, Martinus adhuc erat Catechumenus; nondum sacrâ lymphâ tinctus, Christianæ militiæ adhuc tyro, nondum sufficienter in sacro Evangelio instructus.

Nesciebat adhuc promissum Christi Matt. 19. de Centuplo recipiendo.

Nondum legerat, *qui habet duas tunicas, det non habenti.* Luc. 3.

Nondum audierat illud Prophetæ: (a) *cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris*; & tamen hæc omnia ignorans, motus misericordiâ pallium discidit.

Transierunt plures, ad modum illius vulnerati in Jericho, sed nec Levita, nec Sacerdos misertus est pauperis & nudi, donec tandem advenit Samaritanus misericors Martinus.

Circumstantia altera aggravans atq; hunc actum generosiorem reddens erat.

Martinus erat Miles.

Triennio sub signis Imperatorum Constantii & Juliani militans, quid boni præsumendum? si verum illud: Regis ad exemplum totus componitur Orbis: necesse est, parum boni ab his coronatis capitibus didicisse Martinum.

Qualis Constantius & cujus notæ fuerit, abundè testatur Epistola à S. Hilario Episcopo ad eum exarata, uti refert Cornelius. (b)

Ita ille scribit: Proclamo tibi Constanti, quod Neroni locuturus fuissem, quod ex me Decius aut Maximinianus audirent, contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis, sanctos persequeris, Religionem tollis, tyrannus non jam humanorum sed divinorum.

Nec mitiori calamo eum depingit S. Athanasius Ep. de solit vita.

Quis ausit Constantium Christianum appellare, ac non potius anti-Christi imaginem, quid enim ex notis Antichristi huic deest? aut quid est, cur non omnibus modis Constantius Antichristus, & vicissim Antichristus Constantius habeatur.

O præclaras laudes! scilicet!

Quis Julianus fuerit, docet abundè Theodoretus l. 4. hist. Eccles. c. 25. dicens: Pueritia ejus erat commendabilis, Juventus corrupta, virilis ætas omnibus flagitijs cooperta: Sanguinem quidem traxit à Constantino Magno, sed degener Nepos turpissimusq; postea fidei Christianæ Apostata & desertor, probrum Cæsarum, labes Romani Imperii. de quo

(a) *Isa. 58.* (b) *Cornelius in cap. 11. Apocal.*

de quo Greg. Naz. adhuc Juvene cum ſtudiis operam daret Athenis, (a) prophetico ore dixit: Vah! quale monſtrum Romanorum terra nutrit.

Sub his duobus Monſtris militabat Martinus, quid ergo boni ſperandum? ſicut Rex, ſic & Grex.

Sed ſplendidè fallimini AA. reprobum eſt judicium veſtrum.

Erat quidem Martinus natus inter arma, nutritus inter tympana, educatus in Caſtris; at Sulpitio Severo teſte in ejus vita, integer ab ijs vitiis, quibus illud hominum genus implicari ſolet.

Martinus miles quidem erat, ſed totus diſſimilis illis, de quibus Poëta ait: *Nulla ſalus, pietasq; viris, qui caſtra ſequuntur.*

Miles erat Martinus, at multùm diſſimilis illis, qui dum omnia Elementa moverentur, contremiſceret mundi Machina, Cœlum tenebras & noctem induceret, attamen in monte Calvariæ ſuper tunicam Chriſti inconſutilem miſerunt ſortem; non rapuit Martinus aliena, ſed largitus eſt propria.

Miles erat Martinus, de quo dici non potuit, quod refert Henricus Senenſis: Milites deferunt ut plurimũ cor lapideum in animâ ferreâ, ſed potiùs illud Hieronymi, (b) miles erat, qui ſub paludamento & habitu militari egit opera Prophetarum; qui dicere poterat cum Job. 31. *ab infantiâ crevit mecum miſericordia, & de utero matris meæ ergreſſa eſt mecum.*

Apponite ad hunc actum Charitatis, actus patientiæ & manſuetudinis Martini, & eluceſcet, cur tantâ exultatione jubilet cœlum.

Dicteria, opprobria, ſcommata erant infinita, quæ in Martinum largiſſimis cachinnis à Commilitonibus jaciebantur: Hi Bardum, hi ſtolidum, hi amentem proclamabant indignum baltheo militari: ſcitis qui ſe geſſerit Martinus? Davidis inſtar; ludibrio habebat eum Michol, egreſſa in occurſum ejus dicens: (c) *quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael diſcooperiens ſe, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur unus de ſcurris:* quid egit David? ℟. idem quod Commilitionibus Martinus: *vilior fiam plùs quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis.*

Notum, virtutem miſericordiæ erga pauperes 3. habere gradus.

Primus eſt dare partem de ſuperfluis, & partem retinere juxta id, quod Luc. 11. ſcriptum, (d) *quod ſupereſt, date Eleemoſynam.*

Gradus ſecundus eſt, date pauperibus omnia ſuperflua, & retinere ſolùm neceſſaria.

Gradus 3. eſt, impertiri & neceſſaria indigentibus; & hic gradus eſt ſummus.

Ad Gradum hunc pervenit Martinus, qui non contentus abdicaſſe ſe patriis bonis, reliquiſſe ſuperflua, inſuper & neceſſariis ſe ſe ſpoliavit, ut in ejus laudem optimè in lib. præfat. cit.

(a) *Baronius ad annum 354.* (b) *Hier. apud. Monſ. de S. Mart.* (c) *2. Reg. 6.* (d) *Luc. c. 11.*

cit. Ambrosius. O felix largitas, quâ divinitas operitur! O gloriosa divisio chlamydis, quæ militem texit & Regem! O inopinabile donum, quod vestire meruit divinitatem! Hæc ille.

Actus hic charitatis & misericordiæ lapis primus & angularis fuit totius reliqui ædificii Spiritualis, quod Martinus postea extruxit.

Teneritudo hæc animi in proximi miseriam intenta, annulus extitit primus catenæ virtutum, quibus postea Martinus toto orbe claruit ita, ut de eo audenter dicat Laurent. Justin. serm. de S. Martino: *Ipse sacerdotum gloria, Præsulum Gemma, veritatis defensor, propugnator fidei, speculum humilitatis, pietatis exemplar, Imitator Christi, Martyrum consors, cujus animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrii non amisit.*

Jam non miror plausum ac jubilum Angelorum, in cœlis lætâ voce clamantium, in hoc festo Pallij: *O Beatum virum, cujus anima Paradisum possidet, unde exultant Angeli, lætantur Archangeli, Chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat; Mane nobiscum in æternum.*

Videbant Christum indutum Pallio servi sui Martini adventum servi fidelis præstolantem; audiebant invitantem eum ad prœmia cœli, Euge serve bone & fidelis. Nudus eram & cooperuisti me, intra in gaudium Domini tui, stolâ gloriæ immortalitatis induendus.

Hinc desiderantes & Martinum alterâ parte Pallii indutum cernere invitabant eum cū ursa cœli militia: mane nobiscum in æternum Rosa inter spinas, stella matutina inter nebulas, Columba innocens inter accipitres.

O sanctissime Præsul, cujus in corde ab utero crevit misericordia, qui in vitâ tuâ benignus & misericors ergà omnes fuisti, aperi & super nos viscera pietatis tuæ, ac impetra nobis à Deo tuo, cujus nunc aspectu frueris, ut & nos simus inter spinas rosæ & lilia, inter accipitres columbæ, inter lupos agni, inter malorum consortia Sancti & justi.

Impetra nobis, ut licet nos circumdent ubiq; nebulæ tribulationum, calamitatum, persecutionum, adversitatum, attamen semper velut stella matutina in omni patientiâ per has eluctemur.

Demùm quod maximum est impetra nobis, ut ante obitum & nos exemplo tui in cinere & cilicio pœnitentiam agamus, & bonæ conscientiæ testimonio confisi inimico infernali adstanti ad lectulum mortualem dicere valeamus. *Quid adstas cruenta bestia, nihil in me funeste invenies.*

Annuit Votis nostris Martinus, sed unum illud adjicit, *vade & fac tu similiter:* Imitare exempla virtutum mearum, & etiam animam tuam, cùm hymnis & canticis chorus cœlestis excipiet ac acclamabit: Mane nobiscum in æternum.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. M. VIRGINIS.



Prior in Donis, Major in Imperio, Genesis cap. 49.

MAgnetis & Succini naturam imitantur dona & munera, trahunt fortiter & ſuaviter reluctantia Corda: Catenæ ſunt amabiles, quæ animas menteſq; ligant, & devinciunt: Amoroſa ſunt retia, quibus voluntas nolens concluditur: Viſcus deniq; ſunt, & tenax gluten, cui, quid quid propinquat, adhæret: Hinc appoſitè Sulmonenſis Poëta ait: (a) *Munera crede mihi, placant Hominesq; Deosq;*: placant ſiquidem

(a) *Ovidius lib. 3. de arte amandi.*

ſiquidem animos, ſedant Odia, mitigant bilem, conciliant affectum, rapiunt deniq; & captivant pectus.

Noverat hoc optimè Patriarcha Jacob, (a) unde ſolicitus pro captivo filio ſuo Simeone in Aegypto, ad Proregis durum pectus nonnihil mitigandum ait ad filios ſuos, *ſumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte Viro Munera: Modicum Reſinæ & Mellis, & ſtoracis & Stactes, & terebinthi & amygdalarum, & ite ad Virum.*

Non latebat hoc Iſai Patrem David, unde cum à Saul filius ejus poſtularetur in Pſaltem, ad aucupandam gratiam Regis, (b) *tulit Iſai Aſinum plenum panibus, & algenam vini, & hœdum de capris unum, & miſit per manum David Filii ſui Sauli.*

Ponderabat hoc abundè prudens Abigail, unde Davidem, qui jam veniebat univerſam Domum Nabal gladio deleturus, mitigatura, (c) *feſtinavit, & tulit ducentos panes & duos utres vini, & quinq; arietes coctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas uvæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum & poſuit ſuper aſinos & obviam proceſſit ei.*

Compertiſſimum erat hoc Reginæ de Saba, quæ famâ ſapientiæ Salomonis Jeroſolymam tracta, ut gratiam ejus & amicitiam mercaretur, de finibus terræ ad eum cum muneribus venit, offerens ei auri & argenti grandia pondera, aromata, & lapides pretioſos nunquam Solymæ antea viſos, ſapienter ratiocinata, muneribus his etiam cor ſapientis inescandum.

Hæc erant præclara illa & memoranda munera, in quibus vetus gloriabatur Teſtamentum; Modicum Reſinæ & Mellis; modicum vini, ficuum & caricarum, modicum Aromatum, ſtactes, & Terebinthi; modicum Auri, Argenti atq; Gemmarum; His redimendi erant captivi, his emenda & nundinanda gratia Regis his mitiganda ira & bilis, his comparanda deniq; benevolentia & aulæ acceſſus.

Pudet me munerum horum meminiſſe, dum mente revolvo Donum illud nobile, quod hodiernâ luce ſupremo Numini Sanctiſſimum par Conjugum Anna & Joachim in Templo Jeroſolymitano obtulerunt, Triennem nempe Virgunculam Mariam Donum tale, cui par offerre non poſſunt Cœlum & terra.

Quid enim poſſidet Cœlum & terra, quod ad juſtiſſimam iram altiſſimi erga ingratum hominum genus avertendam aut mitigandam depromere queat: Cœlum enim licet univerſas divitias ſuas perſcrutetur, non aliud habebit quod offerat, niſi fortè rutilantem Comam Phoebi, vagæ Cynthiæ cornua Planetarum ac ſiderum ſcintillas, Auroræ demum & Iridis roſcidos colores: nec aliud terra offerendum inveniet niſi rudes quaſdam auri laminas in montibus, ex mari margaritarum conchilia

(a) *Geneſ. c. 43.* (b) *1. Reg. c. 16.* (c) *1. Reg. cap. 25.*

chilia ex hortis evanidos flosculos, ex arboribus deniq; stacten & Balsamum.

Cedant ergo cuncta dona quæ Orbis possidet hodierno glorioso muneri, de quo Epiphanius de laud. Virg. ait, *quidquid Cœlum & terra continent boni & perfecti, id totum compendio quodam mirabili Deus collegit in Maria.*

DONUM, ut gratum sit, acceptum, & magni æstimetur, requirit Tria. *Pretium*, *Pulchritudinem*, & *Raritatem*: Pretium parit gratiam, Pulchritudo affectum, Raritas Admirationem. Obstupescere & demirari non satis potuit Imperium Sinarum Munus illud Regium & Imperiale à Ferd. III. Rom. Imperatore Sinarum Imperatori Zunchio per Patrem Martinum Martinium Societatis JEsu Commissarium ex Europa Anno 1655. Pekinum transmissum: deerant illis sufficientes oculi ad id contemplandum, Elogia & præconia ad illud extollendum: Cur hoc? Causa erat, quia tria illa requisita in se ad amussim continebat. Pretiosum erat, quia auro, argento, gemmis, & ebeno affabrè cælatum: Pulchrum extitit, quia formâ & specie decorum; Rarum fuit ob exquisitam manum artificis, utpotè cui par Asia hactenus non aspexerat.

In altitudine opus hoc admirandum in octo pedes geometricos exurgebat, in formam Abaci, seu Arcæ Regiæ elegantissimè elaboratum, quod non aurum, aut exquisitæ gemmæ, sed Ars inæstimabilis commendabat.

Insistebat Machina hæc quatuor pretiosis columnis, eratque in 3. partes mirabili artificio distincta. Pars inferior continebat Clavicimbalum, quod cum adstantium summo stupore sine ullius Organœdi opera, aut attactu diversas amabiles Odas personabat, & prout variabantur, aut ducebantur Registra, variabatur & melos, nunc sonum testudinis, nunc cytharæ, nunc fistularum, fidium, tympani & tubæ genuinè & suaviter imitando.

Pars media repræsentabat Aulam pomposam, & Theatrum regium speculis & raris picturis nobile, in cujus medio Rex Solymæus David in elevato Throno sedebat, ac ad sonitum cujus vis horæ cytharam non investigandâ arte pulsabat: per diversos tractus, & ductus in momento variebatur hæc Aula, nunc viridantes hortos, nunc frondosa nemora, nunc pomposas Urbes, nunc amœnas Valles repræsentans.

In suprema parte cernebatur artificiosum Horologium, Synicas horas amabili cymbalorum sono indicans: supra verò stabat Globus cœlestis, cursumSolis, Lunæ & planetarum ad amussim repræsentans: Verbo Miraculum erat, quod totus Orbis obstupesceret, describit id Schottus parte 2. lib. 6. Magiæ Musicæ.

AA. Si mentem & oculos ad Mariam vertamus, cunctas qualitates ad donum perfectum requisitas in summo gradu in ea deprehendemus: Ipsa enim est Donum pretiosum, Donum pulchrum, Donum rarum & charum, non hominibus, sed & Angelis obstupescendum.

Audite quid de Dono hoc sentiat Gregorius Nicomediensis serm. 4. de B. V. dicens: *Hodie offerunt Altissimo Anna & Joachim triennem suam parvulam in Templo, pretiosum revera illud Donarium, ipsis Angelis venerabile supremum ac mundissimum Cymelium, in quo omnes Thesauri gratiæ depositi fuere.*

Altius intonat (a) D. Anselmus asserens, donum hoc esse inæstimabile simul & ineffabile, dum lib. de exor. hum. Vitæ c. 7. ait: *Nihil tibi ò Domina est æquale, nihil comparabile, omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te est; quod supra te est, solus Deus est; quod infra te est, omne id est, quod Deus non est*: meritò proindè Maria à Petro Damiani orat 1. de Nativit. B. V. vocatur Donum donorum omnium præstantissimum simul & charissimum.

Nobile quidem & pretiosum donum extitit Machina illa Sinarum Imperatori à Romano Cæsare transmissa, at centies eam superat Maria Machina illa cœlestis & admirabilis, quàm non Artifex homo, sed æterna sapientia excogitavit ac ne damnum pateretur, septem pretiosissimis columnis fulcivit, vas verè admirabile, opus Excelsi: nam quid quid in Munere Chinensi mirandum, id & in Maria obstupescendum invenitur.

Resonat enim & in hac Arca suavissimum illud Organum non hominis manu, sed à Spiritu S. pulsatum, uti Mariam nominat Jacobus Monachus orat 6. in Mariali suo: Auditur præter alias amabiles Odas, mellifluum illud Canticum Magnificat à cœlesti hac Tympanistria compositum & modulatum.

Repræsentatur Maria (instar illius admirabilis Machinæ) nunc (b) velut Aula magnifica, & totius Trinitatis nobile Triclinium, uti B. V. Doctor Angelicus nominat.

Nunc oculis objicitur velut floridissimus Paradisus, (c) in quo plantatum est Lignum Vitæ, ut ait S. Proclus, quod omnibus fructum præbet immortalitatis.

Nunc ut Globus cœlestis apparet, cujus caput sidera coronant, cui splendoribus suis Sol & Luna deserviunt.

Nec deest Machinæ Horologium admirandum, altitudinem & declinationem Solis Justitiæ monstrans: nam in hoc Horologio (Maria scilicet) Sol Justitiæ decem lineis retrogressus

(a) *Anselmus de concep. Virg. apud Aug. Erhardum in mundo Symbol. l. 9. c. 14.* (b) *S. Thom. Dom. 4. in quadr.* (c) *Orat. 6. de laud. B. V.*

greſſus eſt, quia minutus paulò minus ab Angelis, per novem eorum Ordines deſcendens, ad decimam usque humanæ naturæ lineam ſe demiſit, uti Carthagena 15. hom. de arcanis Deiparæ docet: Horologium verè obſtupeſcendum, cujus pondus humilitas fuit, ut loquitur Bernard. de Buſtis ſerm. 9. de oper. B. V.

O donnm pretioſum! ô donum nobile! ô munus, auro gemmis & margaritis præſtantius.

Ad pretium hujus muneris Mariani accedit ulterius pulcritudo inſolita, quæ tanta in Virgine extitit, ut Dionyſius Areopagita oculatus teſtis Epiſtola ad D. Paulum ſcribere non ſit veritus: (a) Teſtor Deum, qui aderat in Virgine, niſi me divina aliter docuiſſent eloquia, hunc verum Deum credidiſſem; conformiter ad id, quod poſteà D. Bernard. ſerm. 3. de Aſſumptione ſcripſit, ſi formam Dei te appellem, digna exiſtis.

Sufficiat ad commendandam Virginis venuſtatem & pulchritudinem, quod à Damaſceno (b) dicatur Deo digna filia, humanæ naturæ venuſtas, mulierum ornamentum.

Sufficiat, quod à Cyrillo (c) Patriarcha Alexandrino nuncupetur ornamentum generis humani, & univerſæ creaturæ decus: à Gregorio verò Nicomedienſe pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum. (d)

Sufficiat ad commendandam Virginem laus illa, quam Mariæ tribuit Hugo Victorinus ſerm. 9. inſtit. Monaſt. ſic eam ſalutans: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: pulchra es intus, pulchra es foris, intus in corde, foris in corpore, intus rubicunda per charitatem, candida per caſtitatem, compoſita per humilitatem, in toto es grata, in nullo ingrata, in toto tu places, in nullo tu displices, pulchra es per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima per gloriam, hæc ille. Undè rectè concludit S. Epiphanius: (e) Quidquid cœlum & terra cohibet boni & perfecti, id totum Deus compendio quodam mirabili collegit in Maria.

Qui enucleatius de pulchritudine Virginis inſtrui cupit, interroget Clericum illum Mariæ Clientem chariſſimum, quid de Virginis vultu ſentiat: Factum recenſent Deliciæ Bidermanni l. 2. c. 4. Item Carthag. l. 2. hom. 5.

Quanquam nil charius in vita oculis noſtris ducamus, extitit tamen Clericus quidam Virgini ſupra modum addictus, vota votis addens, preces precibus cumulans, ut ſemel ſolùm per transennam formam Virginis ei liceret intueri: Audiit preces Clientis, Mater pulchræ dilectionis, ac miſſo cœleſti Genio diem & horam feliciſſimam indixit, quâ ad videndam cœli Reginam oculos ſuos acueret, conditione tamen adjectâ, Virginis gratioſum vultum non niſi oculorum diſpendio impetrari poſſe, nec enim æquum videri, ut oculus ſemel ad tam

(a) *S. Dionys. apud Carth. lib. 2. h. 5.* (b) *Orat. 1. de Nat. V.* (c) *Cyrillus l. contra Neſtor.* (d) *Orat. de laud. V.* (e) *S. Epiph. de laud. V.*

tam ſublime cœli ſpectaculum admiſſus, impoſterum in lutum & cænum terræ, obtutum figat.

Placuit Clerico quidem favor Virginis & cœleſte promiſſum; at conditio adjecta, & metus cœcitatis nonnihil animum ejus turbârunt, ut diu hæreret dubius quid ſtatueret: ſtimulabat eum extremè pulchritudo Virginis, retrahebat interim mentem inſtans cœcitas, omnes functiones ſacras uno momento impoſterum delectura: & ecce in arena argutum capit conſilium, multùm ſibi in hoc argumento complacens, ut ſcilicet obductâ manu ſiniſtrum lumen occluderet, dextrum verò oculum ſacro impenderet ſpectaculo, ſic conſultum fore & cœcitati & ſacro amori.

Adfuit interea momentum illud millies exoptatum; cum ſe repentè Juveni Virgo ſtitit, majeſtate & ſerenitate vultus tam inſolitâ, ut mox oculo dextro ſplendori ferendo impari nox & tenebræ ſint ſuperinductæ, quo in diſpendio id unum lacrymosè lamentabatur, quod timidè nimis ac ſtultè ſiniſtro peperciſſet oculo, ac tanta gaudia invidiſſet: Sacro igitur zelo inflammatus, dabis, dabis, ajebat, pœnas mihi ocule nequam, & quia tantam cœli faventis elegantiam videre detrectaſti, plectam te, ut nihil deindè terrenum aſpicias, ac ad hoc ſolùm vivas ſuperſtes, ut in uberes fletus die noctuque erumpas: Sed quid ego pœnas de lumine ſumam, ſumat illa, quam petulans oculꝰ deſpexit: accingere tu mater amabilis, pulchritudo omnis pulcritudinis, ac ſupplicium de eo ſume; nam excœcari, & extingui hoc ipſo, quod in te reſpicere noluit, debebit: hoc tibi non operoſum, mihi verò glorioſum, rebellem oculum ita vindicare: ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria, oſtende mihi faciem tuam, mille oculos ſpectaculo tam amœno impendam.

Perdam lumina mille, deindè centum: Perdam millia, dein ſecundo centum: Dein poſt millia multa, multa rurſus optem millia luminum, in cupito viſæ perdere Virginis theatro.

Secundùm has quærelas iteratò illa, etiam ſeipſâ velut formoſior illuſtriorque prodiit, ſiderum ac gemmarum omnium ſplendorem ſuâ luce & ſpecie extinguens, in quam dum non ſolùm ſuperſtite oculo, ſed toto animo, totisque ſenſibus collimat, ac amicum lumen tenebris & ſecuturæ nocti dedicat, ecce tibi novos favores, in amoris filialis hoſtimentum non ſolùm detrimentum nullum ſentit in oculo, ſed & prius extinctum lumen reviviſcit accenſum de novo à ſtella Jacob, omnem de cætero formam terrenam in animo ejus extinguens.

Quis jam mirètur votum melliflui Bernardi, (a) ſerm 2. in adventu exclamantis ad Virginem hanc, ac in lucta ultima nil aliud expetentis quàm, *Gratioſus vultus tuus B. Virgo nobis appareat in extremis formoſitas faciei*

(a) *Apud Engelg. Feſt. Immac. Concept.*

faciei tuæ lætificet spiritum nostrum, & sufficit nobis.

Quid amplius quæris? quid ultra requiris in Virgine? ait Valentinus Præsul Villanova, (a) solve cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias, & describe apud te in animo Virginem quandam purissimam, pulcherrimam, omni gratiâ plenam, omni sanctitate pollentem, omnibus virtutibus ornatam, omnibus charismatibus decoratam, Deo gratissimam, quantùm potes, tantum auge, quantùm vales, tantum adde, major est ista Virgo, excellentior est hæc Virgo, superior est Virgo ista.

Requisitum ultimum in munere est, ut si cupias esse charum, sit simul & rarum.

De raritate Doni Mariani lis non est intentanda, cum apertè testetur S. Proclus. (b) Nihil in mundo cum Dei Genitrice comparandum est: Res omnes conditas ô homo cogitatione peragra ac perspice, an quidquam sit, quod Dei Genitricem æquet, ac superet; terram undique lustra, mare circumspice, aërem investiga, homines animo perscrutare, virtutes omnes ab oculorum sensu remotas cogitatione complectere, ac vide, an in omnibus rebus conditis sit ejusmodi miraculum?

Donum utique rarum, quia omnis maculæ originalis expers.

Donum singulare, quia obstupescente naturâ ab infœcundis & sterilibus parentibus emanavit.

Donum rarum ab æterno unigenito filio Dei prædestinatum.

Donum singulare, Matris gaudia cum virginitatis honore complectens.

Opus, teste Petro Damiani, (c) quod solus Opifax supergreditur.

Portentum gloriosum, juxta S. Thom. de Villanova, (d) cunctis sæculis admirandum.

Miraculum ex mente Damasceni, (e) omnium miraculorum maximè novum.

Miraculum juxta Chrysostomum (f) magnum, quo nihil majus aut illustrius ullo tempore inventum, aut inveniri poterit: Undè sapientissimè in laudem doni hujus rarissimi concludit Hugo de S. Victore serm. 46. scribens, quæcunq; in creaturis sunt amabilia, quæcunque suavia, quæcunque dulcia, quæcunque pulchra, quæcunq; pretiosa, quæcunque laudabilia, quæcunq; admiranda, quæcunq; prodigiosa, quæcunque sublimia, hæc sunt in Maria, hæc per Mariam, hæc Maria.

Quis nunc miretur, si donum hoc nobile, rarum & præclarum non satis admirari queant Angeli in cœlis, dum alter ad alterum clamat Cant 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? quæ est ista* Cant. 6. *quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol.*

Quid

(a) *Villanov. c. 2. de Nat. B. V.* (b) *S. Proclus ap. Jo. Damascen. Ep de Trisagio.* (c) *Serm. de Nat. V.* (d) *Serm. 2 de Annunt. B. V.* (e) *Orat. 1. de Nat. V.* (f) *In Hipp. pant.*

Quid mirum, si sanctissimi Patres, ac Ecclesiæ Doctores donum hoc pretiosum condigno calamo deprædicare se posse desperant? dum cum Bernardo, in deprecatione ad B. Virginem, palàm fatentur in tuis laudibus, ô Virgo, omnis lingua balbutit.

Dum cum Joanne Damasceno (a) exclamant, ad te pro dignitate laudandam, omnis inops est lingua, quin & animus excelsior mundo in laude tua vertiginem sentit ô Maria.

Dum denique cum Hieronymo & Augustino (b) tenuitatem ingenii ac linguæ exilitatem agnoscentes fatentur, quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in ejus laudibus referemus, cum etiamsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam tamen condignè laudare sufficeret nullus. August. serm. 2. de Assumpt.

Facessat igitur tam vetus quàm novum Testamentum cum muneribus suis, dum in immensum oblatio hodierna universa reliqua dona superat, & confundit.

Obtulerit Aristobulus, Judææ Princeps (c) Cneo Pompejo Cœlesyriam obeunti pro munere vitem auream quingentis talentis æstimatam.

Maria est hæc vitis aurea, secundùm Bonaventuram, (d) botrum ferens dulcis vitis, per quam pulsa mundi sitis; Vitis, de qua prodiit botrus ille Cypri, in torculari crucis pressus, ex quo profluxit vinum germinans Virgines.

Transmiserit Soldanus Ægyptius Imperatori Friderico Primo, ad contestandam amicitiam, vas pellucidum ex unico Smaragdo excisum, arte & cælaturâ nobile, pretio inæstimabile, viginti unciis odoratissimi balsami repletum, uti referunt Majolus & Kranzius; ah procul procul relegate hoc Balsamum Turcicum, mephitis enim instar fœtet, dum Mariam considero, quæ teste Eccles. cap. 24. sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedit: quam Sanctus Epiphanius (e) supplici genu ita salutat: Ave Maria gratia plena, quæ es urna aurea continens (& balsamum immortalitatis) & manna cœleste: (f) Vas admirabile, opus excelsi; vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso. Eccles. cap. 50.

Obtulerit grande Gandavum nato Carolo Vto pro natalitio munere argenteam navem, velo remisq; instructam, Fortunatius est donum Maria, facta quasi navis institoris de longè portans panem, (g) cujus navis Gubernator Deus Pater, velum insufflans Spiritus Sanctus, Remiges Cherubin & Seraphin; de qua nave præclarè Poëta ait:

Fortunam vehit illa bonam, vehit illa salutem:
Tuta vel in mediis fluctibus ire potest.

Sit à Maximiliano II.do Cæsare pro æterna memoria miraculoso sacello Hallensi Rosarum stirps aurea in altitudine duorum pedum, ex qua minores

(a) *In Mæneis, apud Wolf. Weisbaupt in Lyt. Laur.* (b) *Hieron. ap. Hibernicum V. Maria.* (c) *Josephus l. 14 antiq.* (d) *Bonav. in Rhytm.* (e) *S. Epiphan. ser. de laud. Virg.* (f) *Eccles. c. 43.* (g) *Proverb. 31.*

nores alii surculi prodibant, cum dependentibus hinc indè aureis rosis dono transmissa: Hodiè ècontra Solymæ templo à Joachimo & Anna in perpetuum anathema consecrata & illata est Maria, Rosa illa mystica, honor decusq; florum, quæ Damasceno teste (a) divinâ suâ fragrantiâ omnia perfudit; Rosa, quæ licet ex spinis (id est Judæis) sit orta, spina tamen & aculeo peccati semper caruit.

Obtulerit licet Galeacius II.dus Mediolani Dux (b) hospitibus convocatis ad nuptias Filiæ suæ Violantæ Delphino Regis Galliæ Filio desponsatæ triginta scutellas plenas unionibus & gemmis; ècontra hodiè Deo & universæ cœlitum curiæ præsentârunt Anna & Joachim Mariam, pretiosissimam margaritam orbis terrarum, ut eam vocat Cyrillus Alex. (c) gemmam super aurum & topazion, uti eam intitulat Trithemius: (d) Monile Paradisi inexplicabile, ut Mariam salutat Epiphanius Orat. de laud. V. Vas virgineum divinis charismatibus & margaritis ineffabiliter ornatum, ut loquitur Greg. NeoCæsar. ser. 2. de Nat. B. V. in quo omnis lapis pretiosus, Sardius, Topazius & Jaspis, Chrysolitus & Onix, & Berillus, Saphirus, Smaragdus & Carbunculus, aurum opus decoris ejus.

Obtulerint deniq; anno post Christum 1523. quatuor ex ultimis oris Americæ in Hispaniam venientes Legati, Carolo V. Imperatori inter alia illustria munera Gallinam auream unà cum duodecim pullis, cujus Gallinæ rostrum ex splendido adamante, crista verò ex aurivomo carbunculo erat confecta.

Ah Maria est Gallina illa aurea & cœlestis, cui teste Bern. de Bustis (e) datæ sunt duæ alæ magnæ, una ala misericordiæ, sub quâ peccatores confugiunt, ut Deo reconcilientur; alia est ala gratiæ, sub qua Justi consistunt, ut in gratia conserventur; millenos pullos similes infernalis milvus ille dilacerâsset, nisi ad Virginem accurrissent, & Maria illos sub gratiosis alis suis abscondisset.

Testatur id abundè S. Thom. à Villanova conc. 3. de Nat. M. V. dicens: Omnes ad te currimus, tu nostra protectio, tu nostrum refugium, tu nostrum subsidium & asylum: sicut pulli volitantibus desuper milvis ad Gallinæ alas accurrunt, ita nos sub velamento alarum tuarum abscondimur. O Maria verè verè tu es, teste Mauritio de Villa probata serm. 8. de laud. M. Carbunculus lucens peccatoribus in nocte.

O donum igitur pretiosum, cui par non vidit orbis; ô donum pulchrum, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, ô donum rarum, charum, & præclarum!

O Sanctissimi Parentes, castissimum par Turturum Joachim & Anna, vobis Dama-

(a) *Orat. 1. de Nat. Virg.* (b) *Laurent. Chrysog. Dalmata p. 1. Mundi Mariani.* (c) *Cyrillus Hom. 6. contra Nestor.* (d) *Lib. de mir. B. V. c. 6.* (e) *Bustis in Mariali p 3. S. 2.*

Damaſceno teſte (a) *omnis creatura obſtricta eſt, per vos enim hodie Donum omnium donorum præſtantiſſimum Creatori in templo eſt oblatum.*

Obſtricti ſunt vobis Angeli, quia per vos Reginam Angelorum receperunt.

Obſtricti ſunt vobis homines, quia genuiſtis eam, ex qua ſalus mundi prodiit.

Obſtricti ſunt vobis Peccatores, per vos enim receperunt Aſylum & Civitatem refugii, in dono enim veſtro, Bernardo teſte, Angeli lætitiam, Juſti gratiam, & peccatores invenerunt veniam. In ſemine enim veſtro benedictæ ſunt omnes Gentes terræ.

O Sanctiſſimi Progenitores, quasnam vobis debitas rependemus gratias?

Vos eſtis, qui genuiſtis nobis Matrem gratiæ, Matrem miſericordiæ, & totius conſolationis.

Vos dediſtis nobis ſcalam cœli, per vos illuxit ſedentibus in umbra mortis ſtella ex Jacob: Vos vos dediſtis arcam mundo naufrago.

Claudo Elogium veſtrum, ac ſupplici genu cum piiſſimo Abbate Trithemio exclamo: (b) O Joachim & Anna, digni æterna memoria parentes, qui Domino Deo in ſimplicitate famulantes theſaurum inæſtimabilem obtuliſtis, quis vos dignè laudare ſufficiet? & cap. 8. inf. Nemo unquam tam gratum Deo munus obtulit, nemo theſaurum tanti pretii unquam templo præſentavit.

Laudent ergò Vos aſtra matutina, quia ortum eſt ex vobis ſignum illud magnum, Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus.

Extollat vos cum fructibus ſuis ſuper æthera mare, & laudes veſtras deprædicent abyſſus; quia mundo naufrago Mariam dediſtis, quæ dominatur poteſtati maris, & motum fluctuum ejus mitigat Pſal. 88.

Laudent vos univerſæ arbores terræ, dum diu quidem ſteriles tandem ſurculum benedictum progerminâſtis, ex quo fructus vitæ eſt decerptus.

Circumdent capita veſtra flores roſarum, & lilia convallium, ex quibus prodiit lilium illud ſine macula, Roſa myſtica, Regina florum.

Applaudat vobis cantibus ſuis univerſus Chorus volatilium cœli, quia ex ſemine veſtro prodiit unicus Phœnix ſæculi, Maria.

Laudent denique Parentes hos glorioſos in generatione & oblatione ſua Cœlites & Terrigenæ, & laudes eorum in æternum enuntiet Eccleſia Sanctorum.

Unicum hoc, ô ſanctiſſimi Progenitores, à vobis precamur, impetrate nobis à Filia veſtra patrocinium & gratiam, à Nepote verò veniam & miſericordiam.

(a) *Orat. 1. de Nat. B. V.* (b) *De laud. S. Annæ cap. 6.*

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRG. ET MART.



Non est talis Mulier super terram, Judith II.

Dii vos perdant, ô execrabiles Medææ ac Drachomiræ! Glutiat vos Tartarus, ô incestuosæ Herodiades & Semiramides! Sanguinem vestrum canes lingant, ô sanguinariæ Jezabeles & Athaliæ! Equi vos in partes distrahant, stipites & exacuti pali corpora vestra terebrent, ô maledictæ Brunichildes ac Romildæ Conjugum vestrorum Sicariæ & Homicidæ! Viperæ vos morsibus conficiant, ô ambitiosæ Agrippinæ & Cleopatræ, abyssus turpitudines vestras sepeliat, salaces ac libidinosæ Thaides & Floræ. Malè denique sit vobis sceleratæ Helenæ,

Bolenæ & Clytemnestræ, quæ præpudiosis adulteriis vestris totum propè orbem ad arma, ad strages, ad interitum concitâstis.

Vos estis, quæ toti devoto fœmineo sexui æternum infamiæ stigma inussistis. Vos estis, quæ splendorem ac gloriam sexûs vestri ignominiosâ turpitudine contaminâstis: Vos estis, quæ ob detestanda scelera vestra ansam & occasionem præbuistis, ut millenis vituperiis, opprobriis ac conviciis innocens nunc sexus proscindatur; Superbia vestra, avaritia, invidia & impuritas impulit Phocilidem Poëtam, ut ex quatuor animalibus, velut ex 4. Elementis, Cane, Ape, Sue & Equo somniârit, vos esse productos: Inconstantia & levitas animi vestri causa erat, ut Simonides, vos à ventis fabricatos assereret, convenienter versui decantato.

Quid levius fumo? flamen; quid flamine? ventus.
Quid vento? Mulier; quid muliere? nihil.

Doli ac fallaciæ vestræ persuaserunt Petrarchæ, ut de vobis inquireret sedulò, quid essetis, sibique responderet: *Fœmina tota dolus, tota ars, tota histrio, tota venenum.* Amorosæ insaniæ vestræ in causa sunt, ut dictæ sitis naves incendiariæ, quæ venereis flammis totum incinerârunt Orbem.

Nec mitiùs vobiscum agunt ipsissimi Sancti Patres, quos si interrogem, quid sit mulier? mox respondet Hieron. de vita Cleric. *Mulier est janua diaboli, scorpio venenatus.* Quid est mulier? Respondet Joa. Damascenus Paral. c. 6. *Sceptrum inferni, concupiscentiæ princeps, requies serpentis, Diaboli consolatio.* Quid est mulier? Respondet Anastasius Nicenus Tom. 6. Bib. PP. *Cordis lancea, vestita vipera, viri naufragium.* Quid est mulier? Respondet Chrysostom. hom. 15. in Matth. *Malum summum & acutissimum telum diaboli.* Quid est mulier? Respondet Bonaventura in diæta salutis c. 9. *Mulieres sunt Balistæ diaboli de longè ferientes.* Quid est mulier? Respondet S. Ephrem: (a) *Fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ, pernicies oculorum, exitium animarum.* Quid est mulier? Respondet August. de singul. Cleric. *Mulieris cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem.* Quid est mulier? Respondet denique sapiens Eccles. c. 7. *Juveni amariorem morte mulierem,* vult dicere: Sicut mors, ita longè magis mulier est omnium terribilium terribilissimum.

O Titulos! ô vituperia! ô invectivas! ô opprobria! Parcite nonnihil sexui devoto ô Venerandi Doctores, calami acrimoniam nonnihil moderamini, scelera enim unius Medeæ aut Drahomiræ in omnes non redundant. Crudelitas Jezabelis aut Athaliæ, integrum sexum non

(a) *Ephrem ser. contra improbas mulieres.*

non infamat: Libide Thaidis aut Bolenæ totum chorum non commaculat: Stant ex altera parte Millenæ Kunigundes, Clotildes, Pulcheriæ, Genovefæ, Hildegardes, Agnetes ac Margaritæ, castæ, Pudicæ, fideles sanctæ ac Deum timentes animæ: insontes proindè minimè tangit sacro sancta iracundia vestra.

Respirate proindè pudore & rubore suffusæ animæ, Patronum hodiè vestrum agam, talemque producam fœminam, quam totus obstupescat Orbis, quam cuncti laudibus celebrent, præconiis venerentur Catharinam, nimirum Virginem & Martyrem, nitidissimum speculum, in quo sese non fœminæ solùm, sed & viri contemplentur, nam teste Augustino: (a) nec fœmineus sexus suis fraudatur exemplis, in quibus Viri se se contemplentur.

Dum igitur ad laudes Catharinæ me accingo, vos patienti animo dicentem audite, ac omnes fœminas in Catharina laudari credite.

Cui igitur comparabo te, vel cui assimilabo te filia Jerusalem? Palmam tibi cedit castissima Sunamitis; Eloquio superas dissertam Abigail; fortior es Jahele; prudentior Thecuite, amabilior Esther; *multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Tu es Virgo sapiens & una de numero prudentum; diffusa est gratia in labiis tuis propterea concupivit Rex speciem tuam. Non solùm existis pretiosa gemma Græciæ, sed inæstimabilis Margarita totius Ecclesiæ, altior es universo cœtu fœmineo ab humero & sursum.

Comparabo igitur te non cum fœminis, sed cum Apostolo Paulo ipso, qui Vas electionis, Tuba Evangelii, Eloquentiæ flumen, uti eum nominat Hieron. Ep. 61. ad Pamiach. neque hinc aliquid S. Paulo detractum credite, qui ipse ad Philippenses c. 3. nil aliud desideravit: quàm *imitatores mei estote, sicut & ego Christi*: Parallelos proindè similes dabunt Conversio, Vita, Virtntes, Mors, & Miracula amborum.

Natus est Paulus Tarsi Ciliciæ, parentibus nobilibus & senatorii Ordinis, (b) uti August. in Epist. ad Philippenses probat ex verbis Pauli: *Si quis alius videtur confidere in carne, Ego magis*; studiorum exinde gratiâ est Jerosolymam missus, ut in lege Domini eruditetur, uti ipse fatetur Act. 22. *Ego sum Vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ipsâ civitate, secus pedes Gamaliel eruditus*; ubi brevi profecit super omnes coætaneos suos: Judicismi intereà tenebris ita excœcatus, ut spirans minarum & cædis in discipulos Domini. Damascenum peteret, vinctos quos posset perducturus in Jerusalem: (c) dum autem appropinquaret Damasco, subitò circumfulsit eum lux de cœlo & vox de cœlo facta est, surge & ingredere civitatem, ibi dicetur tibi, quid te opporteat facere, quod abundè præstitit Ananias, à quo in fide instructus, ac sacro baptismi latice est tinctus. Jam ad Catharinam,

(a) *August. serm. 242. de temp.* (b) *Actor. 22.* (c) *Actor. 9.*

Nata est Catharina Alexandriæ, nobili imòRegio (ut plures volunt) genere: studiorum gratiâ traditâ est in manus Sapienti cuidam Philosopho, (a) in variis disciplinis erudienda, sub quo ita in litteris profecit, ut passim *Gemma Græciæ* diceretur: Sapientissima profectò Virgo, nisi gentilismi tenebris fuisset involuta, accidit interea, ut die quâdam (Numine ita disponende) pedissequis suis comitata, (b) extra Alexandriæ Mœnia longius nonnihil secedens ad sylvam tandé deveniret, (c) ubi in humili tugurio Eremicolam senio venerabilem, in genua provolutum, ac orationi intentum offendit: admirata est primò insolitum Eremitæ vestitum, orantis ardorem; ac religiosæ cellulæ pauperiem, sed ante omnia sacro eam horrore concussit Crucifixi Imago ad introitum cellulæ erecta: utpote similis illi, quam Pater Catharinæ Costus ex auro prius stupente artifice ac aliam efformare intendente, in Crucifixi imaginem transformatam aspexerat. Amorosis radiis Imago hæc ita cor Catharinæ circumfulsit, ut mox dispulsis Gentilitatis tenebris fidei lumine tota illustrata, ac ab Eremicola, altero velut Ananiâ in fide illustrata, salutaribus tandem Baptismi undis sit abluta. En Parallelas. Pergamus ad virtutes.

Ad virtutes si deveniamus, prima occurrit Regina virtutum charitas: hæc tantas in pectore Pauli egit radices, ut inflammato pectore exclamarit: (d) *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio. An angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? certus sum, quia neq; mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Christi.*

Verba hæc jure meritissimo usurpare etiam potest Catharina, quam nec thesauri divitiarum, nec honorum irritamenta, nec theatra deliciarum, nec Imperialis purpuræ color, nec coronæ regiæ splendor, nec minis armata violentia, nec instructa tormentis crudelitas à Christo separare potuit. Mansit illa velut rupes immobilis, fluctibus quidem concussa, at semper firma, velut sol obtenebratus nubibus, semper tamen illustris; velut Adamas inter incudem & ignes semper tamen indomabilis,

Ex charitate hac resultabat in Paulo Zelus ardentissimus, divini Evangelii coram gentibus, regibus & filiis Israel disseminandi, nec formidabat Imperii Principatum. (e) sed corde impavido cunctis prædicabat Christum, & hunc Crucifixum.

At nec in virtute hac octodecennis Puella quidquam Paulo cedit Catharina, si enim Pâulus coram Rege Agrippa Evangelii contestatus est veritatem, hæc coram Maximino Cæsare fidei defendit Sanctitatem.

Si Paulus disputans de Justitia, (f) Castitate & futuro Judicio tremefecit Judeæ Præsidem Felicem. Hæc de divinis Judiciis differens Christo lucrata

(a) *Pelbartus in Festo S. Cath.* (b) *Petrus de Natalibus.* (c) *Athlas Mar. Imag.* 577. (d) *Rom.* 8. (e) *Act.* 26. (f) *Act* 24.

crata est Prophyrium belli Ducem.

Si Paulus gloriatur Athenis in medio Areopagi magnum illum Dionysium Areopagitam à se ad fidem conversum; Catharinæ laus erit non unum sed 50. toties Græciæ disertissimos Philosophos à se errorum tenebris esse traductos.

Si Paulus gloriatur Concionibus suis concubinam Neronis à pellicatu abstractam, & fide Christianâ imbutam: Gloriabitur Catharina, non Pellicem, sed ipsam Reginam Faustinam Cæsaris Maximini Conjugem à se ad fidem esse traductam & Martyrem effectam.

Si Paulus in via ante fatalem ictũ Christo adhuc peperit 3. Milites, Longinum, Acestum & Megistum:

Catharinæ laus erit ante Martyrii agonem non 3. sed ducentos milites à se conversos & Martyrio coronatos.

Si Chrysostomus hom. 1. de laud. Pauli ait, in tantum progressus est Paulus, ut vix 30. annorum spatio Romanos, Persas & Parthos, Medos & Saracenos sub jugum mitteret veritatis.

Catharinæ laus erit non intra 30. annos, sed infra 30. dies quinquaginta sapientissimos Philosophos, ducentos strenuos milites, Imperatricem ipsam ac nobilissimum belli ducem Porphyrium stupente totâ Alexandriâ à se Christianæ legi subjugatos.

Verùm nil sic virtutes exornat, quàm intertexta humilitas, quæ quò magis honorata, eò magis resplendet: Hanc si uspiam, certè non alibi magis quã Lystris ostendit Paulus,(a) quò cum devenisset, ac claudum ex utero Matris in pedes iterum erexisset, exclamaverunt subitò Lycaones rei novitate perculsi: Dii similes hominibus descenderunt ad nos, jamque prestò erat Sacerdos Jovis cum coronis tauros sacrificaturus illis, qui sine emplastris claudos curarent, nisi Paulus scissis vestibus in turbas exiliens voce magnâ clamasset: Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines, sicque humilitatis objecta togâ divinitatem oblatam contexisset.

Sed nec hìc cedit Paulo Catharina, nam & Catharinæ, jubente id Imperatore Maximino, in amplissimo foro Alexandrino, ob eloquentem sapientiam, columna cum statua jamjam erat erigenda, ut velut altera docta Pallas demisso poplite à cunctis adoraretur.

Scimus quàm pronæ sint ad laudes fœminæ, ambæ aures ad concentum illarum illis tinniunt, Exemplum præbuit Eva, quæ Deæ similis videri volens paradysi etiam delicias nihili fecit; nota sunt verba Agripinæ, occidat, modò, imperet;

Sed & hìc Catharina virum se præbuit non fœminam, gravi supercilio ad insipientem Maximinum conversa, desine inclamans talia dicere, quæ scelus est cogitare: Unus est Deus, qui cœlum & terram gubernat, cujus ego sum demisissima Ancilla, hunc adoro, hunc toto corde veneror, O

(a) *Actor. 14.*

ror. O rara virtus, humilitas honorata.

Si ulteriùs fortitudinem in adversis; constantiam in minis, patientiam in tormentis consideremus, iternm pares eos deprehendemus, æqualem enim se in omnibus Paulo exhibet Catharina.

Si enim ad Colossenses uti & ad Corinthios in carceribus & vinculis gloriatur Paulus, (a) dum ait *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.*

Catharina quoque gloriari poterit, quòd à Maximino constricta vinculis, detrusa in carcerem, compedibus vincta rotæque crudeli addicta.

Si Virgarum fasces extollit Paulus: (b) *Ter Virgis cæsus sum à Judæis quinquies quadragenas unâ minus accepi.*

Testabitur Catharina, se non Virgis solùm, sed Scorpionibus & plumbatis totam dilaceratã & concisam.

Si famem allegat Paulus dicens: (c) usque in hanc horam esurimus & sitimus, in fame, siti, jejuniis multis, frigore & nuditate. Obtendit Catharina undecim dies sine ullo cibo aut potu in carcere à se traductos, morituram certò, ni cœlites famelicam refocillassent.

Si Paulus omnia terrena arbitratus est ut stercora; (d) & hæc coronam, sceptra, purpuram, gazas, honores, favores reputavit ut nihilum.

Si Paulus ad 3. cœlum raptus audivit arcana, quæ non licet homini loqui: Catharina è cœlis ad se in carcerem Angelorum stipatum choro ipsum rapuit Filium Dei.

Si incarcerati Pauli vulnera & acceptas plagas Philippis carceris custos terræ motu tremefactus lavit, ac esurienti Paulo cœnam posuit.

Nobiliores Medicos sortita est Catharina, angelos nempe, vulnera, eluentes ac persanantes, mannaque cœlesti famelicam reficientes,

Si Paulus spectaculum factus est mundo, Angelis & hominibus, rapuit & Catharina in admirationem Cæsarem, Philosophos, Alexandriam cum universa militia cœli.

Si Paulus exultans exclamat: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ,* (e) Triumphanti Catharinæ applausêre cœlites clamantes veni sponsa Christi veni coronaberis, en cœli tibi patent ostia. Repetere potest Catharina & illud, quod in alio sensu dixerat Paulus. Hebræi sunt, & Ego, Israelitæ sunt, & Ego, ita illa dicere potest, Paulus illibata Virgo, & Ego, Paulus vas electionis, & Ego. Paulus Doctor, veritatis: & Ego Paulus pro Christo sanguinem fudit & caput dedit, & Ego.

Sed neque in morte fuêre dissimiles, quos vita & virtutes facere pares ac concordes. Paulo caput amputatum

(a) *Colossſ. 4. 2. Cor. 11.* (b) *2. Cor. 11.* (c) *1. Cor. 4.* (d) *Ad Philip. 3.* (e) *Antoninus p. 1. tit. 4.*

putatum sub Cæsare Nerone, Catharinæ cervix recisa sub Maximino Imperatore. Ex Pauli glorioso vertice, Ambrosio teste, plus lactis, quàm sanguinis defluxit. Ex Catharinæ Virginali collo lac merum emanavit, & facta est sine sanguine Martyr.

Pauli caput recisum ternis saltibus, tres limpidissimos elicuit fontes.

Ex Catharinæ corpore, utpotè Virginis non fatuæ, sed sapientis, quæ oleum secum sumpsit cum lampadibus, ad hodiernum usque diem olei salutaris destillat liquor. Veneranda Pauli ossa ac sacri cineres Romæ in Vaticano juxta corpus Apostolorum Principis Petri glorioso sepulchro sunt recondita; Catharinæ corpus vespillonibus Angelis in montem Sinai est deportatum, tumulo Moysis Hebrææ gentis duci conterminum.

Amborum denique Pauli & Catharinæ sepulchra gloriosa, Europam & Asiam, Orientem & Occidentem habent supplicem. En ut vita similis simili clauditur exitu.

Si demùm ad miracula amborum descendamus inveniemus iterùm lineas parallelas.

Refert Lucas Actorum 19. virtutes non quaslibet factas à Domino per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia; & sic recederent ab eis languores.

Easdem virtutes de Catharina testantur milleni hujus Virginis clientes, qui ubi sacro ejus oleo sunt peruncti, mox ab innumeris tum corporis tùm animæ morbis, patrocinante illis Virgine, sunt liberati.

Paulus Troade suis valedicturus discipulis, protraxerat sermonem usque in mediam noctem, sedebatque ad fenestrâ adolescens Tychicus nomine, hic sopore gravi cum mergeretur, cecidit de tertio cœnaculo deorsum & sublatus est mortuus, (a) ad quem Paulus cum descendisset & complexus esset, vitæ mox pristinæ restituit, adduxeruntque puerum viventé, & consolati sunt non minimè.

Refert portentum simile Discipulus (b) in laudem Catharinæ cedens: Angliæ Regi erat filius, coronæ hæres futurus, hic cùm inconsiderantiùs per pontem aliquando discurreret fallente pedem vestigio in præterfluentes aquas est lapsus. Totam aulam turbavit triste hoc nuntium: submissi mox piscatores, qui regium inquirerent Principem, sed incassum: Casu tam infelici graviter exasperatus Rex, Præfectum Regii Principis, utpotè totius infelicis ruinæ causam, in vincula & carcerem abripi jussit. Noctem illam in tenebroso carcere, inter suspiria, lachrymas & mille vota ad Virginem Patronam transegit in somnem captivus infelix, spe tamen maximâ in Catharinam repositâ, nec in vanum; auditæ preces, detersa lamenta, excussa vincula: Altero enim die inter Missarum solemnia, vivus iterum subitò comparuit Regius Princeps, die ac nocte suaviter à Catharina inter

(a) *Actor. 20.* (b) *Discipulus in Festo.*

aquarum vortices sese sustentatum asseverans, applaudente aulâ, exultante universâ Ecclesiâ.

Paulus Lystris virum debilem pedibus, ac claudum ex utero Matris suæ, qui nunquam ambulaverat, solo verbo, surge super pedes tuos rectus in pedes erexit, ac arida membra vivificavit.

Catharinæ favor ulterius est progressus, nam ipsa jam abscissa & trũcata membra Sabino Episcopo Mediolanensi restituit ac redintegravit.

Placet miraculum tam celebre pro Coronide in laudem Virginis Catharinæ paulò fusius deducere: Factum hoc admirandum recenset Petrus Ravennas, ex eo Pelbartus & Lochmayr lib. gestorum nobilium de B. Sabino Episcopo Mediolanensi.

Beatissimus hic Pontifex Sabinus cùm ex Italiâ in Palæstinam trajecisset, ac post adorata sacra Christi vestigia, salutatum sacris osculis Præsepe, suspiriis ac lacrymis humectatum sacrosanctum Christi Domini monumentum, reditum meditaretur in Occidentem, remoram sacram objecit Patrona Catharina, hujus enim invisendæ cupidus, in Arabiam ad montem usque Sinai sacrum iter prosequi statuit, tumulum illius ex quo tam salutare oleum stillaret, etiam invisurus. Assumpto igitur laboriosi itineris socio Cassinensi Abbate Theodorico, duobus Sacellanis, ac pro tutela adversus Arabum incursus sex corporis custodibus, aliisque 30. famulis viæ periculosæ sese commisit.

Vix ad Pedem montis Sinai pervenêre, cum crudelissimum Saracenorum Ducem obvium habuère, hic ubi sacros eos esse peregrinos intellexit, Catharinæ visendæ studio per longa maria pellectos, totus irâ exæstuans, ascensu ulteriore negato, mox linguâ, naribus, auribus, summitatibus pedum ac digitorum mutilatos ac semianimes, camelis injectos, ad apicem montis deportari curavit, blasphemo addito Sarcasmo, visurum se, quid valeat sepulchri hujus stulta visitatio, ubi membra truncata iterum renata fuerint, tum se quoque fidei Christianæ manus daturum. Vix ad supercilium montis est perventum, cùm Abbas Cassinensis dolorum vehementiâ animam egit, Sabino Episcopo inter dolores & vota ad Virginem Catharinam semianimi relicto.

Circa medium noctis Mons Sinai totus contremuit, tantâque luce per tres horas est illustratus, ut nox in diem transmutata crederetur.

Et ecce! B. Catharina velut sol exoriens de sepulcho processit, ac truncata Episcopi membra inunxit, quæ statim pristinam recepêre integritatem: Inde ad Sabinum sacris gaudiis delibutum, ac pedibus beatis advolutum conversa ait. Sabine Christus sponsus meus paratus est omnes, qui me honorant, honorare: manè offer Christo Sacrificium, & de oleo, quod de sepulchro meo sudat, Abbatis demortui membra inunge, & à morte resurget. Executus est cuncta fidelissimè Sabinus quæ jusserat Patrona. Interea

Interea manè facto montem etiam ipse conscendit Saracenorum Dux, non religione loci ductus, sed visurus solùm quid de mutilatis corporibus Peregrinorum actum: Ubi verò in templo Episcopum celebrantem, & Abbatem vitæ redditum aspexit, obstupuit, steteruntque comæ & vox faucibus hæsit.

Ad pedes ergò Sabini abjectus profusis lacrymis veniam & baptismi gratiam ab Episcopo flagitavit, quâ ex corde impetratâ, mox divenditis bonis, parte non modicâ fratribus montis Sinai relictâ, valefaciens Arabiæ, sacros peregrinos Romam usque est comitatur, ubi post salutata sacra limina & vota exoluta, in montem Cassinum profectus, fundato prius ex residua substantia Virginum Asceterio, sanctissimè vitam in monte Cassino Monachus factus clausit, Catharinæ æternus Panegyrista.

O Catharinam stupendum Orbis miraculum! O splendidissimam gemmam Græciæ! o prudentem & sapientem Virginem! ò Martyrem fortissimam! ò Doctorem facundissimâ Paulo propè parem, ò Speculum nobile, in quo viri & fœminæ se contemplentur.

Adeste Viri, adeste Fœminæ, à Catharina octodecenni parvula virtutem discite: discite honores & purpuram generoso pede calcare, regnû mundi & omnem ornatum sæculi spernere: blanditiis & illecebris non capi, supplicia & tormenta non formidare; minis & terroribus non concuti, pro Christo & vitam & sanguinem ponere.

Utinam & Europa nostra similes gemmas produceret, utinam plures tales Catharinæ in Gynæcæis nostris invenirentur, cessarent Poetarum ludicra scomata, cessarent Rhetorum amarulentæ invectivæ, cessarent Patrum acerba & aculeata epitheta, non audirentur denique amplius in fames & dedecorosi versus illi.

Quid levius fumo? flamen. Quid flamine Ventus.
Quid vento? Mulier quid muliere? nihil.

Sed prò dolor dantur subindè in Europa nostra Catharinæ, sed quæ totæ dissimiles sunt Alexâdrinæ? quæ irritatæ & cultros stringunt, & maritis rotam minantur.

Dantur prô dolor Magdalenæ, quæ unguento non pedes, sed caput acri lixivio lavant.

Dantur Dorotheæ, sed quæ non rosas offerunt, sed spinas infigunt.

Dantur Margarithæ, sed quarum lateri sæpè adstat draco infernalis.

Dantur Ursulæ, quæ Ursorum more totâ die murmurant,

Dantur Agnetes, sed quas non agnus mansuetus, sed æva Tigris comitatur.

Dantur Helenæ, quæ quotidiè novas cruces, quibus mariti molestentur, inveniunt.

Hæ non ad chorum Catharinæ nostræ, sed potius ad societatem proserpinæ spectant: quæ non cum Catharina cœlestes Angelos, sed atros genios habebunt Vespillones.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.



Loquela tua manifeſtum Te facit. Matthæi c. 26.

Diverſum Concionatorem, his diebus evolvi & perſcrutatus ſum ſacra volumina, variaque glorioſa & illuſtria de S. Apoſtolo noſtro ibidem deprehendi Elogia.

Nobiliſſimum Crucis equitem eum proclamat, Nobilis Vieñenſium Eccleſiaſtes Don Florentius Schilling, (a) in cujus femore aureis litteris inſcriptum: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini mei Jeſu Chriſti.*

Corallio comparat Eundem Doctiſſimus Auguſtinus Paolleti, (b) quod quam

(a) *Conc. de S. Andrea.* (b) *Aug. Paolleti Conc. de Feſto.*

quam diu in aquis later, herba est inutilis, at ubi ex aquis extrahitur, mox indurescit ac rubescit, & in gemmam abit: indigitare volens Andream inutilem primò Piscatorem extitisse in Mari Galileæ, extractum verò voce Christi ex stagno Genesareth, mox marmoris instar induruisse, ad omnia tormenta pro Christi nomine perferenda.

Primogenitum Ecclesiæ, seu primum Christi Discipulum nuncupat eum Petrus Damiani, utpote qui relicto Joanne Baptistâ Christum primò est secutus, ac paulò post Petrum ad Dominum adduxit Joan. 1. *Erat autem Andreas Frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant à Joanne & secuti fuerant eum; invenit hic primùm Fratrem suum Simonem, & dicit ei, Invenimus Messiam, & adduxit eum ad JEsum.*

Herodio seu Falconi assimilat eum senio Venerandus Meffreth, (a) qui vocem Magistri vix audiens, continuò ad manus Domini sui advolavit, ac relictis retibus secutus est Dominum.

Dilectum Christi Benjamin prædicat Andream, Cardinalis Bellarminus, (b) alludens ad illum Ecclesiæ, dilexit Andream Dominus in odorem suaviatis.

Seniorem Collegii Apostolici indigitat eum eruditissimus Jo. Bodler.

Pretioso Carbunculo inter noctis tenebras scintillanti comparat Andream Cappadociæ Episcopus Andreas l. 66. c. 23. insinuare volens, Andream velut Carbunculum, aut stellam matutinam in medio nebulæ errorum ac Gentilitatis resplenduisse.

Nobili & cæruleo aureis punctis velut stellulis coruscanti Saphyro assimilat Andream Joachimus Abbas, contemptum terrenorum in eo indicare volens, utpote in cujus corde nil aliud Scriptum, quàm *Conversatio nostra in cœlis est.*

Tituli hi sunt oppidò illustres, Elogia pulchra, præconia rara.

Diu & ego meditatus sum, quodnam in gloriam & honorem S. hujus Apostoli Elogium, exemplo Doctorum horum ex actis & vita ejus eruere possem, & accomodatius mihi non est visum, quàm ut dicam & prædicem Andream Magistrum Linguæ novæ, quam Mundus nec novit nec intelligit. Hanc linguam dum vos doceo, vestram patientiam flagito.

Ex sacris litteris liquidò constat, Terram ab initio fuisse Labij unius, (c) in structurâ verò Babylonicæ turris confusum fuisse Labium eorum, ità ut ex unâ matrice linguâ 72. prodierint filiæ, accentu & significatione diversissimæ: Linguarum tamen Tres Principatum tenent.

Idioma primum est Mundi, qui nihil loquitur, nisi vanitatem, fucos, fraudes, dolos, calumnias & insipientiam.

(a) *Mephret. serm. de S. Andrea.* (b) *Bellarminus con. de S. And.*
(c) *Gen. 11.*

Idioma secundum deterius est primo, quo Infernus utitur, consistens in maledictione Dei & Sanctorum, ità testatur Gerson Cancellarius Parisiensis tract. 4. conf. 2. dicens: Blasphemia est Idioma infernalis inimici ac damnatorum, loquela abominanda.

Lingua tertia est Idioma cœleste, quo utitur Curia Sanctorum, quod qui non callet, ad cœli atria non admittitur.

Audistisnè aliquando lamentabilem eventum, quem memorat liber Judicum c. 12. quando post cruentam pugnam inter Galaaditas & Ephratæos, Galaaditæ vada & aditus Jordanis ità occuparunt, ut fugientibus Ephratæis omnem viam præcluserint; *cumq; venisset ad ea de Ephraim numero fugiens, atq; dixisset, obsecro ut me transire permittatis, dicebant ei Galaaditæ: nunquid Ephratæus es? quo dicente non sum, interrogabant eum, dic ergo Scibboleth, qui respondebat Sibboleth: eâdem litterâ spicam exprimere non valens, statimq; apprehensum jugulabant in ipso Jordanis transitu, & ceciderunt in illo tempore de Ephraim 42. millia.*

Strages profectò lamentanda, cui solùm ansam dedit unica Idiomatis ignorantia; unica littera minus benè pronuntiata eos perdidit latere minimè poterant, quia loquela eos manifestos faciebat.

Ita Ita accidet nobis, cum ad portam cœlorum pulsaverimus, ubi à minimo à lingua cœli aberrabimus, dicetur nobis, quod insipientibus Virginibus: *Clausa est Janua.*

Quodnam igitur est hoc Idioma cœli? Cujus Magistrum agit Andreas?

Num loquitur Hispanicè? Non lingua enim Hispana, utpotè loquela grandis ac magniloqua, in regno Cœlorum, ubi sola humilitas placet, non admittitur, cum scriptum sit Psalmo 11. *disperdet Dominus linguam magniloquam*: horret enim, ait Isidorus l. 2. de serm. c. 29. æterna sapientia spumeum Verborum ambitum.

Num loquitur fortè Andreas Gallicè? Non: displicet enim & illa lingua Numini, quæ aliter scribitur, & aliter profertur, cum cor & lingua apud Christianos correspondere debeant, uti Augustinus serm. 29. de verbis Domini monet: *Non aliud pectus tegat, aliud lingua proferat.*

An fortè Huronum, Cafrorum ac Canibalum, Polonorum aut Russorum, Aegyptiorum, Sinarum, aut Mexicanorum utitur Idiomate Apostolus? Minimè: est enim Mexicanorum lingua pronuntiatu admodum difficilis; Sinarum Verborum copiâ & accentu vix imitabilis; Aegyptiorum ænigmatibus intricata; Russorum & Polonorum aspera & dura; Cafrorum & Canibalum barbara; Huronum reproba & maledicta, tribus primariis litteris *F. L. R.* carens, dum miseri sine *F*ide, sine *L*ege, sine *R*ege, barbaram vitam vivunt.

Quod-

Quodnam igitur est Idioma cœli, in quo nos instruit Apostolus?

Verbo dicam: Idioma Andreæ lingua est cœli ac Sanctorum lingua Crucis ac Passionis, lingua cunctis necessaria ad salutem.

Lingua hæc tota contraria est Alphabeto & Vocabulario mundi, sicut enim Alphabeti nostri antepenultima littera est X, ita hæc in Alphabeto cœli est prima, totumq; Idioma his litteris abundat nimirum Crucibus.

Videtur tamen vocabularium hoc cœleste nonnihil simile esse Vocabulario Atheniensium, de his enim refertur, quod pleraq; inverso & ironico modo designarint Nomina.

Sic Carnificem, *Amicum Populi* dicebant.

Sepulchrum, nominabant *splendidam domum*.

Carceri, tribuebant nomen *Palatii*.
Furias, vocitabant *Venerabiles Deas*.
Mortem, *beatitatem*.

Ita & in Vocabulario Cœli Idem est Crux X, *ac scala Cœli*:

Tribulatio, *favus mellis*:

Eleemosyna *Centuplum*; Paupertas *Thesaurus cœlestis*: Injuria *Lapis pretiosus*: Aurum *lutum*; Divitiæ *spinæ*; Gemmæ *sputum maris*; Voluptas *Vanitas & afflictio Spiritus*.

Audite nunc obsecro linguâ hac cœli loquentem Apostolum Andream:

Paucas solùm syllabas profert, at oppidò multa hæ continent.

Salve ò Bona Crux, diu desiderata, sollicitè amata, (a) sine intermissione quæsita, securus & gaudens venio ad te.

Obstupescit hanc vocem, & admiratur summoperè Bernardus serm. de S. Andrea exclamans: *Obsecro fratres, homone est qui loquitur, an Angelus, aut nova Creatura!*

Fratres mei Ignis vibrans est non lingua loquens; & si lingua est, ignea planè est, Carbones sunt Verba ejus & ignis, quem de excelso misit Christus in ossibus ejus.

Linguam loquitur Andreas, quam non novit Mundus, nec capit, nec intelligere satagit; dura quidem videtur, sed revera est lingua Cœli, Idioma Passionis, loquela Crucis, *per multas enim tribulationes & Cruces oportet nos intrare in regnum Dei*.

In veteri Testamento, licet linguam hanc in ventre Ceti aliquo modo addiscere conatus sit Jonas Propheta, dū clamavit ad Dominum, *circumdederunt me aquæ usq; ad animam, abyssus vallavit me, & cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum*: (b) at paulò post egurgitatus à Pisce, difficultate Linguæ hujus exterritus reversus est ad pristinum suum impatientiæ idioma, quando iratus super arefactam hæderam *petiit animæ suæ, ut moreretur. Jonæ cap. 4.*

Feliciores Discipulos in novo Testamento habuit Andreas, & inter primos quidem Episcopum Antiochenum ac gloriosum Martyrem Ignatium

(a) *Breviar.* (b) *Jonæ cap. 2.*

natium, qui in vinculis Romam abductus ibidem in Amphitheatro paulò post objiciendus Leonibus in Epistola ad derelictas suas Oviculas scripta ita fatur.

De Syria usq; ad Romam pugno ad Bestias, in mari & in terrâ, nocte dieq; ligatus cum 10. Leopardis, hoc est Militibus, qui me custodiunt; quibus & cum benefeceris pejores fiunt: inde exclamat: Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, (a) quas oro mihi veloces esse ad interitum & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum Martyrum non audeant corpus attingere; quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo ut devorer: Ignoscite mihi Filii, quid mihi prosit, ego scio.

Claudit deniq Epistolam cum hoc Epiphonemate, Ignis, Crux, Bestiæ, Confractio ossium, membrorum divisio, & totius Corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm ut Christo fruar nihil me juvabunt fines mundi, nec regna hujus sæculi, melius est mihi emori propter Jesum Christum, quàm imperare finibus terræ. Baronius anno Christi 109.

Auditores edicite, quid loquitur hic gloriosus Episcopus? quodnam insuetum mundo Idioma profert? Homo est, an Angelus? an alia nova Creatura? minimè; homo est, similis vobis passibilis, cujus caro neutiquam fuit ænea, sed quia discipulus Andreæ fuit, gloriosâ hâc linguâ Cœli ita coram Mundo peroravit.

Non absimilia Ignatio locutus est (b) S. Martyr Romanus; cum enim & is Antiochiæ ab Asclepiade Præfecto variis tormentis exerceretur, linguaq; abscissâ, latera ejus flagris, plumbatis ac mucronibus scinderentur, linguâ licet excisâ ad Præfectum conversus, *Gratias tibi ago, inquit, O Præfecte, quod amplioris mihi oris patefecisti meatus, quibus Christum prædicare possim; tot ecce Deum meum laudant ora, quot vulnera.*

Audite & binos alios in hac linguâ cœli Beatissimi Andreæ versatissimos Discipulos, gloriosos nimirum Martyres Gordium & Arcadium; (c) quorum primus Gordius cum ad abscissionem capitis damnatus esset, cum amaris lachrymis exclamavit: *Heu quantum damnum patior, non potens millies pro Christo mori*, ac si dicere vellet, parum est nimis, caput perdere, adeste, conterite ossa, lacerate ungulis membra, scorpionibus & plumbatis contundite, ignibus adurite, hæc unica erit consolatio mea, ut affligentes me dolore & tormentis non parcatis.

Attendite nunc quid loquatur & Arcadius, is enim cum omnia sua truncata membra ante se jacere cerneret, in has rupit gratulabundas voces: (d) *O vos felicia membra, tam benignò oculo nunquam vos aspexi, quàm*

(a) *Baronius An. 109.* (b) *Io. Nadasi 18. Nov. anno cœlesti.* (c) *S. Basilius Homilia de S. Gordio.* (d) *Nadasi 12. Jan.*

quàm dum truncata propter amorem Domini mei vos ante me jacentia cerno, sic nos decuit ad tempus sejungi, ut tandem nostro Regi occurramus in gloria, & pro mortalibus membris vos eadem mihi restituamini immortalia : inde conversus ad spectatores dixit, *parum est hoc, O viri, hæc facilè est tolerare, qui novit de futurâ immortalitate cogitare.*

Auditores obsecro, an non stupescitis ad hanc linguam Sanctorum, ad hoc Idioma Crucis?

Pudori & Confusioni erit Vobis, si probavero & Fœminas etiam in hac cœli linguâ à Sanctissimo Apostolo Andrea instructas, id testabitur abundè S. Martyr Symphorosa, (a) capillis ab arbore suspensa, ita generosè 7. suos filios alloquens & confortans. Eja mea non tam pignora quàm Viscera, attendite ad Petram unde excisi estis : Patrem habuistis Getulium Christi Martyrem, Matrem habetis Symphorosam ad Martyrium festinantem; quid dubitatis vestros sequi parentes ? Si meo nutriti estis lacte, nunc vestro me sanguine recreate, porrexi quondam ubera, reddite nunc vulnera, hoc beneficio maternum obsequium rependite, nullum mihi charius vestræ in me charitatis argumentum: Vivam, si vos pro Christo mori sensero, felicissima erit vita vestra, si felicissima pro Christo morte coronetur. Cornel. in l. 2. Machab. c. 7.

O Verba cœlo digna. O voces auro scribendas! O loquelam in Paradiso natam, in Cruce stabilitam! quid ad hoc inauditum Sanctorum Idioma dicitis Auditores? dum cum gaudio ad Exemplum Apostoli Andreæ immissas Cruces, tribulationes & tormenta salutant : Salve Crux pretiosa!

Audio vos respondentes, *durus est hic sermo, & quis potest eum adimplere ?* aspera & nimium dura hæc est lingua, & quis potest eam addiscere? bonum est de Cruce loqui, sed grave & malum in eâ pati.

Terrent vos ut video, cruces, sed non territus fuit Andreas teste S. Bernardo, (b) non expalluit, non cohorruit, non capilli stetêre, sed præ gaudio exclamavit de longè: Salve Crux pretiosa, Crux bona & amabilis, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, suscipe discipulum Christi, securus & gaudens venio ad te, accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo.

Ah quàm longè diversâ linguâ loquitur Mundus, vix enim aliud novit lingua nostra, quàm absentibus detrahere, proximos calumniari, mores & vitam aliorum sugillare; ad minimam crucem murmurare, Deum arguere & blasphemare; cum proximis altercari, rixari, mille mala illis imprecari : Labia plurimorum sunt dolosa ac fraudulenta, *quæ loquuntur pacem cum proximo, mala autem in cordibus eorum.* Psal. 27.

(a) *18. Jul. Cornelius in lib. 2. Mach. c. 7.* (b) *Bern. ser. de S. And.*

Aliorum lingua impura est & obscœna, loquens spurcitias & nequitiam.

Hæc lingua non est cœli sed Tartari, non est lingua Sanctorum, sed damnatorum: & tamen prô pudor! in Idiomate hoc maledicto quotidie nos exercemus, & linguam Sanctorum addiscere fastidimus.

Eheu quàm pauci sunt, qui ad Crucem nobis à longè imminentem cum Andrea dicunt: O Crux bona Salve.

Ah quám pauci sunt, qui ad jacturam bonorum cum Job exclamant: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit Nomen Domini benedictum, sicut Domino placuit, ita factum est.*

Quis cum Seraphica Theresia modò exclamat, *aut pati, aut mori?*

Quis cum Xaverio in Tribulatione posito dicit *Amplius amplius Domine?*

Quis cum S. Cypriano, cum sub Imp. Galieno morti esset adjudicatus, ac scriba sententiam ex Tabula pronuntiaret, Thassium Cyprianum gladio animadverti placet, quis cum eo elevatis in cœlum oculis fronte serena respondet *Deo gratias?*

Quis lecto affixus, doloribus obseptus cum Martyre Arcadio ait? O vos felicia membra, nunquam vos sic amavi, quàm cùm aliquid ad gloriam & voluntatem Dei patimini.

Quis cum S. Adelberto Pragensium Archiepiscopo gratias Deo pro pugnis & verberibus agit, (a) cùm enim Evangelium Barbaris prædicaret, ac à quodam fuste contunderetur, in genua est lapsus cum hoc effato: *Benedictus Deus, & benedicta misericordia Dei, si non plus accipiam pro Crucifixo meo, saltem unum ictum pretiosum habeo.* Surius 23. April.

Quid hoc erat aliud dicere, quàm cum B. Gordio Martyre lamentari, Heu quantum damnum patior, non potens millies pro Christo meo mori.

Confundit nos omnes desiderium illud admirandum Gloriosæ Virginis Magdalenæ de Pazzis, dicebat enim benedicta illa & magna anima nosse se quàm optimè in æternâ gloriâ tanta tamq; cumulata esse gaudia, ut meritò Paulus scripserit, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit diligentibus se, unicum tamen ibi deesse, nempè occasionem patiendi aliquid amplius pro Christo, hinc se se non adeò anhelare ad Cœlum, eò quod nil amplius ibi inveniat patiendum.

Unde cum aliquando sine Cruce, sine dolore, sine adversitate, totam se cœlesti consolatione perfusam persentisceret, amorosè & suaviter ita cum Christo expostulare cœpit:

Heu mihi Domine, ut quid à pactis inter nos conventis recedis? pepigi mihi nullum mel aut dulcedinem dari, nisi fel & acetum, nullas delitias nisi tua supplicia, nullam a-

liam

(a) *Surius 23. April.*


liam vitam nisi in perfectissimâ conformitate cum morte tua? at ecce contra pacta saccaro consolationum me pascere cupis, absit, absit hoc à me, aut pati, aut mori. O quàm ingeniosè affectum patiendi hujus sanctæ animæ expressit Academicus ille, dum pro Symbolo ei Carduelem inter spinas & tribulos lætè saltitantem depinxit, addito lemmate: ALIOS PUNGUNT, ME PASCUNT, Magdalenæ enim huic pati tam dulce fuit, ut sine illo condimento vitam censuerit acerbissimam, nec aliud exercitium patientiæ cognoverit, quàm non habere materiam absq; intermissione patiendi.

O Grandem & profundam Discipulam Crucifixi & Andreæ, perfectè Idioma cœli callentem.

Hæc est ergo lingua, Auditores, quam non noveratis, docet illam hodie in Academia Crucis linguæ cœli Magister Andreas, videte, ut morigeros & dociles ejus Discipulos vos exhibeatis: Obsecro autem non sit vobis aspera aut dura hæc lingua cœli, imitamini proindè in eâ addiscenda Demosthenem Oratorem illum facundum, litteram *R* nulla ratione potentem efferre; ut hoc posset, inclusit se, ac lapillum ore tam diu versans & rotans, donec Magister linguæ factus.

Urgete & vos ipsos, ut hæc dura vobis verba Crucis, aliquando proferre queatis animo læto & pacato; sumite exemplum & animos non à Demosthene, sed Andrea, & si fortè morbi & dolores vos molestent, si injuriis, calumniis & detractionibus nomen Vestrum proscindatur; Si persecutiones aut injustæ oppressiones vos opprimant, semper in ore vestro resonet vox illa Andreæ: Salve Crux pretiosa, diu amata, sollicitè inquisita, agite grates Deo, qui materiam patiendi vobis subministravit, nihil enim hac linguâ sanctius, quæ in adversis gratias agit Deo, ait S. Chrysost. nam teste Jo. Avila in ærumnis & doloribus plus valet unum Deo gratias, quàm sexcenta alia in rebus prosperis & bona valetudine. Drex. in c. 31. Phaetont.

Et licet cum Mythridate Rege Ponti 20. linguis loquamini, labor vester erit inutilis, oleum & operam perdidistis: Hæc enim sola lingua Apostoli nostri Andreæ, Salve Crux pretiosa, referat portas Cœlorum.



IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI CONF.



Non facio Tibi Iujuriam Matthæi. cap. 20.

SApientiſſimè egit Eccleſia Romano-Catholica, utpotè à SpirituSapientiæ & Intellectus illuſtrata, ut præter Feſta ſupremo Numini, ejuſq; Matri dicata, etiam memorias a : ſolemnitates SS. Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum ac Virginum inſtituerit, ſingulis annis recolendas, idq; fine ſaluberrimo, ut non præteriret Menſis aut Hebdomas, in quâ non ſpeculum alicujus Sancti nobis proponeretur, in quod intuentes Virtutem Sancti imitaremur: nam opinione D. Bernardi confundunt Feſtivitates iſtæ ſomnolentiam noſtram, econtra excitant

citant & calcar adduot, ut sequamur vestigia eorum.

Nec Festum est excogitabile, ex quo non sacra concipiamus desideria ac stimulos ad imitanda virtutum exempla: Solemnitates enim SS. Martyrum, Augustino teste, (a) exhortationes sunt Martyriorum; persecutiones Apostolorum, consolationes sunt Christianorum; certamina Confessorum & Virginum, incitamenta sunt ad pugnam.

Sic à lacrymante Petro Apostolorum Principe discimus amaris lacrymis deplorare errores & peccata præterita.

A Paulo rebellantia membra corporis castigare, & in servitutem spiritus redigere.

Ab Apostolo Andrea crucem tam suaviter de longinquo salutante, cruces & adversitates gaudenter amplecti.

Sic à Magno Antonio, Paulo, Hilarione cœterisq; Eremi incolis instruimur, fallax fugere Sæculum, jejuniis, vigiliis & precibus die noctuque placare & obsecrare Dominum.

Sic à Sebastiano, Laurentio, Stephano cœterisque Martyribus discimus constantiam in fide, perseverantiam in tormentis.

Sic à Martino, Thoma de Villanova, Joanne Eleemosynario addiscimus misericordiam & benignitatem in pauperes & derelictos.

A Francisco in extrema paupertate spem & fiduciam in Deum largitorem bonorum omnium.

A Dominico Loricato, Marcellino, Magdalena, Guilielmo, Martiniano, cœterisq; pœnitentibus condignam satisfactionem pro peccatis nostris.

Ab Agnete, Agatha, Barbara & Catharina custodiam virginitatis & innocentiæ.

Ab Athanasio & Chrysostomo patientiam in persecutionibus.

A B. Servulo, Lydwina, quorum Deus lectulos versavit in dolore & infirmitate, tolerantiam dolorum & morborum.

Sicque à cœteris Sanctis in aliis ac aliis generosis virtutibus & exemplis instruimur.

Sed quid hodiè à S. Nicolao discimus, (b) in quanam virtute nobis præbet exemplum, ut sequamur vestigia ejus? in multis supra modum:

Instruit nos primò Sanctus in jejunio & abstinentia, dum vix natus, Mercurii ac Veneris diebus ab uberibus maternis abstinuit, nullis blanditiis ad lac maternum libandum adigendus; unde Leonardus Justinianus de eo ait: (c) *Non priùs Nicolaus vivere, quàm Deum venerari, non priùs comedere, quàm jejunare cœpit.*

Instruit nos secundò in misericordia, liberalitate & eleemosyna Christianâ erga pauperes, dum ab infantia misericordia cum ipso crevit; dum parentibus mortuis mox hæreditatem in pauperes effudit, ita ut ne lecto

(a) *Augustinus serm. 47. de Sanctis.* (b) *Surius in vita.* (c) *Leonardus Justinianus serm. de S. Nicol.*

lecto proprio pepercerit, Methaphraste teste.

Instruit nos denique in castitate tuendâ, dùm non solùm ipse illibatum hunc florem conservavit, verùm etiam, ut in aliis conservaretur, effecit, clam (ne innnotesceret opus bonum) injectis tribus globis aureis in dotem trium filiarum, puellas jam sceleri destinatas ab infamia præservando; imò tanta castitas ejus fuit, ut & ipsius imago ad parietem pendula in puerperii actu fœminæ cujusdam, retrorsum se verterit.

Præclara sunt ista opera non diffiteor; sanctæ sunt actiones, non inficior; grandia merita, non dissentio, verùm hodiernâ die cuncta hæc sancta, præclara, illustria virtutum documenta sepono in tempus aliud, ac in aliquo alio opere, quod quidem primâ fronte doctrinæ Evangelicæ contrarium, ac tantum Sanctum dedecens apparet, vos hodiè imitari cupio.

Quid ergò illud? hoc: Volo, opto, suadeo, ut Exemplo S. Nicolai proximos vestros in lingua blasphema exorbitantes alapis & colaphis inflictis coërceatis: hoc votum meum est, id dum pluribus vobis explico, patientiam vestram imploro.

De alapis impactis varia tradita invenio ab Authoribus. Fuêre quædam infelices, quædam salutares, quædam damnosæ, quædam sanctæ.

Infelix alapa fuit, quam Boso, ultimus Rex Arelatensium temerariâ manu Episcopo loci inflixit, eò quod adventum ejus in nocte Nativitatis Domini præstolatus non fuerit, ea propter depositus est à Papa, & ab Othone Imperatore regno privatus, & securi percussus. (a)

Felix ècontra & salutaris fuit illa, quam Beata Virgo dormienti rustico inflixit, cum dicto, quid dormis? (b) cum jam hostis terram teneat (20. enim Turcicæ triremes propè Messanam excensionem fecerant) unde ille alapâ exterritus strato relicto ad proximam confugit turrim, & arreptâ tubâ adjacenti populo signum dedit, qui eruptione factâ Turcas nil tale metuentes in fugam egerunt.

Damnosa fuit, quam Franciscus I. Fratri suo Carolo Borbonio inflixit; (c) quanti Galliæ steterit, hæc alapa, docuit fratris ejus ad Galliæ hostes transitio, ac postmodùm Regis Francisci ad Ticinum misera captivitas.

Sancta fuit alapa, quam Valentinianus Dux militiæ, (d) cum Julianum Apostatam Imperatorem honoris causâ ad fanum quoddam Idolorum esset comitatus, ac repentè à Sacrificulo fronde rosidâ de sanguine victimæ esset aspersus, quanto potuit nisu, Sacrificuli fronti impegit, ac partem vestis, quæ aspersa erat, abscidit, unde à Juliano militiâ exutus, ac in exilium pulsus est; at Juliano occiso in Imperio eidem successit.

At lau-

(a) *Münst. lib. 2. de Arelato.* (b) *Gumpenberg in Athlante Imag. 1070.* (c) *Le Blanc. in Psal. 3.* (d) *Cornelius in c. 5. lib. 4. Reg.*

At laudabiliorem, zeloque majori armatam non credo extitisse alapam, quàm eam, quam S. noster Episcopus Nicolaus scelerato, impio & blasphemo Arrio impegit. Audite rem gestam.

Sedebant 318. Patres in Concilio Niceno congregati, interque tot rutilantia cœli astra, ceu fulgentissimum sidus Nicolaus Myræ in Lycia Episcopus, Baronio teste ad annum 325. (a)

Examinabatur causa Heresiarchæ Arrii, qui cum inter alia ore sacrilego evomeret, Jesum Christum non esse consubstantialem Patri: Nicolaus tantæ blasphemiæ impatiens de sede suâ surrexit, hominemque tale nil exspectantem accessit, & omnibus inspectantibus Blasphemo, quanto pondere potuit, colaphum impegit: Hinc subiti Patrum clamores extitere, exaggerantium & torquentium factum hoc in sacri Concilii ac Consessus contemptum & contumeliam. Certè Nicolaus ut percussor contra doctrinam Pauli (*Episcopus non sit percussor*) punitus est, ac deponere Mitram & Pallium Episcopale à Patribus est jussus; nec abnuit Nicolaus, sed Patribus paruit; conquestus tamen est Virgini Mariæ identidem pœnam gravem, ob zelum justum sibi inflictam.

Semel cum solemniter Missæ Sacrificium coram Deiparæ imagine celebraret, ardentius Virginem precatus est, ac ab eâ Pallium & Mitram, & honores Episcopales repetiit, cùm illa repentè se præsentem ex imagine stitit, Mitramque & Pallium ab Angelis allata imposuit Nicolao, quo miraculo Patres attoniti causam Nicolai cum veneratione & gloriâ extulerunt, Arriique damnationi mox subscripserunt. Ita Petrus de Natalibus & Athlas Marianus Imag. 484.

Ad Exemplum ergò S. hujus Episcopi animo cunctos Auditores, ut arment dexteras suas, ac mox ubi audierint Impium quendam, blasphemum quid eructare contra Deum, aut Sanctos ejus, os tale impium colaphis contundant.

Doctrina hæc non est mea, sed Divi Chrysostomi, qui cum hom. 2. ad pop. Antiochenum in detestationem blasphemiæ graviter peroràsset, sic ait: *Unam à vobis omnibus petere volo tribulationem pro Concione hac atque Sermone habito, ut in Civitate blasphemantes mihi castigetis, & si quemquam in bivio aut foro Deum blasphemantem audieris, accede, increpa, & si verbera infligere oporteat, ne recuses, ipsius faciem alapâ percute, contere os ipsius, percussione manum tuam sanctifica, & si ulli accusaverint, & si in judicium traxerint, sequere, & si pœnam Judex pro tribunali repoposcerit, dic cum libertate, quod Regem Angelorum blasphemarit, si enim blasphemantem Reges terræ punire oportet, multò magis eum, qui contumeliâ afficit Deum.*

Audîstis zelosum Chrysostomum, sequimini dicta ejus. Exposcit hoc zelus Christianus; quis enim si audiat in Ca-

(a) *Athlas Marianus Imagine 484.*

in Cæsarem aut Principem suum, convitia & contumelias jactari non insurgit? quis convitiantem non reprimat?

Zelosi hac in parte erant supra modum Judæi, si minimum quid, blasphemiæ umbram habens audiebant, mox lacerabant vestes, continebant aures, impetum faciebant in blasphemum, ac lapidum tumulo eum sepeliebant.

Et Christiani ob respectum humanum sint timidi, muti canes, non valentes latrare? conniventes oculis, ore arridentes, contumeliam Dei & Sanctissimorum non sentientes.

Prô pudor! audite, quid Bernard. Senensis tom. 1. ser. 41. dicat: O Cor lapideum & ferreum, imò durius omni durissimo Adamante, tolerare posse blasphemias Domini Dei sui. Pergit inde ac ait: Quis corde sensatus & in zelo Dei vivus, cum sentit Deum vel Virginem blasphemari, non confodiatur gladio doloris intrinsecus, & si non valet manu ulcisci Dominum, non clamet corde & ore clamore valido & lacrymis usque ad cœlum.

In propriis injuriis iterum ait Chrysostomus opere imperfecto, hom. 7. in Matth. esse quempiam patientem laudabile est, injurias autem Dei dissimulare, nimis est impium.

Ne verò videatur vobis novum, quod dico, adduco vobis Angelos aliosque sanctos Viros, qui minora peccata aut errores humanos colaphis castigaverunt.

Legite Bollandum, quid dicat de S. Hadeloga Virgine, Pipini Regis Filia, (a) quæ jam diu tumulata ex tumba surrexit, & Moniali cuidam in templo levitate quâdam exorbitanti insignem alapam impegit, ac in tumulum iterum se recepit.

Legite, quod Jo. Major Exemplo 15 refert de adolescente Schwollensi, quem Angelus Custos ex domo inhonestâ fugientem insigni alapâ excepit ob periculum subversionis, in quod se ob malam societatem conjecerat.

Legite, quid Vincentius Ferrerius Dom. 16 post Trin. scribat de dæmone, qui Romæ adolescenti ad elevationem hostiæ non flectenti genua, insignem alapam incussit cum dicto, Si Christus centesimam partem eorum fecisset pro nobis, quæ pro vobis fecit, nocte & die serviissemus ei genibus flexis.

Legite Historiam Bambergensem, & invenietis, quid ex zelo egerit SSma Cunegundis Imperatrix: præfecerat illa Monasterio Confugiensi Neptem suam; cùm autem festivo quodam die, omissis sacris eam cum suis Monialibus pocula tractantem offendisset, tanto impetu ei colaphum impegit, ut digitorum vestigia in maxillam impressa, nullâ arte aut medicinâ curari potuerint. Hist. Bamberg.

Legite, quod Cedrenus in Compend. Hist. refert de dubitante quodam ob Centupium. Ita ait ille: Civis

(a) *Kibler fol. 807.*

Civis erat, qui cum ex cathedra intellexiſſet, omnem eleemoſynam in centuplum à Deo reddi, omnia in pauperes diſperſit, exceptis 2. ducatis ad iter Jeroſol. reſervatis: in viâ invenit duos mendicos ob annulum inventum litigantes, his binos ducatos pro annulo donat, inde ad Epiſcopum ſuum reveniens monſtrat annulum, & quid acciderit, aperit, cui mox Epiſcopus 2000. unà cum inſigni alapâ reddidit dicendo, cur modicæ fidei dubitâſti de centuplo à Deo reddendo?

Si Sancti inſurrexère contra minora delicta, cur non & nos inſurgamus contra blasphemiæ ſcelera? nullus reſpectus humanus nos retineat, nihil humani nos terreat.

Expoſcit hoc à nobis magnitudo ſceleris, enormitas criminis: Eſt enim hoc peccatum graviſſimum, teſte Chryſoſtomo hom. 1. orat. 2. de fato & provid. Non eſt, non eſt hoc peccato ullum deterius, ſed neque par; nam in eo & acceſſio omnium malorum eſt, omniſque confuſio, inexpiabile ſupplicium, & intolerabilis pœna.

Unde ait Bernardin. Senens. tom. 4. ſerm. 33. nullum eſt peccatum, quod habeat in ſe tantam iniquitatem, ſicut blasphemia.

De hoc peccato ait Hieron in c. 18. Iſaiæ: Nihil horribilius blasphemia, quæ ponit in cœlum os ſuum; omne quippè peccatum comparatum blasphemiæ, levius eſt. Quid ais, ô Hieronyme? ergò peccata minora cenſes clamantia in cœlum, Sodomiam, homicidium &c. Ita, ita, ait S. Bernardinus tom. 4. ſerm. 33. Nullum eſt peccatum, quod habeat in ſe tantam iniquitatem, ſicut blasphemia.

Maximum & graviſſimum peccatum eſt, primò ratione offendentis. Quod libro 2. Regum c. 16. recenſetur de Semei, quando Davidem fugientem à facie Abſolon lapidibus & convitiis appetiit, quando Abiſai iratus dixit: *Quid maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam & amputabo illi caput*; Idem hîc locum habet, quis eſt homo, qui maledicit Deo vel Sanctis ejus, niſi canis mortuus, perduellis Regi ſuo, rebellis contra Dominum, vermis terræ, pulvis & lutum, & hic audeat ponere in cœlum os ſuum, quis es tu ô homo infelix, qui ore inſurgere audes in Regem gloriæ?

Idem quod faciunt Canes, & tu agis ô homo, Lunâ ſerenâ ore aperiunt, latratibus lumen ejus petunt, & hoc ipſum præſtas, allatras Sapientiam, Providentiam, Bonitatem, Longanimitatem Dei, canis effrons & impudens, dignus, quem Angelus Domini ſcindat medium.

Graviſſimum eſt ratione offenſi. Probatur hoc ex S. Thoma dicente: (a) Gravitas deſumitur ex ratione offenſi, tantò enim gravior eſt offenſa, quantò major eſt ille, in quem delinquitur.

(a) *S. Thom. 3. p. q. 1. art. 2.*

Obſecro jam dicite, quis ille, quem blasphemus ore ſuo ſacrilego impetit?

Ille, ille eſt, qui Iſa. c. 40. *appendit 3 digitis molem terræ, & librat in pondere montes & colles in ſtatera.*

Ille, ille eſt, *qui concluſit oſtiis mare, & dixit, usque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Job. 38.

Ille, ille eſt, *coram quo columnæ cœli contremiſcunt.* Job. 26. *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* Job. 9.

Ille, ille eſt, *qui baltheum Regum diſſolvit, & præcingit fune renes eorum.* Job. 12.

Ille, ille eſt, ante cujus thronum *millia millium miniſtrant, & decies centena millia aſſiſtunt,* teſte Daniele, (a) & non eſt numerus militum ejus. Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Pſal. 47.

Et tu maledicte blasphemare audeas eum, cui Cherubin & Seraphin ſine fine Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant? Tu maledicas illi, quem laudant aſtra matutina, de cujus majeſtate & gloria jubilant filii Dei?

Tu maledicas illi, coram quo flectuntur genua cœleſtium, terreſtrium & infernorum?

Cui maledicte exprobâſti? quem blasphemâſti? contra quem exaltâſti vocem tuam? contra Sanctum Iſrael. 4. Reg. 19.

Maximum ergò & graviſſimum peccatum eſt blasphemia, ratione offenſi; dum Deo adimit cum Nabuchodonoſore potentiam, & ait: (b) *Quis eſt Deus iſte, qui poſſit vos eripere de manibus meis?*

Dum cum maledicto Cain ipſi negat miſericordiam dicendo: (c) *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.*

Dum cum impiis Atheis adimit ipſi Providentiam, juxta id, quod Job. 22 ſcriptum: *Quid novit Deus? quaſi per caliginem judicat; nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat.*

Dum cum ſuperbo Rege Aragoniæ Alphonſo ſugillat Dei Sapientiam quaſi in creatione Univerſi non omnia rectè ordinâſſet, cum tamen Sap. c. 11. ſcriptum: *Omnia in menſura, & numero & pondere diſpoſuiſti.*

Dum cum ingrato & incredulo populo Iſrael negat Dei liberalem manum & providum ſuccurſum Pſalmo 77. *Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto, nunquid panem poterit dare, & parare menſam populo ſuo?*

Dum cum illis impiis Job. 21. abnegat bonitatem remuneratoriam Dei: *Quis eſt omnipotens, ut ſerviamus ei? & quid prodeſt nobis, ſi oraverimus eum?*

Dum denique malè loquitur de Deo, & adimit ei juſtitiam dicendo Jeremiæ 12. *Quare via impiorum proſperatur: Benè eſt omnibus, qui prævaricantur & iniquè agunt?*

Graviſſimum demum ratione veniæ. Nam blasphemiam peccatum irremiſſibile eſſe, ipſamet prima & æterna veritas, quæ nec mentiri, nec fallere poteſt ſuo proprio benedicto ore

(a) *Daniel, cap. 7.* (b) *Danielis cap. 3.* (c) *Gen. c. 4.*

ore edixit, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Matth. 12. id est, secundùm universos DD. difficulter.

Hinc Hieronymus Epist. 32. ait: Blasphemiæ peccatum est veniâ indignum.

Agnovit hoc Heli 1. Reg. c. 2. dicens: *Si Vir peccaverit in Virum, placari ei potest Deus, si autem peccaverit in Dominum, quis orabit pro eo?*

Occluduntur mox aures Salvatoris, occluduntur portæ misericordiæ: hoc ipsum attestati sunt cœli, qui nec in captivitate, nec in flagellatione aut coronatione tenebris sunt obducti, nisi solùm, ubi pendente in cruce Christo Judæi blasphemo ore eum despexerunt, ibi petræ scissæ ac tenebræ factæ super universam terram.

Propterea ne decipiaris ô homo, impossibile est enim manus effugere Creatoris nostri, ait S. Ephrem (a) qui blasphemis difficulter ac vix veniam concedere solet.

O linguas serpentinas! O voces stygias, quibus aër inficitur, cœlum turbatur, Conditor cœli & terræ inhonoratur.

O Temporum nostrorum miseriam! O perversitatem morum!

Cuncti honoris sui sunt zelatores, eumque tuentur ferro & armis, solius Dei honor impunè læditur: in hunc velut ad metam totâ die impia tela volant juxtà lamentum Isa. 52. *Totâ die nomen meum blasphematur.*

Surgite ex tumulis vestris ô Reges & Principes, zelatores honoris divini linguas impiorum clavis perterebrate, frontibus eorum cauteria inurite, ad transtra relegate, carceribus includite, lapidibus denique hæc impia monstra tumulate. Quid agitis, quid connivetis? Videtis, auditis scelus, & tacetis? O Magistratus inanes! an nescitis mandatum Altissimi: (b) *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus eum opprimet omnis multitudo populi.*

Agite, administrate justitiam, punite scelus; hoc statuunt Concilia Ecclesiæ, hoc mandat Lex Civilis & Canonica, hoc præscribunt Constitutiones Imperiales, hoc jubet ipse Deus, deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur. Psal. 68.

Certè cum Rupertus Rex Romanorum 1400. Spiram venisset, (c) ac ingens numerus proscriptorum confluxisset, veniam à Cæsare petiturus, ac remissionem criminum; omnes absolvit, excepto solo cive, qui ludo incalescens Deum aliquoties blasphemaverat, hoc solo in exilium misso dixit, cœteri in homines solùm, hic autem in Deum ipsum peccavit.

Credite mihi, non cessabunt bella, donec expientur maledicæ hæ linguæ, instituite Processiones, exponite Venerabile, volvite Rosaria, non audientur preces vestræ.

Accidet vobis, quod Regi Roberto (d) Hugonis Capeti filio oranti Aureliis

(a) *Ephrem Parænesi 43.* (b) *Levit. cap. 24.* (c) *Jo. Nider l. 4. fam. c. 3.* (d) *Nicolaus Baerius decis. 301.*

reliis in templo S Crucis, ubi ex Crucifixo vox illa audita, non est, cur pacem regno tuo speres, si non radicitùs inde avellas blasphemias, nam teste Gersone Tom. 4. cons. 4. Peccatum blasphemiæ est magna causa pestilentiarum, bellorum, famis, & aliarum tribulationum in Christianitate.

Unde si hæc scelera non plectit justitia Magistratuum, adest manus Dei, & severè justitiam administrat. Nunc repentinâ morte blasphemos extinguens, quandoque tradit eos potestati dæmonum dilacerandos; sæpè fulmine exanimat aut alio terribili exitu, nunc peste, fame & bello terram percutit.

Uti contigit Simoni de Tornaco, Doctori Parisiensi 1239. (a) qui ore sacrilego ausus est dicere: Tres impostores extitisse, à quibus totus mundus sit infatuatus. A Moyse Judæos deceptos, à Christo Christianos, à Mahomete Turcas & Saracenos. Vix hæc dixerat, cùm in terram corruit, oculis contortis, bovis instar, mugitum edens.

O quàm benè dixit Augustinus Tract. 10. super Joann. flagellatus est quidem Christus flagellis Judæorum, sed non minus flagellatur blasphemiis Christianorum.

Aliter nos docuit Sanctissimus Martyr Polycarpus, (a) qui cum jam jam in ignem injiciendus esset, & urgeretur ad maledicendum Christo, Respondit: *86. annis servio ei, & nihil me læsit, quomodo ergò possum maledicere & blasphemare Regem meum?*

Claudo cum Chrysostomo hom. 2. ad Pop. Antioch. Obstruamus ergò ora tanquam fontes mortiferos, occludamus, ut evanescant mala, quæ Civitatem compræhenderunt.

(a) *Cantiprat. c. 48.* (b) *Lipelloo 26. Jan.*



IN

IN FESTO IMMACULATÆ CONCEPT. B. M. V.



Vidit Librum ſcriptum intus & foris, Sign. Sigillis 7. Apoc. 5.

AD Bibliothecam oculis perluſtrandam hodiernâ ſolemnitate vos humaniſſimè invito: non illam regiam, quam Alexandriæ Ptolomæns Philadelphus Rex Ægypti infinitis propè ſnmptibus erexit; (a) in qua ad ſeptingenta millia voluminum ſunt numerata, uti refert Agellius,

Non illam nobilem Bizantinam, in qua centum viginti millium (Selectiſſimorum librorum) (b) theſaurus erat reconditus, unà cum draconis inteſtino 120. pedes longo, cui au-

reis

(a) *Agellius lib. 6.* (b) *Beyrlink V. Bibliotb.*

res litteris Homeri Ilias ac Odissea inscripta fuêre, uti Beirlinck memorat verbo Bibliotheca.

Nec illam splendidam, quæ in Capitolio Romano ad ostentandam urbis magnificentiam à Romanis Imperatoribus est erecta; quam Eusebius, de rebus Commodi Impl. agens, sufficienter deprædicare nequit.

In nullam harum aditus nobis patet, cum nec minima memoria earum supersit: Alexandrina enim Bello civili sub Julio Cæsare est exusta: Bizantina sub Zenonis imperio in cineres redacta: (a) Capitolina tempore Commodi Imp. fulmine tacta in favillam abiit, teste Orosio. (b)

Et quid mirum, si conflagrarunt ac interierunt Gentilium hæ Bibliothecæ: dignæ erant ignibus, quia tot puras mentes, lectione impurâ ad illicita inflammarunt:

Dignæ erant æternâ oblivione, quia oblitæ veri Dei, falsa solùm Numina & Idola celebrabant.

Dignæ fumo & flammâ, quia mendaciis & fucis plenæ, veritate autem & sapientiâ erant vacuæ:

Dignissimæ demum favilliâ & cinere, quia nil continebant, nisi somnia Pythagoræ, deliria, Anaxagoræ, stultitias Democriti, insanias Zenonis, nugas Chrysippi, Mendacia Virgilii, spurcitias Propertii, Fabulas demum & Metamorphoses Nasonis.

Sed nec Christianorum mihi hodie arrident Bibliothecæ, cùm & illæ non sat innocentes ac puræ à nævis existant.

Continent hæ subindè plus speculationis, quàm devotionis: plus subtilitatis quàm utilitatis: plus vanitatis, quàm veritatis: plus politiæ, quàm virtutis.

Tradunt quidem hæ Bibliothecæ Ethicam, sed non bonos mores? docent scientias, sed simul inquietant conscientias; disputant de cursu siderum, sed non monstrant viam ad cœlum.

Displicent supra modum hæ Bibliothecæ, ubi inter sanctos Patres velut Sathan inter filios Dei, stant Cornelii Agrippæ, Bodini, Scaligeri ac Boccalini.

Ubi in fronte prostant, auro illinitæ Decades, Livii de gestis Romanorum; in angulo verò pulvere obsita jacent acta Apostolorum.

Ubi plus æstimantur scripta Taciti & Machiavelli, quàm sacræ Epistolæ Hieronymi & Pauli.

Pereant & æternùm claudantur Bibliothecæ hæ scandalosæ; ad nihilum enim valent, nisi ut mittantur foràs, & conculcentur ab hominibus.

Bibliotheca, ad quam AA. meos hodie invito, est sancta, innocens, impolluta, cœteras omnes raritate & nobilitate antecellens, toto cœlo ab aliis Bibliothecis distincta, tota quanta illis dissimilis.

Non gloriatur in multitudine & farragine librorum; sed unicum monstrat librum, *cui calamus scribæ velociter scribentis unicum inscripsit verbum, per quod facta sunt omnia.*

Nec

(a) *Zonaras Tom. 2.* (b) *Orosius l. 7. c. 6.*

Nec liber hic alius eſt, quàm liber Generationis Jeſu Chriſti, puriſſima ſcilicet & immaculata Virgo Maria; Liber prodigioſus, & incomprehenſibilis, qui verbum Patris mundo legendum exhibuit, uti teſtatur S. Epiphanius. (a)

Liber Puritatis digito Dei intus & foris ſcriptus, ut eam nominat S. Thomas de Villanova, obſignatus ſigillis ſeptem. (b)

Liber, in quo quot ſunt litteræ, tot ſunt virtutes teſte Richardo à S. Laurentio. (c)

Liber denique, in quo nil emendandum nil, corrigendum, nil expungendum.

Author hujus libri eſt, non divinus Plato, aut profundè doctus Ariſtoteles, ſed increata Dei Sapientia, quæ toti mundo in evulgatione hujus libri, ſpecimen bonitatis, ſapientiæ, & omnipotentiæ dare volens; per totam æternitatem in eo conſcribendo, concinnando & limando occupata fuit, juxta id, quod Proverb. 8. *Scriptum, Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio; nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram.*

Charta hujus libri eſt immaculata Virginis anima, tota pura, tota candida, tota munda, tota Virginea, in qua macula non eſt.

Involucrum libri eſt corpus ſanctiſſimum Virginis, tam pulchrum, tam nobile, tam formoſum, ut Dionyſius Areopagita Epiſt. ad S. Paulum ſcripſerit, teſtor Deum, qui aderat in Virgine, niſi me aliter divina docuiſſent eloquia, pro Dea eam adoraſſem.

Clauſura libri, Murenulæ aureæ vermiculatæ argento Cant. 1. omnis denique lapis pretioſus operimentũ ejus Ezechielis. 28. *non eſt factum tale opus in univerſis regnis.* (d)

Finis autem editi libri hujus non alius fuit, quàm Salus & Redemptio noſtra: Si enim Maria ab æterno non fuiſſet in Matrem Dei prædeſtinata, mundus numquam redemptus fuiſſet; & ſi ullam maculam peccati incurriſſet, digna non extitiſſet, quæ in Matrem Dei eligeretur.

Aperiamus nunc librum ſacratiſſimum, & evolvamus folia ejus, luſtremus oculis, quid contineat? ut video paucis conſtat foliis, ſed innumera continet myſteria.

Folium primum exhibet nobis in imagine ad artem opticam adumbrata, *Regionem terræ Huſs*, ac lamentabilem ſtragem, quam paſſus eſt Huſſæus Princeps, dum à Sabæis & Chaldæis abacta pecora, Pueri percuſſi gladio, igne cœleſti in cineres redactæ oves cum Paſtoribus; domus denique à 4. ventis diruta, oppreſſique omnes liberi, unico ſolùm nuntio ſemper evadente qui ſtragem nuntiaret. (e)

Figura hæc prima fuit, immaculatæ Conceptionis Virginis teſtimonium præbens. Ah

(a) *Epiphan. orat. de laud. Virg.* (b) *Villanova con. 2. de annunt. Virg.* (c) *Rich. à S. L. S. de N. B. V.* (d) *3. Reg. cap. 10.* (e) *Job cap. 1.*

Ah quàm verè, quàm benè dicere poterat Maria ad cœlestem Patrem: Pater mi! filiis tuis & filiabus, Adamo & Eva, in Paradiso vescentibus pomo vetito, corruens Domus (natura scilicet humana per peccatum) oppressit eos, & mortui sunt: Et effugi ego sola.

Cùm ignis concupiscentiæ ac fomes peccati inflam̃arent cunctas animas, evasi ego sola incendium universale, ita ut nec scintilla minima me tangeret.

Cùm à Sabæis & Chaldæis infernalibus cuncti mortales in duram servitutem velut mancipia raperentur) qui enim peccatum facit, servus est peccati) evasi ego sola crudeles manus eorum.

Cum omnes fierent filii iræ, evasi ego sola, & amica permansi altissimi.

Folium secundum exhibet nobis *Mare exasperatum, ac miserandum naufragium*, ubi mare & littus mortuorum corporibus tabulatum, & universa classis aquis hausta, unicâ solùm ad portum enatante naviculâ, cujus velo inscriptum, *communis discriminis expers.*

Et hæc figura Mariam denotat: Est enim Maria arca illa Noëtica, quæ universâ Adami sobole diluvii undis submersâ, communis discriminis expers, sola enatavit, ac super montes Armeniæ requievit.

O quàm benè dicere Maria poterat, factum est diluvium peccati super omnem terram, abyssi operuerunt eos, descenderuntq; in profundum quasi lapis, & evasi ego sola, (a) *quia læva ejus sub capite meo & dextra illius amplexata est me.* Unde præclarè S Bernard: in quodam sermone post lib. Epistolarum ait, arcam Noe, ut diluvium evaderet, fabricavit: istam (Mariam) Christus ut humanum genus redimeret, sibi præparavit: per illam paucorum facta est liberatio, per istam humani generis saltatio.

In folio tertio depicta cernitur *fornax ignis ardentis*, quam Rex Nabucodonosor septuplum succendi jussit, flammas in altum cubitis quadraginta novem eructans Daniel. c. 3. in hanc cùm nobiles illos tres pueros Rex efferus conicii jussisset, in cinerem & favillam eos redacturus, expertus est contrarium, ambulabant enim hi in medio flammæ laudantes Deum? *Angelus quippè Domini descendit in fornacem & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.*

Et hæc fornax quoque immaculatæ Virginis puritati adstipulatur: ita apertè sentit Joannes Damascenus. (b) Quid? an non te fornax illa designavit, quæ ignem simul & refrigerantem & inflammantem ostendebat, divinique illius ignis in te habitantis typum gerebat: profectò

(a) *Exodi cap. 15.* (b) *Jo Damascenus orat. de dor. B. V.*

fectò si ex camino ignis ardentis eruit tres pueros Angelus Domini: si fecit ut ignis nec vestes nec crines eorum adureret, quis credat filium hominis permisisse, ut Mater ipsius benedicta flammis concupiscentiæ & originalis peccati sit adusta? audite quid dicat, quid sentiat hâc de re Marianus quidam Neotericus Ecclesiastes: (a) Mariam culpæ nec adussit, nec tetigit incendium, quoniam magni consilii Angelus ad ipsam descendens ardentem originalis peccati æstum excussit, ac gratiæ rorem afflavit, Mariam non tetigit omninò ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.

Non tulit Æneas Genitorum suum involvi flammis Trojæ, sed in humeros sublatum extulit; & credat quis Filium Virginis, Matrem ignibus Originariæ luis ustulari permisisse? absit: extulit ex busto Trojæ Æneas Patrem, sustulit & Christus ex incendio peccati Matrem, testes appello Angelos Cant. c. 8. clamantes, *quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum*, unde meritò dicere Maria poterat *mihi autem adhærere Deo meo bonum* psal. 72.

Folium quartum objicit oculis nostris *amabilem Estherem* ad thronum Regis Assveri inclinatam, *qui festinus consurgens de solio, & sustentans eam ulnis*, hisce verbis ei blandiebatur: *quid habes Esther?* (b) *Ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est: tulitque auream Virgam, & posuit super collum ejus & osculatus est eam.*

Gratiam, quam Estheri contulit Assverus, quis neget etiam à numine collatam Mariæ, cujus figura Esther extitit? lex quidem erat lata pro omnibus, qui ab Adamo descenderent, ut maculam contraherent originalem, teste Paulo, (c) sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: sed uti Reginam Esther lex Assveri non comprehendit, quia augusta omni exceptione cœteris major super universas eminebat; ita nec Maria communi lege peccati ullo pacto est comprehensa. Augusta enim licet legibus soluta non sit, princeps tamen eadem illi privilegia tribuat, quæ & ipse habet, statuunt leges. (d) quis non advertat hæc ad litteram in Christo & Matre ejus locum habere? si enim juxta leges Princeps legibus solutus est, utique Christus Jesus, qui in fœmore suo scriptum habet Rex Regum, & Dominus Dominantium naturâ suâ peccatum aut culpam ullam conttahere non potuit: æquum est igitur, ut iisdem privilegiis gaudeat & Mater, ac à lege actu contrahendi originale peccatum eximatur.

Lex est, ut mulier, quæ concepit & peperit, desinat esse Virgo; Maria exempta fuit ab hac lege, utpotè quæ

(a) *Joan. Schröter conc. 2. de imac. conc. V.* (b) *Esther cap. 15.* (c) *Rom. c. 5.* (d) *L. Princ. ff de L.*

ante, in & post partum Virgo inviolata permansit.

Lex est, ut corpus mortuum resolvatur in cineres juxta id quod Genesis 3. scriptum *pulvis es & in pulverem reverteris*; exempta est Maria per pietatem filii & ab hâc lege; quidni similiter eximatur à filio à lege contrahendi labem originariam? nam legale quoddam axioma est, ejus est solvere legem, cujus est condere; unde sequitur vel non potuisse vel noluisse Matrem ab hâc maculâ eximere: si primum; detrahitur divinæ potentiæ; (a) si secundum; labes & ignominia affricatur ejus bonitati & pietati, quod horret animus; si autem voluit, ergo immaculatam eam præservavit, nam secundùm D. Cyprianum de Cardin. Christi operibus non sustinebat justitia, ut illud vas electionis, communibus lacesseretur injuriis, quoniam plurimùm à cœteris differens, naturam comunicavit non culpam: hinc S. Ildephonsus lib. de partu Virg. exclamat, quid est, quod legem naturæ requirant in Maria, ubi totum, qnod in ea est, possedit Spiritus S. O Maria non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est: Mensura enim privilegiorum Virginis seundùm Valentiam, Potentia Dei dicitur; (b) unde potentiâ Patris est exempta, sapientiâ Filii redempta, benignitate Spiritus S. præventa. Sicut enim Assverus videns casuram Estherem festinus de solio exiliit, ac ulnis sustentavit, ita Christus videns Mariam necessariò casuram in peccatum originale, ni juvaretur, festinus accurrit gratiâ suâ sustentans eam ne caderet, sceptrumque tangendum porrigens, quo vi crucis & passionis Christi secuturæ à lapsu est præservata.

In folio quinto visenda occurrit, *arbor speciosa, & excelsa nimis*, foliis & fructibus nobilis, quam cum asciis suis mors & dæmon junctis viribus succidunt, folia & ramos decutiunt, fructusque dispergunt: Arborem hanc Dan. cap. 4. Nabucodonosor in visione nocturnâ vidit; estque nobilissima figura immaculatam conceptionem Mariæ nobis repræsentans, uti Pererius docet.

Erat hæc arbor plantata in medio terræ, magna nimis, cujus proceritas contingebat cœlum, folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius: cum subitò vox audita est, succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus; & dispergite fructus ejus; veruntamen Germen Radicum ejus in terra sinite.

Per hanc proceram & elegantem arborem juxta mentem Lyrani & Pererii, (c) Adamus humani generis primus Parens designatur, hic enim in medio Paradysi velut sublimis & nobilis arbor stetit, florens & affluens omnibus bonis; vertice suo cœlos tangebat, quia à Deo ad Beatitudinem creatus, cœlestibusque donis & gratiis abundè cumulatus.

Rami in varias partes sese diffundentes

(a) *Bcon in quodlib. cap* 4. (b) *Valentia Tom* 4. *in* 3. *q. c*. 2, *q*. 1. *punct*. 2. (c) *a Lyranus Pererius in cap*. 4. *Danielis.*

dentes numerosam humani generis propaginem, quæ se per universam terram erat extensura, designârunt.

Per frondes & fructus arborem adornantes, dona, merita & virtutes, quibus felix ille innocentiæ status nobilitabatur, intelligebantur.

Ubi verò primus parens noster, divini præcepti immemor legem est prævaricatus, ac Deo factus inobediens & rebellis; mox terribilis illa vox de cœlo insonuit, succidite arborem, decutite ramos, dispergite fructus ejus, sicque nobilis hæc arbor unà cum ramis suis, usque ad radicem (per quam Pererius intelligit Deiparam ab originali labe præservatam) excisa in barathrum perditionis corruit; nam huic à vigile cœli parci est jussum, veruntamen germen radicum ejus in terrâ sinite: quasi diceret, intacta remaneat arboris hujus radix, utpote sancta, quæ à ferro exempta maledictioni non est obnoxia, Radix bonorum omnium, ut eam vocat Chrysippus orat. de Deipara Radix æternæ benedictionis ut eam nominat Methodius orat. de Hypapante. Radix nimirùm Jesse, ex qua Isaiâ teste aliquando egredietur Virga, & flos de radice ejus ascendet super quem requiescet Spiritus Domini. Hinc meritò Ecclesia eam salutat salve Radix, salve porta ex quâ mundo lux est orta. Minimè ergò decebat, ut Radix hæc sancta toxico inficeretur originali, aut ferrum pertransiret animam ejus. *Malleus enim & securis, & omne ferramentum non tetigit Mariam.*

Folium sextum monstrat nobis in bella imagine *depictas binas columnas* & in capitellis earum stantes duos vitulos aureos, quos universus populus à maximo usque ad minimũ supplici genu veneratur: His tamen ut poplites curvet, aut thus adoleat, cœcus quidam adduci nullâ ratione potest.

Laus hæc est Tobiæ senioris, de quo scriptura memorat Tobiæ cap. 1. *cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Israel, solus fugiebat consortia omnium, & cum omnes ederent ex cibis Gentilium, iste custodivit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum.*

Laus sanè præclara, sed quæ magis immaculatæ Virgini Mariæ debetur, utpote quæ potiori jure ad cœlestem Patrem dicere potuit; una universa propago generis humani in lumbis Adami latens (quorum voluntates voluntati ejus erant adunatæ) prævaricaretur præceptum Domini, & auscultarent potiùs sibilo serpentis, quàm voci Dei; ego obstruxi aures meas, & non consensi voluntati eorum: Cum parentes nostri affectarent similitudinem quandam Divinitatis, persuasione serpentis delusi, eritis sicut Dii scientes bonum & malum, ego detestata sum superbiam eorum, & permansi ancilla humilis, ac demissione meâ caput superbi contrivi serpentis.

Cúmque omnes ederent de cibo vetito, ego custodivi animam meam, & nunquam contaminata sum in esca eorum, *& non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari*: quia in Ma-

trem filii sui me ab æterno elegit.

Superest folium ultimum, quod nobis quidem repræsentat *aulam regiam, sed crudeli ac barbarâ lanienâ abominandam*, in qua nil nisi regius cruor fusus, ac corpora sceptro digna jugulata.

Lanienam hanc non scelerata Jezabel sed matre pejor filia Athalia Jerosolymæ spectandam dedit lib. 4 Reg c. 11. dum velut altera Medæa videns filium suũ Ochoziam à Jehu occisum, interfecit omne semen regium, quod ab Ochozia descenderat. Cernens hanc funestam tragœdiam Josaba filia Regis Joram, uxor Jojadæ summi Sacerdotis, misericordiâ mota juvenem Principem Joas clanculum furata est de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, cædique subductum à facie Athaliæ abscondit, & sex annis clam in domo Domini occultavit.

Laniena similis, imò longè funestior contigit post peccatum Adæ, si Augustino credimus dicenti (a) *dum in peccato concipimur, à diabolo jugulamur*: heu quanta humani generis est facta strages, quanta laniena! nulli parcitum, in omnes promiscuè sævitum, ita ut cum veritate de hâc laniena dici queat, quod Hieronymus apud Alberici conc. de immac Concept. de Hunnorum crudelitate memorat: *non vagientis miserebantur infantiæ, cogebantur mori, qui nondum vivere cœperant*: miserandam hanc cladem unica evasit Maria, destinata ab æterno in Reginam cœli & terræ, quam Josaba (divina Providentia) Regis Joram, hoc est EXCELSI filia à strage communi subduxit, ac animam immaculatam *in fasciculo viventium custodivit.*

Sed hoc credere nolunt adversarii nostri, objicientes nobis semper illud Pauli Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Ad objectionem hanc præclarè respondet Anselmus: (b) Vas electionis S. Paulus dixit omnes in Adam peccasse, vera utique sententia, & cui contradicere nefas esse pronuntio: sed cum eminentiam gratiæ Dei in te Maria Virgo considero, sicut te non infra, sed super omnia, quæ facta sunt, ineffabili modo contueor, ita & te non lege naturæ aliorum in tua conceptione devectâ fuisse opinor. Vult dicere cum limitatione *Li omnes*, (c) esse intelligendum; uti illud Pauli: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi*; & illud Jeremiæ 6. *à minimo usque ad maximum omnes avaritiã sequuntur*; Item illud Psalmistæ psal. 13. *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*; idem illud Esther 15. *non pro te sed pro omnibus hæc lex constituta est*, Omnes igitur in Adam peccaverunt, potentiâ vel actu concedit: Maria sub hâc particulâ *Omnis* comprehenditur limitativè, concedit minorem: ergò peccavit in Adam distinguit consequens potentiâ concedit, actu negat. Instant

(a) *Aug l. 1. de Genes* (b) *Anselm. in officio ejus c. 4.* (c) *ad Philipp. cap. 2.*

Instant Adversarii:

Si Maria absq; Originali est concepta, ergo Christus eam non redemit, sed hoc dicere est absurdum, quia omnes pretioso ejus sanguine sumus liberati & â peccato mundati.

Audite responsum Doctoris Hipponensis serm. de Concept. V. *per eundem salus & Virgini & hominibus, sed his tardè post culpam, Mariæ autem ab initio Creaturæ:* redempta est ergo æquè & Maria à Christo, licet nunquam fuerit mancipium peccati, quia redempta est ante lapsum, non post lapsum gratiam habuit Christi, non ut surgeret, sed solùm ne caderet: redemit illam non sublevando â peccato contracto, sed præservando â contrahendo, unde rectè S. Bern. serm. de assumpt. vocat eam primogenitam Redemptoris: (a) Hinc ait B. Antoninus Archiep. Florent. Nobilius & melius liberatur & redimitur, cui prævidetur, ne cadat, & servitutem incurrat, quàm ne lapsus erigatur, & factus servus redimatur.

Et quis credat templum illud ab æterno destinatum filio Dei, â lucifero prius prophanatum antequam sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech illud intraret?

Quis credat terram Sanctam & Virgineam maledictioni obnoxiam prius tulisse spinas & tribulos, quàm frumentum electorum?

Quis credat Hortum conclusum â bestiis prius conculcatum, antequam in illum descenderet sponsus?

Quis credat abominationem desolationis stetisse in loco sanctò; adoratum ibi prius Belial quàm Christum Dominum?

Ergone prius serpens animæ Mariæ infuderit venenum, quàm altissimus gratiam suam?

Ergone lectulus ille floridus destinatus filio Dei ut. 9. menses in eo requiesceret, sit prius inquinatus â malo genio?

Ergone aliquando character bestiæ infernalis sit impressus sponsæ Spiritus Sancti? horret animus, mens stupet, intellectus aversatur; durus est hic sermo, & quis potest eum credere?

Illæsum servavit pudorem prostitutis in lupanari Virginibus; Angelos & leones collavit ad fores ne macularentur; & Matris honorem non curavit altissimus? promptior fuerit in liberandis mancipiis, quàm in eripienda Matre? non credam.

Manet ergo quod doctissimus Idiota ait: (b) *Tota pulchra es Virgo gloriosissima non in parte, sed in toto; & macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit: quæretur peccatum tuum & non invenietur.*

Sumite nunc AA. in manus vestras librum hunc grandem, librum scriptum intus & foris, totum sanctum, totum immaculatum, sine omni

(a) *S. Anton. 1. p. sum. tract. 8. c. 2, de peccato Orig.* (b) *Idiota l. 2. de contemp. c. 3.*

omni nævo & liturâ, totum charitate deauratum, gemmis Virtutum distinctum, signatum sigillis. 7. hoc est septenis figuris puritatem Mariæ ab omni originariâ labe adumbrantibus.

Cavete autem ne accidat vobis id, quod contigisse refert Dilectus Christi Discipulus Joannes, quando vidit in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus & foris signatum sigillis septem, & Angelum clamantem voce magnâ, *quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus, & nemo poterat, neq; in cœlo neq; in terra, neq; subtus terram aperire librum & respicere illum.*

Nè ergo & vobis idipsum contingat, sed ut digni inveniamini aperire librũ hunc immaculatum, & solvere signacula ejus, sequimini illustre exemplum Imperatoris Sinarum.

Transmiserat Serenissimus Bavariæ Elector Maximilianus per Patrem Martinum Martini Soc. JEsu Sacerdotem Indias iterum petentem Imperatori Sinarum inter alia memoranda dona librum auro, argento, & gemmis illustrem, in quo per septuaginta & octo Icones vita Christi exquisitissimis coloribus summâ arte depicta erat, è latere verò charactere Sinico sacra Evangelia aureis litteris descripta, liberq; aureâ telâ involutus: antequam ergo Imperator librum in manus sumeret, ac signacula reseraret, jussit afferri aquam, ac manibus lotis, (quod ab omnibus adstantibus etiam fieri jussit) in genua procumbens, osculo prius volumini impresso, summâ cum reverentiâ folia ejus aperire ac revolvere cœpit, ac lectum in thesauros regios reponi.

Idem & vos præstate, non solùm manus, sed & pedes & caput prius lavate, & quidquid macularum in corde vestro residet expurgate, & lacrymis detergite: Immaculatus enim liber cor & manus puras postulat; nam in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Loti ergo & mundi librum in manus sumite, folia virtutum volvite & revolvite, & quod in eo legistis & annotastis opere imitari studete.

Felix ille secundùm Rich. de S. Laurentio lib. 12. de laud. V. felix inquam est, qui de libro isto lectionem quotidiè memoriæ commendabit.



IN

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.



NON CREDAM, Joan. 20.

COgnomina hominibus nequaquam casualiter aut fortuitò sunt imposita; ex motivis diversis, ex causis variis hoc evenit. A defectu naturæ dictus est Horatius Cocles, Artaxerxes Longimanus, Hermannus Contractus, Michael Balbus, Carolus Calvus.

A formâ corporis nominatus est Fridericus Barbarossa, Philippus Pulcher, Philippus Longus, Curtius Dentatus, Bertholdus Niger, Carolus Crassus. Scientia & doctrina fecit, ut diceretur Carolus Sapiens Albertus Magnus, Plato Divinus, Thomas Angelicus, Antoninus Philo-

Philosophus, Alphonsus Astrologus.

A Triumphis & belli gloriâ vocati sunt Magni, Pompejus, Constantinus, Carolus, Theodosius, Alexander & Otho Imperatores, grandes & magni.

Ob virtutem dictus est Ludovicus Pius, Alphonsus, Castus, Ferdinandus Catholicus, Philippus Bonus, Joannes Eleemosynarius, Dominicus Loricatus, Job patiens, Jacobus pœnitens.

Quin & ipsa vitia mortalibus ignominiosa peperêre agnomina. Hinc dictus Constantinus Copronymus, Leo Iconoclasta, Petrus crudelis, Henricus rixosus, Ludovicus severus, Wenceslaus ignavus, Julianus Apostata.

Nec aliter accidit Thomæ, cui increduli nomen, usq; in hodiernam diem adhæret: Causa hujus extitit grandis ejus infidelitas, quæ tantis tenebris cor ejus fascinavit, tot erroribus animum implicavit, ut nec Magdalenæ, nec Petro Apostolorum Principi, nec Joanni Christi dilectissimo Discipulo, nec duobus euntibus in Emaus, nec toti insuper congregato Apostolorum Collegio, quibus visibiliter Christus apparuerat, ac pacem apprecatus erat, crediderit semper suum solemne insonans, nisi videro & tetigero, non credam: (a)

Magdalenæ ajebat, non credo, quia fœmina est decipi facilis & decipere. Petro non credo, quia tertiò jam perjurus extitit in Magistrum suum Joanni fidem non habeo, quia Juvenis supplantationi proximus.

Discipulis euntibus in Emaus non assentior, quia vino fortè turbati, Apostolis reliquis fidem non adstruo, utpote timore consternatis, & aliàs Christum ambulantem super aquas jam phantasma esse credentibus, manet altâ mente repostum: nisi videro & tetigero, non credam.

O Infidelem Apostolum! O incredulum Thomam! O Discipulum obstinatum! nihilominus AA. Charissimi hodiernâ die nil magis ex corde & animo opto ac voveo, quàm ut Thomistæ sitis, ac Thomæ sequamini vestigia, ejusq; imitatores toti increduli, ac semper ubi de proximo vestro convitia spargi, peccata ejus errores ac defectus propalari auditis, dum nunc lascivus adulter, jam fur & injustus raptor, nunc mendax ac periurus, jam seductor & rebellis audit & traducitur, semper dicatis exemplo Thomæ: *nisi videro & tetigero, non credam*, nam teste Laurentio Justiniano (b) per unius incredulitatem, universam voluit Dominus erudire Ecclesiam.

Plurima licet in Orbe sint vitia, nullum tamen invenitur communius, quod omni loco nidificat, minúsq; curatur, quàm judicium temerarium.

Superbia communis frequentat Aulas & Palatia Principum. Avaritia & Usura stationem ponit, inter tabernas Mercatorum & Institorum: Luxuria

(a) *Joan. 20.* (b) *Laurent. Justinian. ser. de S. Thoma.*

Luxuria inter angulos & obſcœnos fornices deliteſcit: Ira & vindicta ad duella perpetranda in apertum campum evolat; Invidia in officinis Opificum, & clauſtris Monachorum plurimùm reſidet: Blaſphemia Caſtra ſequitur Militum; Gula & ebrietas in Coquinis & Hoſpitiis diverſatur.

At Judicium temerarium ubiq; terrarum coloniam ponit, per omnia loca vagatur, vitium adeò vulgare, ut publicè afferat Auguſtinus, temerariis Judiciis plena ſunt omnia, neq; (a) hic morbus alios judicandi eſt novus, jam in Veteri Teſtamento & ipſi ſubindè Sancti impegerunt ad Petram hanc ſcandali & lapidem offenſionis.

Legite obſecro lib. I. Reg. capitulum 1. & invenietis ibi Sacerdotem Heli ſedentem ſuper ſellam ante limina Templi, obſervantem Annam poſtea Matrem Samuelis pro filio Numini ſupplicantem, ac temerè ex motu labiorum ejus judicantem eam eſſe ebriam & temulentam.

Luſtrate ulterius Caput 16. Libri Regum, & invenietis ipſum Samuelem, à Domino ad ungendum David in Regem graviter halucinantem; cùm enim ex ſtaturâ procerâ judicaſſet Eliab dignum Sceptro & Coronâ, mox à Domino audiit, *ne reſpicias vultum ejus, neq; altitudinem ſtaturæ ejus, quoniam abjeci eum; nec juxta intuitum hominis ego judico; homo enim videt ea, quæ patent; Dominus autem intuetur Cor.*

Quin & ipſi Apoſtoli errarunt in judicando; videntes enim Chriſtum ſuper mare ambulantem, concluſerunt *Phantaſma eſſe.* (b)

Melitenſes videntes viperam pendentem de manu Pauli, (c) temerariè judicarunt eum homicidam eſſe, quem ultio divina inſequeretur.

Actorum 9. Juſtus alioquin Ananias cum ipſo Deo expoſtulat, (d) cùm jubetur ire in vicum rectum, & Saulum jam converſum baptizare. En quàm malè ſenſerit de Saulo.

Audivi, ait ipſe ad Dominum, multa de Viro illo, quanta fecerit mala Sanctis tuis in Jeruſalem: neq; manus dediſſet, niſi mox à Domino audiviſſet: *Vade, vas electionis eſt mihi iſte.*

Obſecro unde errores tanti? non aliundè, quàm quia adeò inſipientes exiſtimus, & ſine fundamento judicamus. Ecce totum fundamentum Judicii noſtri ſunt quinq; ſenſus (nihil enim (juxta tritum illud) eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu) ex his ſenſibus judicamus & decernimus, quia cor non intuemur: at omnes ſenſus noſtri turpitur errant & decipiunt; ergò ſtulti ſumus, quia ſecundùm ſenſum judicamus.

Initium ducamus à Viſu.

Oculus à Galeno Sol quidem vocatur; at grandes ſubindè etiam patitur Ecclipſes Sol iſte, plurimumq; habet

(a) *Auguſt. ſerm. 102. de temp.* (b) *Matt. 14.* (c) *Actorum c. 28.* (d) *Actorum c. 9.*

habet admiſtum caliginis; Judicum quidem eſt primus, at primus omnium errat.

Solem & ſtellas ſubindè contemplamur, & ſecundùm judicium noſtrum pugnum aut Orbem vix excedere credimus, cùm tamen minima ſtellula 18. vicibus magnitudine ſuperet ipſum Orbem terrarum, Sol verò major Orbe exiſtat 166. vicibus, uti Cornelius & Alii ſentiunt.

Solem inſuper credimus inſtar tardæ teſtitudinis moveri ac ſerpere, cùm tamen plusquam ſagitta aut fulgur quavis horâ 58800. Milliones milliarium conficiat. Iridem & trigonum videmus, & pulcherrimos in eis colores admiramur; at umbra ſolùm ſunt & nihilum, nil aliud quàm nuda & pura ſolis reflexio in nubem roridam. Speculum inſpicimus,& ecce oculus dexter fit ſiniſter, ſiniſter verò occupat dexterã; fallacia grandis. Naves cum velis aguntur, autumamus ſtare, Urbes verò recedere, Turres juxta aquas credimus inverſas, ſtellas noctu de Cœlo cadere, cuncta hæc figmenta ſunt & fallaciæ oculorum.

Expertus eſt fallaciam hanc oculorum Pauſanias lib. 1. in Atticis ut Bartholi refert in Promontorio Capharæo. Fingunt Poëtæ, ait ipſe, Niobem immanitate doloris ob interemptos filios in ſaxum mutatam, atq; in medio eorum etiamnum necem deplorare recentibus lachrymis. Ego, ait Pauſanias, cùm diffiderem eminùs certius aliquid aſſeverare, Nioben ut viderem, Sypilum montem aſcendi, audite nunc totum aliud, quod ibi invenit. Silex & prærupta crepido eminet, quæ propè adſtanti, neq; mulieris, neq; lugentis formam oſtentat, qui verò procul aſpexerit lachrymantem & mœrentem ſibi videre videtur Nioben.

Conſulite Microſcopium, videbitis ibi pulicem inſtar muſcæ grandem. An non ſtultiſſimi Mexicani, qui conſpectis Equitibus Hiſpanis, crediderunt eos eſſe Centauros; æquè nos deſipimus, ſi ſecundùm viſum & apparentiam judicamus. Ex viſu temerè judicavit Totila, videns S. Caſſium Epiſcopum Narnienſem rubicundâ facie incedentem, ac exiſtimans vini appetentiorem, ſed ubi vidit à ſcutifero ſuo dœmonem, qui eum obſederat à S. Viro expulſum, cum rubore ipſe agnovit errorem.

Idem fecêre prius Judæi, judicantes in Pentecoſte Apoſtolos muſto plenos deſipere. Idem evenit Eremicolæ illi, qui viſo S. Baſilio in ornamentis Pontificalib9 magnificè ſplendentem, ejus Virtutibus occultè detraxit, cui tamen paulò poſt Deus oſtendit Baſilium in omni pompâ humiliorem circumferre animum, quàm in rigido cilicio Eremicola mentem.

Procedamus nunc ad Auditum: ſi verum illud Plauti in milite glorioſo, Pluris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem; quantùm non

fallet

fallet & hic ſenſus, quantis non erroribus erit obnoxius?

Docet hoc Mediolani villa Simonettæ, Arſenale Ticini, Sepulchrum Cæciliæ Metellæ Romæ, ubi Echo admirandis modis hominum auribus illudit, & unica vox prolata, jam octo, nunc decem, jam 24. vicibus repetitur. Expertus eſt Italus ille Echonis fallaciam, ut refert Cardanus l. 18. de ſubtilitate, qui cùm iter ageret juxta flumen, nec Vadum invenire poſſet, exclamare cepit Oh! cui latens Echo reſpondit Oh! ille exiſtimans hominem eſſe, interrogat Italicè ulterius Onde debo paſſar? paſſa reſpondetur, tum ille debo paſſa. Qui replicatur. Qui debo paſſa. At ibi profundo gurgite aquæ admodum perſtrepebant unde ille territus ſecundò interrogabat, devo paſſarqui? Echo reſpondit Paſſa qui; cui ſæpius interroganti idem, idem reſpondebat Echo, quare cum Italus iſte inter metum & neceſſitatem natandi eſſet, noxq; intempeſta urgeret, dœmonem aliquem ratus, qui ſibi illuderet, ac ut in torrentem ſeſe præcipitaret perſuadere velet, inſidias Orci veritus, aliò iter intendit. Kircher in Phonurgia.

Quàm ſplendidè decepti ſunt Americani, qui audientes in monte quodam littoris Maris Quatamalenſis in novâ Hiſpaniâ Euro flante Organi ſonum, concluſerunt Deorum ſuorum hunc exiſtere choream: Harpam ſeu teſtudinem tu oppone vento de nocte, eundem experieris ſonum: aut ſi placet, accipe ſtilum ferreum 2. circiter vel 3 pedum, appende hunc ad aures digitis duobus clauſas, ferrumq; pendulum lapidi aut ligno illide, campanam credes te audire majorem, quàm quæ Erforti exiſtit. Lepidiſſimum eſt id, quod Strada teſte tempore Ducis Albani Legioni Wallonicæ in Belgio acciderat, qui cùm in propinquo adventantem hoſtem crederet, ad arma concurrens, cùm riſu deprædendit nil aliud hoſtile adventare quàm Nuptias ruſticas belli ſecuras.

Idem accidit Moyſi & Joſue, quorum poſterior dicebat ſonum belligerantium ſe audire, alter verò exiſtimabat vocem eſſe cantantium.

Senſum tertium ſi luſtremus, deprædendemus & Guſtum eſſe totum vitioſum & fallacem: fatetur hoc clariſſimè Berzelai Senex Octogenarius 2. Reg. 19. quem cum David Jordanem tranſiens invitaret Jeroſolymam ad menſam regiam, reſpondit *Octogenarius ſum hodie nunquid rigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuave & amarum.* Ah quoties æger ex corruptione palati fel credit eſſe, dum mel propinatur, quoties ſuſpicatur cibum abſynthio plenum, qui tamen ſaccaro eſt conditus: An non Hebræi murmurare ſunt auditi de Manna cibo cœleſti, in quo omne delectamentum erat repoſitum? nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo. Et quid non tentant Coqui, ut Dominorum ſuorum gulas novis inventionibus irritent.

Putabitis vos subindè gustare sapidissimam ferinam, bubula solùm est aceto macerata. Diebus interdictis ab esu carnium credes tibi apponi intestina aut farcimina; at erras, solùm ad illudendum simplicibus arte confecta sunt ex piscibus: An non & Isaac Benedictionem Ultimam Esau primogenito daturus, à Jacob deceptus, pro ferinâ gustavit hædinam? & quoties pro vino Hispanico propinatur Mulsum Dantiscanum?

Referri sæpius audivi, Morionem quendam, cui à Viro Principe olus ex lactucis parùm honestè distillatis appositum erat, ita excanduisse; ut in omnem ultionem similem intentus, tandem Principi suo clam unam de Chirotecis ipsius perfumatis ablatam ac minutim concisam ac aromatibus probè conditam manducandam apposuerit; fides sit penes Authores. En quantùm gustus nobis illudere queat!

Nec odoratus noster melioris est conditionis, non sumus Salomones, ut discernere possimus à veris arte confectos flores à Regina Saba ad tendandum eundem allatos, quos ut naturales à fictitiis discernere posset, ad alveare Apum detulit.

Non sumus Philippi Nerei, aut Catharinæ Senenses, ut ex odore luxuriosas ac peccatrices animas discernere possimus, erramus ergò & in odoratu millies.

Tactum quod attinet, errare eum splendidè probant depictæ Uvæ Zeuxidis aves ad se ultrò pellicientes: Cortinâ Parrhasii, quæ ipsum Magistrum Zeuxem fefellit; Aurum Alchimisticum, Gemmæ ex vitris, Margaritæ ex conchis marinis, poma Sodomæ tam fallacia quàm pulchra.

Gypsus si super carbones in vase ponatur, adeò stridet, ut ardere credas, impone manum, & totam frigidam extrahes. Tivoli in Italia reperiuntur, lapilli, qui intuentibus apparent dulcoratæ & saccaro obductæ amigdalæ, quibus si dentem infixeris, senties lapidem: quibus meritò pro lemmate adscribi potest!

Scena, non Cœna.

Tactu delusus est ipse Patriarcha Isaac, quem deceperunt pelles appositæ manibus & collo Jacob, ut existimaret eum Esau primogenitum. Unde Lyranus ait: Isaac auditui non credidisse, dum dixit *vox Jacob*, sed certiorem sensum explorasse per tactum, at & in eo esse delusum.

Si ergò omnes sensus nostri sic turpiter errant, si nos non aliundè quàm ex sensibus judicamus? quàm stolidi judices sumus, qui secundùm falsas apparentias decernimus, Cor autem non intuemur.

Ah quoties sub modesto vultu cor latet libidinosum: quoties demissi

missi oculi superbum animum celant, est enim qui se nequiter humiliat; quoties mel in ore, fel in corde: quoties sub devoto cucullo anima delitescit scelerata: errant toto cœlo filii Adam, dum superbum pro humili, luxuriosum pro casto, blasphemum Atheum pro justo, avarum pro liberali habent; An non Herodes humilis? ut & ego veniens adorem eum; sed cruentum balneum sanguinis aliud demonstravit.

Quis flentem Putipharis uxorem & pallium Josephi in manu tenentem non castam dixisset Penelopen?

Quis Neronem non clementem, mitem & mansuetum pronuntiâsset, cùm subscripturus damnationi cujusdam exclamavit: Utinam nunquam litteras didicissem!

Quis Absolonem non religiosum cogitâsset, dum licentiam abeundi à Davide petiturus dixit: *Vadam & reddam vota mea, quæ vovi in Hebron.* Quis non liberalem pronuntiâsset Bassam illum Turcicum, qui crediturus templum quoddam, prius ad recipiendam liberalem eleemosynam cunctos pauperes advocavit, quos dein in atrium remotum adductos, detractis laceris togis & centonibus, novis togis licet reluctantes induit, in quorum tamen in ignem conjectis centonibus plus auri reperit, quàm quod exædificandum fanum Mahometis exigebat.

Econtra quis Juditham non prostitutam meretricem; quis Didymum militem ad S. Theodoram violandam lupanar ingressum non adulterum judicâsset, qui tamen mox aliâ de causâ se ingressum monstravit, cum ad Theodoram conversus dixit: adsum soror salvare animam tuam, non perdere, quasi adulter ingressus sum, si placet, mutemus vestimenta, & Martyr egrediar.

Unde optimè Joannes XXIII. Romanus Pontifex rogatus aliquando quid longissimè à veritate abesset? respondit hominum Judicia. Ex his ergò infallibilem sequelam infert Paulus, dum ait: (a) *Unde inexcusabilis es ô homo omnis, qui judicas proximum, in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas:* Nolite igitur judicare Charissimi, ne judicemini.

Quæ enim vesania est in momento capitalem velle sententiam ferre in aliquem, parte alterâ non auditâ, dicere & exclamare cum Judæis: Reus est mortis, & cum Pilato prius non interrogare, quid enim mali fecit?

Imitari hoc est Luciferum, qui voluit similis esse Altissimo, involatis officium Dei, ille enim est constitutus Judex vivorum & mortuorum: Audite, quid de vobis dicat Sanctus Bernardinus Senensis: (b) Qui sinistrè judicat de aliis, injuriam Deo facit, quia ejus Jurisdictionem temerè usurpat, duo enim sunt, quæ sibi Deus retinuit, & spectant ad ipsum solùm, gloria scilicet & judicium. Exspectate, exspectate miseri, adhuc fenestra illa nondum ante cor hominis patet,

(a) *Rom. 2.* (b) *S. Bernardin. Senens. Tom. 4. Serm. 28.*

ut videatis & censuretis cogitationes hominum, exspectate, donec veniat Dominus, (a) *qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*

Per Superos rogo vos, audite vel unicam historiam, & ex eâ pruritum vestri temerarii judicii corrigite.

Anno 1604. Ordinem Annuntiatarum (Viro priùs è vivis sublato) instituit Maria de Victoria, Matrona Genuensis. (b) Hæc inter alia pietatis opera, gaudebat servire ægrotis, ut passim ægrorum Consolatrix & Mater diceretur. Accidit aliquando, ut intelligeret Puellam quandam de corporis & animæ sanctitate desperatam, morti jam vicinam decumbere, advolavit ergò, & invenit spectaculum miserandum, quarta enim jam die duraverat extremæ desperationis & insaniæ scena, circumstantium comploratio, & ut fieri solet, variæ conjecturæ de ægrotâ.

Alii existimabant miseram exiisse de mentis potestate, alii autumabant illam occultis turbari conscientiæ stimulis, alii credebant ob graviora scelera eam esse promeritam, cur Deus vultum ab eâ & gratiam averteret; accessit, quod visa sit omne, quidquid Amici boni in aurem ingererent, extremè aversari.

Inter cœtera exhibebatur miseræ Christi in cruce pendentis effigies, sed aversabatur illa Servatorem, quem neque oculis aspicere dignabatur: jubebant eam saltem osculo venerari sacra vulnera, sed os & oculos illa occludebat, quin (quod horrendum) in sacram effigiem, cum omnium adstantium tremore, sæpiùs turpia exspuebat phlegmata, denique omni gestu & nutu ostendebat se odisse extremè, qui pro ipsâ extrema esset passus: neminem inter anstantes Tragœdia hæc magis cruciabat, quàm Mariam Victoriam, quæ ut miseræ à Deo impetraret gratiam, non prius à genibus surrexit, donec sibi reddita est: interrogata ab amicis cur adeò à Salvatoris effigie abhorruisset, ac sputa in eam ejecisset; Respondit se intimo corde semper Christum adamâsse, verùm adfuisse dæmonem sibi adspectabilem, qui sese inter crucem & ipsam interposuerit medium, & loco Crucifixi osculum sollicitârit, cui cum nollet consentire, nec posset, factum esse, ut in detestationem petiti improbi, sputa in eum conjecerit, fugatum paulò post Victoriæ precibus turpe monstrum, seque sibi à Deo restitutam. En quantùm humana judicia errent, dum nec oculis nec auribus cœterisque sensibus tutò credere possumus.

Concedendum fortè vobis esset judicium, si ita felices essetis in judicando, uti perhibetur esse S. Apostolus Thomas. Audite, quid de eo scribant Dionysius Carthusianus, Ribadeneira & Pelwartus de Temeswar. (c)

In

(a) 1. Cor. 4. (b) *Ita refert in vita ejus P. Ferdinand. Meltio S. J. Confessarius Victoriæ.* (c) *Barnabas Kearnæus in Fest. S. Thom.*

In India Civitate ULNA excelsa est Ecclesia in summitate montis, in quâ corpus gloriosi Apostoli, tanquam vivens & erectum cernitur. Ante ipsum lampas pendet aurea, balsamo plena, quæ semel accensa ab anno ad annum sine diminutione Luminis ac Balsami lucet, quo Balsamo omnes ægri sanantur. Est autem Apostolus talis formæ: Facies ejus ac sidus rutilat, capilli rubei usque ad humeros descendunt, barba ruffa ac crispa, vestis dura ac integra, mons ipse lacu circumdatur profundissimo, neque ulli transitus liber est, nisi semel in anno, idque diebus octo ante Festum ejus, cum aqua decrevit, ut accessus adventantibus pateat, qui undique in magnâ frequentiâ confluunt. Die itaque ejus solemni Patriarcha cum Suffraganeis Pontificalibus indutus (locato prius in Episcopali sede super altare Sancti corpore) post celebrationem Missæ hostias consecratas in patenâ genibus flexus offert Apostolo, qui miraculosè manum aperit, & singulis cœleste Epulum porrigit: Si accedit infidelis aut alius mortali scelere obstrictus peccator, manum retrahit, donec ille convertatur, vel subitò moriatur: peracto officio & corpore Apostoli reposito populus cum Jubilo ad propria remeat, & lacus redundans montem, ut prius circumdat. Hæc Patriarcha Joannes in propriâ recitavit personâ, & eadem à Rege Indiarum postmodùm Calixto II. Pontifici sunt relata.

Claudo, & cum S. Augustino super Psal. Beati Immac. dico: (a) *Judicet ille de alterius errore, qui non habet, quod in seipso condemnet, judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putat esse punienda, ne dum de alio judicat, de seipso sententiam ferat.*

Mementote obsecro semper Apostoli increduli, & exemplo ejus dicite:

Nisi videro & tetigero, non credam.

(a) *Ambrosius in Psal. 118.*



IN

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.



Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum. Iſa. cap. 30.

SIlete ſacri Oratores, qui inſtar tubæ exaltatis vocem veſtram, ut annuntietis populo ſcelera eorum: (a) Sacratis hodiè valedicite pulpitis, digitumque imponite ori veſtro. Mundus enim, licet argumentis veſtris ponderoſis ſe convictum fateatur, attamen id, quod zeloſis veſtris adhortationibus eidem perſuaſiſtis ad opus poſſe deduci, clamat eſſe impoſſibile, ac cum Averroe firmiter tenet Legem Evangelicam

(a) *Iſai.* 58.

cam quidem pulchram & laudabilem, sed naturæ humanæ impossibilem.

Vos quidem mundo inculcâstis sæpiùs constantiam & perseverantiam in bono, at homines vitro existunt fragiliores, ac ad quemvis tentationum insultum mox rumpuntur.

Vos laudibus in cœlum usque extulistis mansuetudinem christianam, verùm ita obdurata sunt pectora nostra, ut non nisi sanguine & singultibus inimicorum emollescant.

Vos mille Encomiis deprædicâstis humilitatem & demissionem animi, verùm ut hydropici quotidiè adhuc intumescimus ambitione & superbiâ inflati mortales. Vos toties recommendâstis ipsis continentiam & puritatem, sed nunquam hactenus impuros ignes, qui pectora eorum adurunt, extinxistis. Vos exoticam sitim avaritiæ ac auri sacram famem sæpiùs contrariis antidotis temperare estis conati, sed radicem mali nunquam satis eradicâstis. Mundus enim (a) adhuc totus in maligno positus est, adhuc secundùm Joannem (b) regnat concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ. Verbo prohibere velle mortalibus, ne peccent, idem est, ac vetare avibus ne volent, piscibus ne natent, ventis ne strideant, igni ne ardeat, viperis ne mordeant.

Tacete igitur Oratores sacri, fructum enim non alium hactenus reportâstis, quàm ut cum gravi gemitu & suspirio repetatis, quod Lucæ 7. scriptum: *Cantavimus vobis tibiis ô peccatores, & non saltâstis, lamentavimus, & non plorâstis*: Valete igitur cathedræ, valete sacra pulpita, aliundè & de ultimis finibus terræ Orator advocandus erit novus, cujus vox quasi malleus induratas conterat petras: cujus verba confringant elatas cedros Libani, cujus vox velut aquarum multarum, exæstuantis Veneris extinguat incendia; cujus vox tanquam tonitrui magni concutiat peccatores terræ.

Sperate benè Auditores talem ego hodiè vobis adducam Oratorem, cui cœlum & terra æqualem non habet. Oratorem, in cujus labiis omnis diffusa gratia, cujus eloquium super mel dulce, cujus *sermo vivus & efficax*, (c) *penetrabilior omni gladio ancipiti, scrutans corda & renes*. Oratorem talem, qui uno verbo complectitur omnia. Cuncta in Concione hac erunt obstupescenda, seu Oratorem, seu templi ornatum, seu orationis formam contemplemini, aurium enim nullus erit usus, sed tota oculis spectabitur Concio: Vagitu tenero elinguis perorabit infans; laqueatum templum, vile erit stabulum; cathedra & suggestus informe præsepe; pro stolâ servient fasciæ infantiles; superpelliceum erit natura humana; ponderosa verba, erunt vagitus & gemitus; lachrymæ denique tota peroratio.

Charissimi transeamus ergò in Beth-

(a) *1. Jo. 5.* (b) *1. Jo. 2.* (c) *Hebr. 4.*

Bethlehem, ubi avidè nos præstolatur carne indutus humanâ Divinus Ecclesiastes, transeamus in Bethlehem, ubi infans vagit in cunis, sed præ Tullii facundiâ, imò præ eloquiis Angelorum ille vagitus est eloquens, (a) ac audiamus, quid loquatur nobis Dominus. Non diu Auditores, oculi nostri sunt circumgirandi, ut vel cathedram vel sacrum Oratorem contemplemur: ad primum intuitum illabitur nobis Augustum Domini præsepe, magna sanè cathedra, ut eam vocat Thomas Villanovanus Conc. 1. de Nat. ex quâ cunctis mortalibus Dei loquitur Sapientia, ac finitam humilitatem filii Dei proclamat.

Clamat stabulum, ubi natus, (b) clamat Præsepe, in quo repositus, clamant panni, quibus involutus, clamant universa, discite à me, quia mitis sum & humilis corde, quidquid enim oculis objicitur nostris, humilitatem spirat, ac infinitam demissionem filii Dei deprædicat.

Ecce relicto cœli solio ad terras descendit parvulus iste totus incognitus, (c) *& mundus eum non cognovit*; velut alter Alexius domo paternâ exul sub scalis Bethlehemiticis delitescit: Immortalis apparet in carne mortali, quem cœli capere non poterant, angustiis concluditur præsepis. Divinitatem abscondit sub naturâ humanâ: Sapientiam velat sub infantiâ, majestatem occultat in stabulo, fortitudo delitescit sub fasciis, divitias tegit sub pauperie, omnipotentiam celat in fragilitate, majestatem deponit inter pecudes. O demissionem infinitam! O humilitatem inauditam! verè verè dicere potes: O parvule! *Ego autem humiliatus sum nimis.* (d)

Adeste nunc insensati filii Adam, inflati velut pilæ, elati sicut cedri, tumentes velut bullæ, superbi velut pavones, nil tamen aliud, quàm cadavera dealbata, cinis & lutum; pedes vestros pavoninos aliquando respicite, fastum & arrogantiam dediscite.

Si miseriæ, tribulationes & peccata vestra ad humiliandum vos nondum sufficiunt, erubescite saltem esse superbi, postquam Deus factus est humilis; *Ergòne adhuc tu magnus es in oculis tuis, postquam Deus parvulus factus est sub oculis tuis*, ait Guaricus Abbas: (e) Vide, inquit Augustinus serm. 21. de Nativitate, quid pro te factus est Deus, doctrinam humilitatis tandem agnosce etiam nondum loquente Doctore: Auribus percipe doctrinam, quam tibi inculcat Divinus Ecclesiastes: (f) *Discite à me non mundum fabricare, non cuncta visibilia & invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, aut mortuos suscitare, sed quia mitis sum & humilis corde.* Vani sunt honores, vanæ sunt pompæ sæculi, mendaces & fallaces tituli: En Ego sum æter-

(a) *Adam Parsen. de Nat.* (b) *Bernard serm. 5. de Nativitate.* (c) *Joan. 1.* (d) *Psalmo 115.* (e) *Guaricus serm. 1. de Nativ.* (f) *Aug. serm. de Verb. D.*

æterna Sapientia Patris, qui ſcio reprobare malum & eligere bonum, ſum veritas infallibilis, qui non decipio, mihi credite, & mendaces pompas ſæculi, fumos honorum, umbras dignitatum aliquando ſpernite; qui ſe humiliat, is exaltabitur.

Si honores in me conſideretis? (a) *Amictus eram lumine ſicut veſtimento*, pauperibus faſciis & centonibus nunc me ſtringi & cingi ſino, purpuræ ac veſtium oſor: Cinctus eram Angelorum choris, (b) *millia millium mihi miniſtrabant, & decies millia centena millia aſſiſtebant mihi*, nunc binas pecudes admitto ad aulæ meæ obſequia, ut mihi præſtò ſint & famulentur; Regum ac Principum luxum integros greges famulorum poſt ſe trahentium damnans ac exibilans.

Stellæ cœli lucebant mihi cum jucunditate, vocatæ dixerunt adſumus; (c) *laudabant me Aſtra matutina, & jubilabant ante me omnes filii Dei*: (d) his derelictis de cœlo deſcendi, è tantâ majeſtate, è tantâ gloriâ, è tantâ amplitudine ad terras me dejeci, curaturus veſtram ſuperbiam vitæ; & quia cernebam vos ſemper ad honores, ad titulos, dignitates & eminentias aſcenſum tentare, ego deſcendi, quia vos nil aliud, quàm ſplendores, applauſus ac pompam ſæculi ſectari adverti, ego depreſſionem ac contemptum elegi, ac memetipſum exinanivi, ut appaream quaſi nihil, ſine quo tamen factum eſt nihil: *Diſcite ergò, quia mitis ſum, & humilis corde*, erubeſcite eſſe ſuperbi, poſtquam Deus factus eſt humilis.

Alienatur à ſe totus, & obſtupeſcit hanc infinitam demiſſionem & humilitatem S. Cyprianus, (e) dum exclamat: Non me ita tenet univerſi orbis machina, non terrarum varietas, Oceani vaſtitas, ventorum potentia, cœlorum magnitudo, pulchritudo ſiderum, ſed illud ſpectaculum, quo Univerſorum Dominus ità in ſtabulo neglectus deſpectusque procumbit, hoc me rapit attonitum.

Nec dum ſatis à nobis eſt perluſtratum præſepe, nam præter infinitam humilitatem, etiam extremam nobis ob oculos ponit paupertatem Filii Dei. Unde Bernardus ait: (f) Paupertas non inveniebatur in cœlis, porrò in terris abundabat, & neſciebat homo pretium ejus, hanc itaq; filius Dei concupiſcens deſcendit, ut vel ſuâ æſtimatione faceret pretioſiorem.

Excuſſit olim Gregorio XIII. Pontifici Maximo amaras lachrymas extrema paupertas Andreæ Oviedi, Patriarchæ Abyſſinorum, (g) qui ad tantam egeſtatem & pauperiem eſt redactus, ut ſacro oleo delibutis manibus aratrum duceret, ac felicem progreſſum in fide Eccleſiæ ſuæ novel-

(a) *Pſal.* 103. (b) *Daniel. cap.* 7. (c) *Baruch c.* 3. (d) *Job cap.* 38. (e) *S. Cyprianus de Nat. Domini.* (f) *S. Bernard. ſerm.* 1. *de Nativ.* (g) *Cornelius in Actis Apoſt.*

novellæ Romam perſcripturus, non aliam chartam ad manum haberet, niſi ſegmenta quædam parvula reſecta ex breviario, ex quibus filo colligatis Epiſtolam conſarcinare eſt coactus, inops & pauper Patriarcha.

Infinities major extitit paupertas Filii Dei, *qui cum dives eſſet, propter nos pauper factus eſt, ut illius inopiâ ditaremur*, ait S. Ambroſius in Lucam. Exclamavit quidem olim Propheta: (a) *O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus!* At contrarium hodiè experitur parvulus cœlo extorris & in terrâ exul, dum non eſt locus ei in diverſorio, (b) & ſui eum non receperunt: Qui olim dicebat: (c) Meus eſt orbis terræ & plenitudo ejus, nunc ubique excluſus, non habet, ubi caput reclinet.

Admiratur tantam pauperiem S. Bernadus, & lachrymans exclamat: O mira paupertas Chriſti naſcentis! filius paſtoris naſcitur, & ei Cuſſinus ſubſternitur, filius autem Dei naſcitur, & in præſepio ſuper fœnum reclinatur.

Ingredimini quæſo parumper beatam ſpecum, & attento oculo eam conſiderate. Videte parvuli pauperes cunas, ſpectate, ad quam extremitatem Dominum cœli & terræ redegerit ſancta paupertas: Cernite ſuppellectilem curtam, ſemilaceras faſcias; exulat hîc purpura, abeſt ſericum. Antrum eſt pervium ventis, conſperſum nivium floccis; Tapetes ſunt aranearum telæ; Suffitus & odoramenta, fœtor jumentorum; deauratus thronus rigidum præſepe; Aulici bruta; Jacet in fœno nudus, qui volucres plumis, vellere oves, purpurâ flores, virore fœnum veſtit & ornat: Famem patitur, (d) qui cunctis animalibus terræ dat eſcam in tempore ſuo, & implet omne animal benedictione: In tenebris deliteſcit, (e) qui Solem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos; inter jumenta collocatur, cui in cœlo millia millium & decies centena millia miniſtrant. (f)

O pauperem Lazarum ad portas Bethlehemiticas mendicantem micas, quæ cadunt de menſâ Domini: O Prodigum divinum in regione longinquâ peregrinantem, cujus univerſa ſubſtantia eſt diſſipata, qui ex totâ cœleſti hæreditate, uti olim Saladinus, nil niſi laceros pannos monſtrat & oſtentat! O exceſſum paupertatis! (g) O abyſſum inopiæ, verè verè vir es, videns paupertatem tuam, vinctus funibus paupertatis.

Et quid obſecro AA. clamat, quid perorat hæc paupertas Chriſti? niſi *filioli nolite diligere mundum*, nolite coacervare aurum, corradere argentum, piſcari gemmas, præterit enim figura hujus mundi, horretis quidem paupertatem ut leproſam, nauſeatis eam ut infamem & abjectam, ſed neſcitis pretium ejus. Audi-

(a) *Baruch c. 3.* (b) *Jo. c. 1.* (c) *Pſal. 49.* (d) *Pſal. 144.* (e) *Math. c. 5.* (f) *Dan. 7.* (g) *Thren. 3.*

Audite quid de eâ ſentiat Bernardus: (a) Pretioſiores ſunt panni Salvatoris omni purpurâ, & glorioſius præſepe auratis Regum ſoliis, ditior denique Chriſti paupertas cunctis theſauris ſæculi.

O vani Trapezitæ, quid ergò auro inhiatis? cum Rex cœli & terræ pauper ad vos divertat, linquite montibus aurum & argentum, Oceano Margaritas & gemmas, terræ ſuos theſauros: ſpinæ ſunt, quæ vos lancinant & pungunt, ſudes ſunt, oculos veſtros tenebrantes, tineæ ſunt, quæ cor & animam veſtram rodunt & conſumunt. Quid prodeſt vobis univerſum mundum lucrari; animæ verò detrimentum pati? (b) ſtulti & excordes Mercatores, quæ paraſtis cujus erunt? (c) theſaurizate vobis theſauros in cœlis, qui non veteraſcunt: (d) ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?

Audite S. Leonem Papam vos adhortantem: (e) fruſtra appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſumus Chriſti, qui ideo ſe viam dixit eſſe, ut converſatio Magiſtri forma eſſet diſcipulis, & illam humilitatem & paupertatem eligeret ſervus, quam ſecutus eſt Dominus.

Audite Sanctum Auguſtinum ſermone tertio de Sancto Cypriano vos conſolantem: *Audite me ò pauperes, quid non habetis, ſi Deum habetis? omnia: audite me divites, quid habetis, ſi Deum non habetis? Nihil.*

Reſtat nunc ut luſtrato Præſepi, ipſum contueamur parvulum lachrymarum largiſſimo imbre cunas & præſepe perpluentem: exiſtunt hæ lacrymæ divini Oratoris ultima pars eſt Peroratio; potuit quidem loqui de cœlo ut omnes audirent, ſed maluit flere in præſepio ait Theod. (f) penetrabilior exiſtit lacrymarum harum clamor, quàm vox ſanguinis Abel, quæ cœlos ipſos penetravit.

Ecce quomodo amabat eum! (g)

Edicite Auditores cauſam, quid vobis videtur cur plorat adeò amarè Divinus hic Puſio? cur oculi ſalſis ſtagnant lachrymis? Sanctus Bernardinus ſerm. de dignitate animæ hoc ipſum admiratur & ait: Magna profectò res eſt, propter quam Dei ſapientia plorat, ſed quia Deus propriè plorare non poteſt, humanam aſſumpſit naturam, ut plorare poſſet.

An plorat, quia nunc deſtitutus cœleſtium Angelorum choris? è ſinu æterni Patris exterris? An quia locus ei non eſt in diverſorio, & mundus eum non cognovit? An lacrymis iſtis velut ſacro balneo noſtra meditatur abluere ſcelera, Ambroſio adſtipulante lib. 2. in Luc.

 dum

(a) *S. Bernardus ſerm. 4. in vigil Nativ.* (b) *Matth. c. 16.* (c) *Matth. c. 6.* (d) *Pſal. 4.* (e) *S. Leo Papa ſerm. 6. de Nativ. Chriſti.* (f) *Theod. ſerm. 6.* (g) *Joan. 11.*

dum ait: Me infantis Christi vagientis abluit fletus, lacrymæ illius mea delicta lavant. Congruentiæ optimæ; sed meo sensu lachrymarum harum alia non videtur esse causa, nisi bina præsepe Domini circumstantia animalia homines in jumenta transmutata repræsentantia. Hæc enim ubi conspexit parvulus, mox in uberes solutus est lachrymas.

Hæccine dicens sint animæ ad imaginem & similitudinem Dei creatæ? quomodo in irrationalia transière jumenta. Hæccine speciosæ illæ Creaturæ, quibus præparaverã omnia bona cœli & terræ, & quomodo, (a) obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? comparati sunt (propter libidinem suam) (b) jumentis insipientibus & similes facti sunt illis, (c) ac computruerunt in stercore suo.

Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer (d)

Hæc igitur fletus Christi, hæc lacrhymarum ejus causa. Te te deplorat Christus ò libidinose, qui pro momentaneâ voluptate regnum vendis cœlorum & gaudia Paradisi; his lachrymis impuros ardores tuos extinguere cupit. Te te deplorat Christus ò Avare Euclio, cui charius aurum & argentum, quàm infiniti Thesauri cœlorum. Te deplorat Christus ò superbe, qui pro exili umbrâ honoris, & fumo gloriæ terrenæ, gloriam æternam perdis. Te deplorat Christus ò vindicative, qui cum filius Dei esse posses injurias & maledicta remittendo, te filium diaboli constitutis vindictam expetendo. Te deplorat Christus ò Gulose, qui pro cibo & potu velut alter infelix Esau vendis mensam cœlestem & manna absconditum. Jam pro te ò obdurate peccator fundit lachrymas Christus in cunis, in cruce postea sanguinem fusurus.

Effluxit hora, versa est clepsydra, finem habet Concio divini Ecclesiastis. O nobilem Concionem, ò Concionatorem divinum, qui tacendo perorat: qui sine voce docet, sine argumentis movet, sine minis terret, sine precibus flectit.

Perorasti optimè Pusio Divine, nunc fatigatos claude oculos, dormi, quiesce & respira, claudantur oculi tui, ne videant scelera & iniquitates nostras, cor tuum interim vigilet pro nobis.

Utinam divino nostro Ecclesiasti contingat hodie, quod olim concionanti B Francisco Borgiæ accidisse memorat Ribardeneira in vita ejus. Concionabatur aliquando Borgia, postquam relicto sæculo, spretu ducatu Gandiæ ac valere jusso titulo pro regis Catalauniæ in societatem Jesu noviter erat adscriptus: Concionabatur inquam extra urbem in planicie patentissimâ ob incredibilem hominum turbam ex circumjectis oppidis affatim confluentem, cumque nec audiri à remotioribus, imò

(a) *Thren 4.* (b) *Psalm. 48.* (c) *Joel. 1.* (d) *Jeremis capite 2.*

imò nec intelligi poſſet à proximioribus, quod regionis linguam non calleret, fluebant tamen ab oculis omnium magno pietatis ſenſu lachrymæ; interrogati quid lachrymarentur, cum quæ dicerentur non intelligerent. Flemus inquiebant, quia Sanctum Ducem concionantem intuemur.

Quid exiſtimatis Auditores, an non eoſdem motus in animo noſtro excitet flebilis Concio Ducis noſtri parvuli? (a) *cujus principatus ſuper humerum ejus, Ducis, per quem Reges regnant, in cujus fœmore ſcriptum*: (b) *Rex regum, Dominus dominantium.* An non ergò fletus veſtros provocet, dum Concionantem, imò & flentem auditis filium Dei: Eritne poſſibile, ut inveniatur inter Chriſtianos cor ita durum, cujus fibras non penetrent hæ lachrymæ? ſitne pectus adeò axaſperatum, cujus duritiem non emolliant hæ ſacræ & jugiter manantes guttæ? ſitne Magnes aut marmor adeò rigidum, cujus duritiem non frangat benedictus hic liquor. O infortunati peccatores terræ, ſiccine veſtri cauſa plorat Chtiſtus, & vos rideatis? plangat Deus & ſuſpiret, & vos jubiletis? an non lachrymæ hæ provocent & veſtras? dum dicitur vobis: ubi eſt Deus tuus? in ſtabulo, in rigido præſepi, in humilitate & paupertate, in fletu & planctu.

Deus ſit obediens hominibus, & vos refractarii Deo? Deus ſeſe dejiciat, humiliet, & homo ſe exaltet? Deus ſit pauper & inops, & vos ſectemini divitias & theſauros ſæculi? Deus ſit vilibus faſciis cinctus, & vos induti purpurâ & ſerico? Deus ploret & vos exultetis? Non, non dilectiſſimi; ſi adhuc corda veſtra nondum ſunt liquefacta, ut dilectus veſter eſt locutus; ſi nondum ſalſis madetis lachrymis compunctionis, ad minimùm ſit veſtro cordi hodie inciſum & infixum illud Geneſis: (c) *Nolite peccare in puerum, quia caro & frater noſter eſt.*

Tu ſuperbe noli noli peccare in puerum, qui ut te exaltaret, ſeſe humiliavit, qui ut tu aſcenderes in cœlum, ad terras deſcendit, ſuâ demiſſione ſuperbiam tuam curaturus.

Tu Avare noli peccare in puerum, qui pro te totus eſt depauperatus, ut tu cœli poſſideas theſauros.

Tu luxurioſe noli peccare in puerum, qui amaris lacrymis deplorat inſaniam & impuros ardores tuos, parce contaminare & maculare carnem tuam, quam tecum communem habet puſio divinus.

Tu iracunde & vindicative noli peccare in puerum, qui princeps eſt pacis, ac pacem mittere venit in terram, & non gladium; cujus manus non ſagittas tenent, quibus feriat peccatores, ſed faſciis conſtringuntur, conſtringantur ergo & manus tuæ his faſciis, nec inſurgens in fratrem

(a) *Iſaiæ 9.* (b) *Apoc. cap. 19.* (c) *Gen. cap. 42.*

fratrem tuum hostili eas contamines sanguine, Nolite peccare ò peccatores in puerum, quia caro & frater noster est.

Claudit Concionem D. Bernardus cunctos adhortans: (a) *Obsecro vos dilectissimi, considerate diligentius, quantùm fecerit Deus pro vestra exhortatione & salute, ne infructuosus inveniatur in vobis sermo tam vivus & efficax, sermo Christi non tam oris quàm operis*, qui, secundùm Augustinum, filius hominis hodie est factus, ut homo fieret filius Dei: Gloria igitur sit in excelsis Deo, & in terrâ pax hominibus. Ite ergò in pace, & nolite peccare in puerum, quia caro & frater noster est.

(a) *D. Bernardus sermone tertio de Nativitate.*



IN

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.



Vox tua dulcis & Facies tua decora. Cant. c. 2.

AD littora Calabriæ vos hodie ſiſterem AA. niſi aſpera hyemis & cœli inclementia obſiſteret: videretis ibidem admiranda naturæ portenta, quæ fretum Mamertinum, propè urbem Rhegium eo tempore, quo ardentiſſimus Sol æſtu mare Siculum concoquit, oculis hominum ſpectanda ac contemplanda exponit.

Contingit enim, ut momento temporis Theatrum quoddam in vaporoſo aëre ſe repentè aperiat, tantâ rerum varietate adorandum, tanto ſcenarum apparatu pompoſum, ut ſpectatorũ oculos totos extra ſe rapiat.

Nunc se præsentant Castellorum Munimenta, nunc longo ordine superba urbium palatia, nunc amœna hortorum viridaria ac sylvarum gratiosi labyrinthi, jam splendida theatra, mille scenis & columnis, justâ symetria ad regulas opticæ vivis suis coloribus adumbrata, ut nihil simile humana producere videatur posse industria, uti oculatus testis Athanasius Kircherus in arte lucis & umbræ l. 10. p. 2. c. 1. testatur.

Relinquamus spectacula hæc æstati, nobis hodie sufficiet spectare theatrum duplex, unum in valle Josaphati, alterum in cœlesti Solyma; quorum primum est detestandum, alteri applaudendum.

Terrestre est funestum, crudele & barbarum.

Cœlesteècontra lætum, jucundum & beatum.

In terrestri, spectantur pœnæ & tormenta:

In cœlesti triumphi & palmæ.

In terris amarùm strident Judæi dentibus:

In cœlisècontra exultant gaudiis cœlites.

Hic lapidum imbre membra sepeliuntur Levitæ Stephani:

Ibi lapides vertuntur in gemmas, ex quibus diadema capiti imponitur Martyris.

Hic ejicitur Stephanus extra civitatem, ibi aperiuntur cœli portæ ad recipiendum cœli civem.

Hic terra repletur clamoribus:

Ibi cœlum resultat Sanctorum jubilis.

Hic vestes deponuntur & custodiendæ traduntur sævienti Saulo:

Ibi paratur stola gloriæ injicienda coronando Stephano:

Curramus ergò fratres ad spectaculum, admonente nos Petro Damiani Conc. de S. Stephano, ad quod currit, qui exultat ad currendam viam ut Gigas.

Videamus cur cœlestis urbs Jerusalem obviam prodeat Laureato Martyri: quid causæ existat, cur atria cœlorum aperiantur Stephano, cum tamen solum patuerit ostium Joanni Apostolo Apoc. 4.

Varias hujus cœlorum aperturæ causas assignant Ecclesiæ Patres & Doctores.

Mens venerabilis Bedæ est, id ò divisa cœli laquearia, ut Stephano dulcorarent lapides torrentis, roremque cœlestem depluerent, quo Martyr Christi refocillatus, ictus lapidum non reformidaret; hinc in c. 7. Act. apud Glossam ait: *Ad confortandam ergò Martyris patientiam cœlestis Regni janua panditur; & ne homo lapidandus in terra titubet, Deus homo Crucifixus apparet in gloria*: Undè apposite Laurentius Justinianus in festo S. Stephani scribit: non jacentem, non sedentem vidit Dominum, sed stantem, paratum videlicet ad sibi impendendum suffragium: nam teste Gregorio M. hom. 29. sedere est judicantis, stare verò pugnantis vel adjuvantis.

Matta

Matta de Haro in die Cin. ait: in hoc theatro mundi personatum egit S. Stephanus Protomart. qui dum lapidaretur, actam adeò illustrem & tragœdiam adeò insignem exhibuit, ut Monarcha æternus, & tota curia cœlestis, siphariis cœlorum retractis spectatum accurrerit.

Unde discipulus serm. 7. de S. Stephano ait: apertum namque est cœlum, ut Rex gloriæ, & tota cœlestis curia videret militem legitimè certantem.

Doctissimus Benedictus Fidelis dū in suo Paradyso SSrum. Stephanum fortissimo Giganti comparat, & ex Breviario Gallicano eum vocat Martyrem Paradoxum: Ave Martyr Paradoxe, qui inter agmina plebis Judaicæ firmus in Christi fide velut lampas ardentissima apparuisti, persuasum habet, ideò cœlum patefactum, cœlique Inquilinos cum sertis & coronis egressos, ut viderent, simulque coronarent Martyrem hunc Paradoxum ac Athlantem novum, qui plenus gratiâ & fortitudine signa magna & prodigia hactenus fecisset in populo, ac si dicerent: *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

E contra mens Ecclesiæ est, cœlos patefactos Stephano, tanquam Primogenito Christi, qui teste Eusebio Emisseno serm. de S. Stephano fumantem adhuc Dominici victimam sanguinis primus recenti sacrificio passionis honoravit; unde in responsorio 8. Ecclesia canit: Patefactæ sunt januæ cœli Christi Martyri Stephano, qui in numero Martyrum inventus est primus, meritò proindè à Chrysologo serm. 154. vocatus Primicerius Martyrum utpotè qui in cœlos purpuratum Martyrum duxerit exercitum.

Aliter sentit Vaticanæ aulæ Ecclesiastes Albericus in festo S. Stephani dicens: ad illos jactus lapidum aperiuntur januæ cœli, ut dum sanguis Martyris ex hoc miserabili exilio oculos conjicit in amatam Patriam, clarissimi splendores, qui supernè emicant, dissipatis tenebris ei rectam viam monstrent, & ille anticipatâ visione præparatæ coronæ confortetur.

Aliam devotam cogitationem in medium profert Drexelius l. 2. de rect. intent. c. 2. nimirum per patentes cœli valvas prodiisse cœlites obviam Stephano, tanquam negotiatori habenti bonas Margaritas, ac venales lapides pretiosos; protulisse autem Martyrem, non Adamantes, aut Saphiros licitandos, sed duros silices sanguine & cruore suo tinctos ponderandos, qui tamen Curiæ cœlesti placuerunt super omne aurum & topazion.

Ego totus aliter sentio, ac rationem prorsus aliam ex textu Evangelii desumo. Censent communiter DD. Christum in cruce pendentem vicibus 3. validè exclamasse.

Primò quando pro crucifixoribus deprecatus est Patrem: (a) *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Secundò cum totus desolatus ad Patrem

(a) *Luc. cap. 23.*

Patrem clamavit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (a)

Tertio demùm, quando in manus Patris Spiritum consignavit, ac (b) *clamans voce magnâ emisit Spiritum.*

Ad quos clamores excitata est tota Universi natura, cunctaque Elementa sunt commota.

Velum templi scissum est in duas partes: (c) *Terra mota, petræ scissæ, monumenta aperta sunt; corpora Sanctorum, qui dormieran, tsurrexerunt.*

Vidensque Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, (d) *ait, verè hic homo Filius Dei erat.*

Simile quid accidisse mihi videtur in morte D. Stephani; ad clamorem enim morientis: *Domine Jesu suscipe Spiritum meum*, ad insolitam vocem ignoscentis: *Domine ne statuas illis hoc peccatum*, (e) excitatum est subitò universum cœlum, scissæque sunt in duas partes cortinæ aulæ cœlestis, (clavis enim cœlorum est dilectio inimicorum, ait S. Hilarius Arelat. serm. de Stephano) surrexêre cuncti cœlites de sedibus suis, quin & ipse Christus tractus voce tam amabili, è throno assurrexit suo, interrogans: *nunquid hæc vox tua fili mi?* Acclamavit mox universum cœlum certanti Martyri: *sonet vox tua in auribus nostris: vox enim tua dulcis, & facies tua decora:* (f) Non est vox similis hactenus audita in terra nostra; non insonuit deprecatio unquam tam amorosa in cœlo, nisi dum filius Dei in cruce pendens pro inimicis deprecatus est Patrem: (g) *Pater ignosce, illis quia nesciunt quid faciunt.* Echonem ergò amabilem agis Jesu Christi ò Martyr Laureate, dum vocem imitaris filii Dei, ac pro lapidantibus exoras Dominum: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* (h)

Sonet ergò vox tua in auribus cœli & terræ, resonet in cordibus omnium Fidelium amabilis Echo Jesu Christi Crucifixi. Uti Echo communiter cuncta verba non repetit, sed unam aut alteram syllabam resorbet, ita & Stephanus: Christus orans pro inimicis, protulerat verba septem.

Pater. Dimitte. Illis. Quia. Nesciunt. Quid. Faciunt.

Martyr tanquam Echo Christi, sex solùm reponit verba.

Domine. Ne. Statuas. Illis. Hoc. Peccatum.

Et in rei veritate fateri cogimur Stephanum, in vita, in miraculis, in Passione, & in morte Echonem semper extitisse Salvatoris. Mente solùm revolvite & perpendite acta singula inter Christum & Stephanum, & vera hæc esse testabimini.

De Christo memorat Matth. c. 4. *circuibat Jesus totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo, omnisq; turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes. Luc. 6.*

Idem

(a) *Matth. 27.* (b) *Ibidem* (c) *Matth. cap. 27.* (d) *Marci cap. 15.* (e) *Actorum cap. 7.* (f) *Cant. 2.* (g) *Luc. 23.* (h) *Actorum 27.*

Idem de Stephano teſtatur Luc. Act. 6. *Elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu S. & Verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus Diſcipulorum in Jeruſalem valde; multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei; Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo.*

In monte Thabor in conſenſu illo admirando Prophetarum & Apoſtolorum *reſplenduit facies Chriſti ut ſol, & veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Matt. 17.

Idem de Stephano aſſeverat Tertullianus l. de reſurrectione Carnis c. 55. dicens: Stephanum inſtar Chriſti in transfiguratione Angelicum faſtigium induiſſe, alludens ad Concilium Phariſæorum & Summorum Sacerdotum Jeroſolymæ habitum, ubi *intuentes Stephanum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.* Act. 6. quænam autem facies ſit Angeli docet abundè Matt. c. 28.

Dum de Angelo ſedente ad ſepulchrum refert: *Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimentum ejus ſicut nix,* unde præ timore, uti Apoſtoli in Thabor, ita & ad ſepulchrum exterriti ſunt cuſtodes & facti ſunt velut mortui.

Revolvite nunc Concertationes & Diſputationes Phariſæorum cum Chriſto; recogitate inſidias Sadducæorum & Herodianorum, qui diu noctuq; inſidiabantur ei *quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accuſarent eum.* Luc. 11.

Nunc veniebant hæ doloſæ vulpes volentes Signum videre: *Magiſter volumus à te Signum videre.* Matt. 12.

Nunc diſputabant de divortio faciendo Matt. 19: *Si licet homini dimittere Uxorem ſuam quacunq; ex cauſa?*

Jam ſubdolè interrogabant de Cenſu Cæſari dando Matt. 22. *Magiſter quid tibi videtur, licet ne cenſum dare Cæſari, an non?*

Nunc adducebant adulteram judicandam Joan. 8. *Magiſter hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio, in lege autem Moyſis mandavit hujuſmodi lapidare, Tu ergò quid dicis?*

Sed de cunctis inſidiis & laqueis eorum triumphavit Dominus, *ita ut mirarentur in Sermone ejus & dicerent: Unde huic Sapientia hæc & virtutes?* Matth. 13. nemoq; poterat reſiſtere Spiritui, qui loquebatur in eo: Hinc miniſtri ad capiendum eum miſſi, cum rediiſſent ad Pontifices Judæorum, hiq; interrogarent, *quare non adduxiſtis eum?* Joan. 7. fateri coacti ſunt, *nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.*

Idem contingit Act. 7. & Stephano, *ſurrexerunt enim in eum quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum & Cyrenenſium & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Aſia diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere Sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur in eo.* Stephanus enim

confundebat cunctos Adversarios suos, interpretando divinas Scripturas, declarando Oracula Prophetarum, intricata dubia legis solvendo & elucidando: objectiones & errores solidis argumentis elidendo: Jesumq; Salvatorem Mundi ac Promissum Messiam ex legi & Prophetis demonstrando.

Unde August. serm. 6. de S. Stephano, hoc Elogium dat: Stephano Martyri & pulchritudo erat Corporis, & flos ætatis, & eloquentia sermocianantis, & Sapientia sanctissimæ mentis, & operatio Divinitatis.

Combinate nunc Zelum Christi & Stephani, recolligite in cumulum invectivas Amborum in Judæos & Pharisæos, & invenietis iterum, Christum esse Verbum, Stephanum verò Christi Echonem.

Christus verbis acribus aggreditur Judæos & Pharisæos, Matt. 23.

Væ vobis quia claudit is regnum cœlorum ante homines, ipsi non intratis, nec alios sinitis intrare.

Væ vobis, qui circuitis mare & aridam ut faciatis unum Proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ. Matt. 23.

Væ vobis, qui decimatis mentham & anethum, & relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium & misericordiam.

Væ vobis quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia.

Væ deniq; vobis Scribæ & Pharisæi, qui ædificatis sepulchra Prophetarum & ornatis monumenta Justorum; Et vos implete mensuram Patrum Vestrorum serpentes & genimina viperarum, quomodo fugietis à Judicio Gehennæ.

Ad Minutum toni correspondet Echo invectivarum Stephani cum voce Christi.

Actorum 7. Viden quomodo Stephanus sine omni palpo, sine hæsitatione sine ullo pavore & timore impiis Judæis exprobret duritiem cordis eorum: *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis sicut Patres vestri, ita & vos quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis.* Act. 7.

Si veniamus ad accusationes & falsa testimonia quas passus est Christus, inveniemus eas prorsus æquales & similes in Stephano.

Matthæus dum c. 26 eas recenset ait: *Principes autem Sacerdotum & omne Concilium quærebat falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent; novissimè autem venerunt duo falsi testes & dixerunt: Hic dixit, possum destruere templum Dei & post triduum reædificare illud: & iterum blasphemavit quid adhuc egemus testibus, ecce nunc audistis blasphemiam quid vobis videtur? & illi responderunt reus est mortis.*

Jam audite quid Stephano contigerit. Actorum cap. 6. *Submiserunt Principes Sacerdotum viros, qui dicerent se audivisse, eum dicentem Verba blasphemiæ*

phemiæ in Moysen & in Deum, commoverunt itaq; plebem & Seniores & Scribas, & concurrentes rapuerunt eum & adduxerunt in Concilium, & statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum & legem, audivimus enim eum dicentem, quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.

Unde eos consulentes pulchrè introducit August. Serm. de S. Stephano: Venite Consilium faciamus in unum, & confirmemus falsum testimonium, sicut fecimus contra Dominum, exterminemus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur ultra, cur hic stamus? quare tardamus? Si non dubitavimus Magistrum cruciare, ne dubitemus Stephanum lapidare.

Sed uti apud Christum, ita apud Stephanum *non erant Convenientia testimonia*, & mentita est iniquitas sibi.

Si causam & Originem necis Christi ac Stephani consideremus ambæ ex invidia processerunt: patet hoc apertè in Christo: nam cum Pharisæi & Judæi vidissent cœco nato à Christo oculos apertos, leprosos, mundatos, dœmones expulsos, Lazarum à mortuis suscitatum, invidiâ tabescentes interitum ei struere cœperunt, teste Evangelista Joan. 11.

Collegerunt ergò Pontifices & Pharisæi Concilium, & dicebant, quid facimus? quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum, sic omnes credent in eum: Inde à Caipha conclusio facta, *expedit vobis, ut unus moriatur pro populo: ab illa ergo die (pergit textus) cogitarunt, ut interficerent eum.*

Obsecro dicite, quid aliud factum in Stephano? quid eum neci dedit? Videbant Judæi Stephanum plenum gratiâ & fortitudine, plenum gratiâ & Spiritu S. facientem prodigia & signa magna in populo, Virtutes ex Angelica ejus facie resplendebant: hinc dissecabantur cordibus hinc præ invidia stridebant in eum dentibus.

Miracula ergò & prodigia invidiam peperêre, invidia enixa est mortem. Et sicut contra Christum concitata omnis multitudo consurrexit, & ad mortem eum depoposcit, clamans: *Tolle tolle, Crucifige, eduxeruntq; eum in locum Calvariæ, ubi Crucifixerunt eum.* Joan. 19.

Ita audientes Stephanum in Concilio disserentem Luc. Act. 7. *dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum, & exclamantes voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes eum extra Civitatem lapidabant.*

Unde rectè ait Petrus Damiani serm. de S. Stephano: extra portam Civitatis passus est Dominus, extra eam lapidatur & servus exiens ad eum extra Castra & portans similitudinem improperii ejus.

Non viventem solùm sed & morien-

rientem Salvatorem imitatus est Stephanus, uti enim morti proximus Christus, æterno Patri suo animam recommendavit: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*:

Ita similiter Stephanus inter turbines lapidum Spiritum suum in Magistri sui manus consignavit Act. 7. *lapidabant Stephanum invocantem & dicentem: Domine Jesu suscipe Spiritum meum*, ac si diceret teste Augustin. in c. 7. Actor. Tibi vixi, Tibi morior, accipe Spiritum meum de manu, qui oderunt eum, Tu fecisti me Victorem, suscipe me in triumphum, illi persequuntur, Tu suscipe, illi ejiciunt, Tu intromitte, dic Spiritui meo: Intra in gaudium Domini tui.

Et hæc dicens *obdormivit in Domino*, molliori culcitrâ nunquàm usus, quàm lapidibus torrentis Cedron.

O felicem somnum, quem comitatur requies æterna! O beatam requiem, quam coronat gloria infinita!

Suaviorem tamen Echonem non dedit Stephanus, nisi quando imitatus est Verba Salvatoris sui in Cruce pendentis, unde ait Thom. Villanov. Con. 4. de S. Stephano: Quàm bellè, quàm mirè certantis Domini vestigia miles sequitur. Clamat Dominus: *Pater dimitte illis*: Clamat miles: *Domine ne statuas illis hoc peccatum*, & quod valdè mirandum est, qui stando submissè pro se oravit, cum clamore valido pro inimicis genua flexit.

Admiratur hoc vel maximè S. Maximus hom. de S. Stephano dicens: videte affectum Viri beati, videte magnam & admirabilem Charitatem: in persecutione positus erat, & pro persecutoribus supplicabat, atq; in illa lapidum ruina, quando alius obliivisci poterat etiam Charissimos suos, ille Deo commendabat inimicos.

Hinc Fulgentius ait: (a) Ictibus lapidum corpus ejus quatiebant Judæi, at Stephanus in genua cadit, & pro eis orat, contundebatur homo exterior, & supplicabat interior, desiderans orando acquirere, quos nequiebat moriendo convertere.

Hæc attentè considerans Eusebius Emiss. c. 7. ait exclamat non mireris, si audias Stephanum orantem pro inimicis suis lapidantibus in valle, Domine ne statuas illis hoc peccatum; quia didicit Levita à Sacerdote Magno clamante in Cruce: Pater ignosce. Et sicut guttur Jesu felle licet & aceto potatum amaritudinem, & tamen non eructavit, ita & duri silices pectus S. Martyris erga persequentes non durum effecère.

Manet ergò Verbum fuisse Christum, Verbo ut Echonem respondisse Stephanum.

O Felix Echo, quæ inauditâ voce cœlum in admirationem adduxisti, terram verò sacrâ consternatione ad amorem hostium incitasti: felicior longè

(a) *Fulgent Hom. de S. Steph.*

longè illâ, quam Metellus, amorem suum adversus Cæciliam Conjugem demortuam testaturus excitatâ turri rotundâ ex polito marmore in via Appia erexit eo artificio ut clamanti:

Semper honos nomenq; tuum, Laudesq; manebunt:

Mox Echo artificiosè cuncta verba reposuerit ac reiterarit.

Tibi hæc laus debetur O Sanctissime Levita Stephane:

Semper honos Nomenq; tuum Laudesq; manebunt.

Licet linguæ mortalium taceant, Præconia tua duri lapides loquentur.

Plures quidem Echones in Orbe audiuntur, sed nulla, quæ charitatem, dilectionem & mortem Stephani melius exprimat, quàm illa, quæ Ticini auditur in Arce Civitatis, respondet illa ad omnia 13. vicibus, sed ad extremum vocibus sensim tanquam intermortuis.

Ita Constituta fuit Echo S. Stephani, Respondit illa primo Christo clamanti in Cruce cum lachrymis & clamore valido.

CLAMORE *positis autem genibus clamavit voce magnâ.*

℟. AMORE Dum dixit: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.*

℟. ORE. *Lapidabant Stephanum invocantem & dicentem: Domine JEsu suscipe Spiritum meum.*

℟. RE. Dum sensim inter lapides *in pace obdormivit in Domino.*

Vox quidem fuit Joannes *clamantis*, sed Stephanus vox extitit *amantis.*

O quàm bellè dixit Pythagoras: Adoranda est Echo cum flant Venti. Aenigma hoc in Stephano est verificatum: Utiq; flabant Aquilones feroces boreæ & Circii, cum Judæi in Stephanum stridebant dentibus: Utiq; personabant violenti turbines cum lapidum imbre quaterentur membra Stephani, at vicit Stephanus duros silices & Judæorum duriora pectora. Unde mille Præconiis colendus, mille laureis & sertis tanquam triumphator coronandus.

AA. Nil desiderat à Vobis hodie Stephanus, quàm ut & vos Echonem agatis, ut eâdem voce quâ Christus & Stephanus clametis: Domine ne statuas.

Offendit te quidam. Clama ne statuas.

Abstulit bonum nomen: Clama ne statuas.

Clepsit quis pecuniam tuam: Clama ne statuas.

Qui enim teste Chrysostomo in Psal. 41. Clamat adversus inimicos, non edit vocem hominis, sed feræ, sed serpentis.

Si Stephanum imitati fueritis, stabunt & vobis cœli portæ apertæ, audietur vox Filii Dei: *hic est filius meus dilectus*, facies vestræ ut Angelorum fulgebunt, prodibit deniq; tota curia cœlestis vobis obviam, ac

introducet in Aulam Sanctorum, ubi Sancti Omnes Echonem agunt, ac in æternum clamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus:

Claudo & autumo probabiliter idem obtigisse B. Stephano, quod Venerabili Bedæ; hic enim cœcus cum ductus esset ad habendam Concionem, eamq; finiisset: ℞. saxa Amen V. Beda. Ita & clamanti ad Christum: Domine ne statuas illis hoc peccatum, Credo acclamasse omnia dura marmora

Amen Venerabilis Levita.



IN

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.



Hic eſt Diſcipulus Ille, Joan. 21.

INter alia deliria Poëtarum ſomniavit ſtulta Gentilitas Comitia Deorum aliquando â Jove indicta, atq; in iis libertatem cujq; Deorum conceſſam, volucrem ex cunctis volatilibus cœli ſeligendi, quæ impoſterum æternum ſibi foret ſacra. Placuit cunctis Diis conſcriptis liberale indultum ſupremi Numinis, nullâq; interpoſitâ morâ ſacro Dearum Gynæcæo in electione primæ datæ ſunt.

Junoni, poſtquam oculos curioſè hinc inde giraſſet, ex cunctis alitibus placuit oculatus *pavo*.

Palladiècontra arriſit *Noctua*, quæ

 aliis

aliis dormientibus, & ftertentibus vigilat, Symbolum accommodum laboris & ftudiorum.

Venus ad pallaiandam turpitudinem fuam felegit caftam *columbam*.

Latona *Ortygometram* Coturnicum ducem.

Proferpinæ tenebrarum principi placuit lucis ofor *Vefpertilio*.

Saturnus Deorum Senior, gravitate plenam affumpfit *ciconiam*.

Mars èçontra rapacem *Vulturem*.

Apollo candidum & fonorum *Cygnum*.

Mercurio placuit vigilans *Gallus*.

Baccho garrula *pica*.

Neptuno tempeftatum prodroma *alcyon*.

Plutoni niger & crocitans corvus.

Jovi deniq; tanquam fupremo Numini, Regalis *Aquila*, volatu, vifu, aliisquè qualitatibus, cœteris avibus fuperior, juxta verfum illum:

Ales facra Jovis, magnarum gloria rerum,
Inter aves omnes regia fceptra gero.

Auditores! Si juxta interpretationem Hugonis Cardinalis in Pfal. 77. per volatilia cœli intelliguntur fervi Dei pennis virtutum ad cœlum tendentes; fateri cogimur harum facrarum volucrum diverfiffimas fpecies in mundo extitiffe, digniffimas electione, & amore Numinis.

Habuit mundus Pelicanos folitudinis Pfal. 101. *habitantes in defertis torrentium, & in cavernis terræ, manducantes herbas & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum.* Job. c. 30. (Elias. Filii Prophetarum, Anachoretæ in Thebaide.)

Extitère ftruthiones in deferto. Job. 30. Auguftiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, *facientes planctum velut draconum & luctum velut ftruthionum*: quorum lamentabili fono montes & valles refonabant (Pœnitentes primæ Ecclefiæ.)

Inveniebantur Mancodiatæ cœleftes, *quorum converfatio non in terra, fed in cœlis erat.*

Aderant *pafferes folitarii in tecto & Nicticoraces in domicilio*, inter quos fe ipfum David numerat. Pfal. 101.

Aderant Milvus, Hirundo & Ciconia cuftodientes tempus adventus fui. Jerem. 8.

Aderant gemebundi Turtures & caftæ Columbæ, *quarum pennæ deargentatæ, & pofteriora dorfi in pallore auri* Pfal. 67.

Aderant candidi Cygni, Vigiles Gruces, dulces Philomelæ *feptics in die laudem Domini decantantes* Pf. 118. fed in nullâ harum beneplacitum erat Domino; non has elegit Dominus, fed regalem Aquilam Joannem, hic invenit gratiam in oculis Domini, ut effet Difcipulus ille, quem diligebat Jefus.

Præclarum quidem Elogium extitit, quod altiffimus attribuit Noe: *Noe Vir juftus atq; perfectus erat in generationibus fuis.* Gen. 6.

Titulus grandis, quo Patriarcham Abra-

Abraham dignatus eſtGen 17.conſtituens & vocans eum *Patrem multarum Gentium.*

Præconium rarum, quo Moyſen Num.12 honeſtavit,vocans eum *Mitiſſimum Virorum ſuper omnes homines, qui morabuntur in terrâ.*

Laus maxima, quâ David *Vir ſecundùm cor Dei nuncupatus eſt à Domino* Act. 13.

Prærogativa ſingularis,quâ Petrus petra dictus, *adverſus quam portæ inferi non eſſent prævaliture.*

Titulus excellens, quo à Chriſto decoratus eſt Paulus, *Vas electionis nominatus.*

At Titulus Joannis,univerſa cœterorum præconia obſcurat, Elogia delet, Excellentias minuit, Prærogativas annihilat, dum *Diſcipulus, quem diligebat Jeſus, nuncupatur.* Titulus hic adeò eſt nobilis,ut æternus Pater,nec ad ripas Jordanis, nec in monte Thabor nobiliorem dederit Filio ſuo,è nube lucidâ proclamans: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè placui,* Matth. 17. *quæ namque major eſt*, ait Thom. de Vill. Conc.de S. Joann. *aut eſſe poteſt dignitas creaturæ, quàm ut factori ſuo placeat, & diligatur ab eo, qui fecit eam.*

Dum igitur Joannem Aquilam illam ſupremo Numini dilectam extollo,dum nobilem illius Nidum diſcutio, volatum ſublimem examino, viſum acutum deprædico, Pugnam denique animoſam ob oculos ſiſto, per capreas cervosq; camporum vos adjuro,ne in nidulo ſuo recumbentem ſuſcitetis, aut evigilare faciatis dilectum.

Nidum ſtruit Aquila non in turrium faſtigiis utCiconia: non ut Alcyon ad maris littora; non ut ſtruthio inter arenas deſerti:non ut corvus in annoſis quercubus: non ſecus ſemitas viarum ut alauda: ſed in præruptis & inacceſſis petris montium: utq; ſecurus exiſtat nidus à ſerpentibus, lapide Ætite eum firmat ac ſolidat:unde Job c.39.ſcriptum: *Ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum,in petris manet,& in præruptis ſilicibus commoratur,atq; inacceſſis rupibus.*

Si nidum aquilæ noſtræ privilegiatæ contemplari eſt animus, aſcendendum nobis erit in verticem montis Syon; ibidem in cœnaculo illo grandi nidum ſuum conſtruxit in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ ales ſupremi Numinis; dum nimirum in cœnâ illâ ultimâ *ſupra pectus Domini recubuit.*

O nidum ſecurum,fundatum ſupra firmam petram!

O nidum illuſtrem, rarum & præclarum,in quo non ſolùm nobilis Ætites, ſed omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi.

Quod olim finxêre Poetæ,nimirum in gremio Jovis nidificâſſe aquilam, hoc non figmentum eſt, ſed ipſiſſima veritas, ait Petrus Camuſius, Ep. Bellicenſis ſerm. de S. Joanne, utpotè qui in ipſo gremio & ſinu ſummi tonantis nidificavit. Hinc Bernard. ſerm. 3. de Cœna Domini apud Vivien conc. de S. Joann. præ ſtupore exclamat: *Nimis*

 felix

felix & honoratus discipulus ille fuit, qui sui capitis reclinatorium habuit tam venerabile pectus scilicet Jesu Christi. Vix favorem hunc & gratiam capere potest Doctissimus Josephus Mansi in suo promptuario de S.S. unde discursu 3. de S.Joanne ait: *Altius homo exurgere nequit, quàm si pro lectulo quietis illud sibi pectus illiusq; sinum vendicet, de quo dicitur Unigenitus, qui est in sinu Patris.* Joan. c. 1.

O quàm securè in sinu hoc requievit aquila nostra; securiùs utique quàm infelix Samson in sinu Dalilæ suæ:

Suaviùs itaque, quàm Miles ille semimortuus in regiâ sella Alexandri.

Securiùs, quàm Passer ille ab accipitre infestatus, in sinum Xenocratis delapsus.

O quàm verificatum hic fuit, quod Ezech. c. 17. prædictum: *Aquila grandis magnarum alarum venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri.*

Fortunatus quidem extitit Baptista, qui verticem Salvatoris meruit Jordanis tingere lymphâ.

Felix Magdalena, cui pedes Salvatoris lachrymis rigare concessum:

Fortunatus Thomas, cui datum videre loca clavorum, & mittere manum in latus Domini:

At omnibus his felicior Joannes, cui supra pectus Domini nidificare & requiescere concessum.

Inter alias præclaras dotes aquilæ, extollit vel maximè Aldrovandus l. 1. Ornithol. *Volatum illius sublimem*, utpotè quæ nulli volucrum volatu cedit. Consentit Greg. M. l. 9. mor. c. 16. dicens: Aquila alto volatu suspenditur, & annisu perpeti ad æthera libratur: & hic volatus non aliarum volucrum more fit per giros, *sed tramite recto.*

Hinc Homerus aquilam nuncupavit avium Ducem: Claudianus Alitem Jovis: Josephus l. 3. de bello Jud. Avium Regem; nam quod leo est inter quadrupedes, cedrus inter arbores, rosa inter flores, aurum inter metalla, adamas inter gemmas, Sol inter sidera, hoc est inter volucres aquila: unde de ea versus ille Ornithol.

Ales sacra Jovis, magnarum gloria rerum.

Inter aves omnes, regia sceptra ge[illegible]

Laus & præconium hoc tuum e[illegible] ô cœlestis Aquila, quæ non minus f[illegible]lix fuisti in nidificando, quàm ad æthera sursum evolando.

Cedunt tibi palmam ipsæ volucres cœlestes, sex alis licet tectæ, quas tu volatu tuo infra te reliquisti: Doctrina & mens hæc est Augustini, dum serm. 150. de temp. ait: Joannes transcendit nubes, transcendit sidera, transcendit & Angelos, transcendit omnem creaturam, & pervenit ad Verbum, per quod facta sunt omnia.

Augustini dicta roborat S. Proclus orat. 15. dicens: Evangelista Seraphinis ipsis inventus est sublimior, quandoquidem illi corusco concussi fulgore facies velant suas, at hic ex gratia spectans tum generationem, tum substantiam expressit divinam: imò teste Chrysostomo hom. 11. super Joannem, Angeli plura mysteria didicerunt

runt à Joanne, impletumque est illud Apostoli Ephes.3. *Ut innotescat Principatibus & Potestatibus in Cœlestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei.*

Si quis inter sacras cœli volucres gloriosis pennis sese extulit, præstitit id magnus Doctor Gentium Paulus, (a) raptus usque ad tertium cœlum, sed & hic Joanni palmam cedere cogitur: Probationem desumo ex Origene hom. 2. de diversis, in verba illa scio hominem &c. ita Paulum alloquentem: In tertium cœlum raptus es ô beate Paule, sed non es rapt9 super omne cœlum & paradisum: Joannes omne cœlum conditum omnemq; creatum paradisum, hoc est omnem humanam angelicamq; transgreditur naturam. Nam teste Thoma de Villanova serm. de S. Joan. Paulus cum illam gloriam perambulâsset, quæ vidisset interrogatus, nescit dicere, nisi vidi arcana verba, quæ non licet homini loqui; Joannes verò vidit & scripsit. 1. Joan. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiavimus vobis.*

O volatum sublimem! O raptum extaticum, transcendentem cunctas sphæras cœlorum!

Cedit prærogativam hanc Joanni ipse Simon Petrus, qui quidem teste Origene in Matth. apud Joseph. Mansi disc. 4. de S. Joan. Christum Deum & hominem jam factum in temporibus cognoscens & dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi,* altissimè volavit; sed Joannes altiùs illo, qui eundem Christum, Deum de Deo, ante omnia tempora genitum intellexit, dicens: *In Principio erat Verbum.*

Cedunt & Joanni palmam Evangelistæ reliqui, de quibus ait Augustinus tract. 36. in Joann. Cœteri Evangelistæ in terrâ ambulabant, de Divinitate ejus pauca dixerunt: Istum autem quasi piguerit in terrâ ambulare, erexit se non solùm super terram, sed super omnem exercitum Angelorum, & pervenit ad eum, per quem facta sunt omnia dicendo, in principio erat Verbum:

Unde ait S. Gregor. in cap. 1. Ezech. Locus Aquilæ non juxta, sed desuper describitur, quia Joannes super cœteros Evangelistas sese extulit. Hinc S. Germanus ait: Matthæum si vis interpretari, mel est, Marcus vinum, Lucas lac, Joannes oleum ubique supernatans.

Manet igitur inconcussum privilegium Joannis, quòd volatu nemini cedat, cœteris altiùs volet, & quidem tramite recto; unde meritissimo jure symbolum meretur, quo olim usus Carolus Dux Geldriæ, qui aquilam pinxit ultra nubes evolantem, infra quam jacebat globus terræ, adjunctô lemmate, *Altiora peto.*

Non minus Præconium ac Privilegium aquilæ est *perspicax ejus visus,* dum irretortis oculis Solem in suâ sphærâ contemplari non reformidat, cujus tamen radios aliarum volucrum pupillæ in minimo non tolerant; in ô Augustino teste lib. 2. c. 25. de moribus Mani-

(a) *2. Corinth. c. 12.*

Manichæorum, acies oculorum ejus tanti est vigoris, ut cum super maria immobili penna fertur, nec humanis patet intutibus, latentem sub frutice lepusculum, sub fluctibus nantem pisciculum videre comperta sit; confirmante id Husſæo Vate c. 39. *Aquila de rupibus contemplatur escam, & de longè oculi ejus prospiciunt.*

Omni jure deberi hunc titulum Joannni, attestatur Rupertus dicens: Aquila rectè dicitur Joannes, qui Divinitatem irreverberatis oculis contemplari, & adhuc in carne positus in illum Solem apertos oculos figere meruit, ac videre in illo splendore gloriæ; Mysterium æternæ Generationis: *In principio erat Verbum.*

Filii distantiam à Patre ac Personalitatem: *Et Verbum erat apud Deum.*

Verbi cum Patre Consubstantialitatem: *Et Deus erat Verbum.*

Assumptam Humanitatem: *Verbum caro factum est.*

Familiaritatem denique ejus: *Et habitavit in nobis.*

Fuit ergò Joannes Scrutator Majestatis Divinæ, sed non oppressus est à gloriâ. Vidit splendorem paternæ gloriæ, sed oculi ejus non caligaverunt, imò, ut ait B. Petrus Damian. serm. 1. de S. Joan. ad tantum gratiæ provectus est privilegium, ut omnem transgrediens creaturam, illud acie mentis attingeret, quo non Propheta, non Patriarcha, non deniq; quispiam, ab ipso primordio cognoscatur in carne positus aspirâsse.

Magna quidem mysteria viderunt in spiritu Patriarchæ & Prophetæ, sed in comparatione eorum, quæ penetravit oculus aquilæ nostræ, umbra solùm, & ænigma extitere.

Vidit quidem Patriarcha Abraham Gen. 15. *cùm sopor irruisset super eum, & horror magnus, fumantem clibanum,* denotantem servitutem & afflictionem, quo Ægyptii semen ipsius per annos quadringentos erant oppressuri; sed ad calamitosa illa tempora AntiChristi, *quando homines abscondent se in speluncis & in petris montium, quando desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis,* Apoc. c. 9. Oculus Abrahami sese non extendit.

Vidit quidem Moyses Exod. 3. *Visionem illam magnam, Rubum incombustum,* sed non vidit *signum illud magnum, Mulierem amictam Sole ac coronatam stellis,* Apoc. 12. quam Rubus ille designabat.

Vidit quidem Isaias c. 6. *Dominum sedentem super solium excelsum, & Seraphin circumstantes:* sed non vidit ut Joañes *ostium apertum in cælo, & Seniores 24 super thronos suos sedentes circumamictos vestimentis albis, & in capitibus eorum coronas aureas,* Apoc. c. 4. multò minùs in dextra sedentis super thronum, *librum scriptum intus & foris signatum sigillis 7.* Apoc. 5.

Vidit quidem Jeremias *virgam vigilantem, & ollam succensam à facie Aquilonis,* Jerem. 1. sed non vidit *Angelos illos septem, habentes phialas aureas plenas iracundiâ Dei viventis in sæcula sæculorum.* Apoc. 15.

Vidit quidem Zacharias c. 4. *candelabrum aureum totum, & lampadem super*

per caput ejus, & 7. lucernas ejus super illud; at non vidit *septem candelabra illa aurea, & in medio similem filio hominis, in dextera sua habentem stellas 7.* Apoc. 1. *de cujus ore gladius utraque parte acutus exibat.*

Vidit quidem Daniel numerum hebdomadum usque ad occisionem Christi c. 9. sed acies ejus non sese extendit ad diem consumationis sæculi; unde & dictum illi c. 12. vade Daniel, quia clausi sunt signatiq; sermones usque ad præfinitum tempus. At Joanni utpotè Aquilæ privilegiatæ reservatum est hoc & centena alia mysteria, dum in Patmo exulans remotissima & abstrusissima ab oculis hominum est contemplatus: dum ibidem

Vidit *tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* Act. 1. dum

Vidit *diem & horam illam, de qua nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater* Matth. 24.

Reseratus est ibi Joanni *liber ille admirandus, scriptus intus & foris, signatus sigillis septem* Apoc. c. 5. continens omnem seriem futurorum sæculorum.

Ante oculos positum habebat cursum totius Ecclesiæ militantis; videbat aspera exordia, persecutiones crudeles, suborituras hæreses & schismata, oculis cernebat Martyrum triumphos, Virginum coronas, Sanctorum palmas, persecutorum denique condignam ruinam. Unde non immeritò Joannem B. Petrus Dam. serm. 2. de S. Joan. vocare non dubitat centoculum Argum Ecclesiæ Dei.

Palmam proindè Apocalypsi illius cedunt universæ visiones Prophetarum, ac cuncta folia Sibyllarum: nam juxta Hier. Ep. 103. ad Paulinum tot illa Sacramenta habet quot verba; consentit Doctiss. Ribera in proœmio Apocalypsis, dum librum illum nominat mare magnum, plenum procellis & tempestatibus, in quo omnis Sapientia humana devoratur. Nam teste Laurentio Justin. ap. Mansi disc. 9. de Joan. Isto quippè Apostolo Prophetarum nemo de statu militantis Ecclesiæ, de persecutione ipsius, de novissimis temporibus lucidiùs vaticinatus est.

Ter igitur felicem te nuncupo Insulam Patmos, quæ civem vel Incolam meruisti habere Joannem, cui in scapulis & cavernis tuis exulanti millena revelata sunt secreta cœlestia, quorum alii Prophetæ vix umbram conspexêre.

Restat nunc Pugna & Triumphus Aquilæ. Inter Aquilam, Serpentes & Dracones, jurata & continua est pugna, eò quòd venenata hæc monstra aquilæ nidum disturbent, & pullis insidientur: proinde insitâ à natura antipathia generosè in hos surgit aquila, cum eis fortissimè dimicat, nec desistit à pugna, donec palmam referat. Ita sentit Ambros. lib. de Salomone c. 2. dicens: Avis hæc inimica serpentum est, hos adunco rostro & pedibus adoritur, lacerat, ac discerpit.

Qui Hæresiarchas Dracones, Serpentes & genimina viperarum vocat, non errat, sunt etenim, utpotè qui pestilenti suâ doctrinâ simplicium mentes inadvertenter intoxicant, perimunt & occidunt.

Non defuêre Joanni serpentes similes & dracones : Pestifer draco erat Ebion; exitialis coluber Cerinthus; virulentus serpens Marcion, venenata vipera Menander.

Adimebant scelesta hæc capita Christo Divinitatem, negantes, eum ante Mariam extitisse, explodebant distinctionem Personarum in Divinis: pernegabant æqualitatem Filii cum Patre: eructabant ore blasphemo, in Christum tum primùm, cum in Jordane baptizaretur, in specie columbæ descendisse Spiritum Sanctum, avolâsse verò iterum, cùm in cruce pateretur. Mentiebantur deniq; in phantastico solùm corpore Christum in terris conversatum. In has proindè viperas insurrexit Aquila nostra, rostro & unguib9, calamo & verbis generosè cum eis decertans: Non tulêre impetum cœlestis Aquilæ venenosi hi serpentes, sed mox ut clangentem audivere: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, velut fulmine icti fugam iniêre, ac in pestilentes latebras abdidêre se suas.

Negabant quidem scelesti Christum Filium Dei extitisse ab æterno, at probavit id clarè Joannes dicens: *In principio erat Verbum.*

Explodebant distinctionem personarum in divinis, at apertè id remonstravit Joannes: *Et Verbum erat apud Deum.*

Posuêre hi impii duo principia, unum bonum, alterum malum, asserentes à primo creatum quidquid boni, ab altero verò quidquid mali: reprobavit hoc Joannes, & statuit unicum, dum ait: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

Mentiebantur illi Christum in phantastico solùm corpore apparuisse; falsum hoc esse docuit Joannes, dum dixit: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis:* & sic mentita est iniquitas sibi.

Vicisti Aquila, vicisti! fugati sunt per te venenati serpentes & hydræ; eliminâsti & eradicâsti ex Ecclesiæ viridario enascentes hæreses & zizania: doctrinæ tuæ radiis in fugam actæ infames noctuæ & vespertiliones: defendisti novellæ Ecclesiæ pullos non aliter quàm *Aquila super eos volitans, & expandens alas suas* Deut. 32.

Ad te proindè Benjamin à Jesu plurimum dilecte, qui in tanta gratiâ extitisti apud Altissimum, ut in sanctissimo ejus pectore requiescere tibi sit concessum, trepedianter confugimus, opem & patrocinium tuum demissè flagitantes. Eja Aquila cœlestis respice & nos ab alto, ac alas patrocinii tui super afflictissimum Imperium Romanum expande: protege & defende Augustissimum Imperatorem nostrum Leopoldum, ac hostium undiq; insidiis petito, de cœlo succurre, sicuti olim Imperatori Theodosio ad fauces Alpium cum Eugenio tyranno de Imperio dimicanti unà cum Apostolo Philippo candidâ veste indutus equo sublimis in adjutorium venisti, ac inaudito miraculo tela hostium in propria eorum capita retorsisti, ità & nunc ad adjuvandum festina, ac nutantem Imperii fortunam restitue.

Si Boanerges es, & filius tonitrui, *fulgura coruscationem, & dissipa gentes,*

quæ bella volunt; contere brachia eorum, confringe potentias arcuum, scutum, gladium & bellum: gladius eorum intret in corda eorum, & arcus eorum confringatur, Pſ. 36. Eja Aquila ſacra excute alas, acue roſtrum & ungues, ſuſtolle clangorem, nam *(probatur.*

Dum clangunt Aquilæ, vultur pallere

Aut ſi fortè peccata & iniquitates noſtræ ad iracundiam provocaverunt Altiſſimum, ut gladium, noſtro inebriandum ſanguine, in nos ſtrinxerit, Tu iratum Numen interceſſione tua mitiga, & gladium à cervicibus noſtris amove, ſicuti ferrum à Sanctuli cervicibus admiranda virtute avertiſti.

Erat hic Sanctulus Nuſſinæ Eccleſiæ Presbyter, uti Gregor. Dial. lib. 3. c. 37. & Baronius ad an. Chr. 573. teſtantur, miraculis clarus, in perſecutione Longobardorum, quæ totam Italiam vaſtavit, velut ſtella matutina in medio nebulæ. Huic Sanctulo Longobardi die quadam captivum quendam à ſe craſtino interficiendum in cuſtodiam tradidêre, ſed conditione appoſitâ, ut ſi is fugeret, ipſe pro fugitivo hoſtia fieret. Accepit libenter conditionem Vir Dei, ac prædictum captivum in ſuam fidem recepit, quem nocte concubiâ (barbaris ſomno oppreſſis) excitans fugam inire juſſit; repoſuit alter, fugere Pater non poſſum, quia ſi fugerem, pro me ſine dubio gladium recipies: cui mox ſanctus Presbyter ſurge & vade, te Omnipotens Deus eripiat; nam ego in manu ejus ſum, tantum ſolùm in me poterunt facere, quantum ipſe permiſerit: ad verba ergò iſta fugam iniit alter.

Manè adſunt Barbari, captivum repoſcunt; ubi fugiſſe audiunt, mox Virum Dei vincientes educunt in campum gladio feriendum: Sequitur ille velut agnus ad victimam, ſolumq; rogat, ut paucula momenta morituro donent, quibus animam Deo comendet; quod cum conceſſiſſent; in terram proſtratus, exitum ſuum Deo commendabat: cum verò preces protraheret, interfector eum calce pulſans juſſit, ut flexo genu cervicem porrigeret: Surrexit igitur Vir Dei, genuq; flexo cervicem extendit, cumque evaginatum gladium contra ſe micantem cerneret, altâ voce hoc unum exclamavit: Sancte Joannes ſuſcipe illum; cumque lictor elevatâ manu ictum in cervicem intentaret, brachium ſubitò diriguit, ac inflexibile in aëre remanſit: territi hoc facto Longobardi, ne quid deterius ipſis contingeret, ſurgere jubent Sanctulum, omnesq; captivos ei donant, hoc unum rogantes, ut ſocii brachium priſtinæ ſanitati reſtituat, quod ille non aliâ conditione ſpopondit, quàm ſi ſtipulatâ manu promitteret, ſe ferro illo nulli poſteriùm Chriſtianorum nociturum.

Age igitur Diſcipule, quem diligebat Jeſus, audi lamenta congregati populi, attende ſuſpiria, exaudi preces flentium, & manum Altiſſimi flagellis ultricibus in nos armatam patrocinio tuo ſiſte; deprecare pro nobis Dominum, & precibus tuis flagella iracundiæ à nobis averte, & cum Sanctulo, Joannis laudes in æternum cantabimus.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.



Herodes iratus, occidit multos Pueros. Ecclesia.

NOn sola Africa Monstrorum est parens; gignit & monstrosos Thessalia Hippocentauros; habet Ægyptus salaces Faunos & Satyros; parturiunt monoculos Polyphemos, quibus aures ad terram usque pendulæ sunt, arenosa Californiæ littora; progerminant deformes Sterlochos, quibus tres in fronte portentosi oculi, petrosa Arabiæ deserta; An Indum fluvium canino capite & latratu infames habitant Cinocephali; Griphis capite & collo metuenda spectra glaciales producunt Valles Scythicæ. Turpia naturæ excrementa, quibus non alibi quàm

quàm in ventre caput eſt, monſtroſa eructat Taprobana.

Omnia tamen hæc monſtra (quod mirêre) ſuperat ipſa Terra ſancta, terra divino eloquio ita collaudata, tot Elogiis & titulis condecorata: ipſiuſmet filii Dei veſtigiis ſanctificata; Hæc tamen terra in ſuperiori Idumæa monſtrum tale progenuit, cui nec Africa, nec Ægyptus aut Scyticæ rupes ſimile produxêre. Monſtrum id tale eſt, ut quidquid in Crocodilis horrificum, quidquid in Pantheris & Leonibus crudele, quidquid in Baſiliſcis & viperis virulentum, quidquid doloſum in Vulpibus & Simiis, vorax in Lupis & Moloſſis, rabioſum in Tigride, metuendum in Dracone, id omne in Monſtro hoc in unicam congelatum ſit maſſam.

Nec monſtrum hoc aliud eſt quàm ſceleratus Rex Herodes, hominum omnium, quos ſol vidit flagitioſiſſimus, *Magiſter mali, Miniſter doli, iræ artifex, inventor ſceleris, impietatis author, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hoſtis naturæ malus omnibus, ſuis pejor, peſſimus ſibi*, ut eum vocat Chryſologus, (a) quem Chriſtus non ut evaderet, ſed ne videret aufugit.

Utinam Apelles aut Protogenes forem, ac monſtrum hoc ad vivum delineare poſſem; tentabo rudi penicillo quidquid potero, colores mutuabor à Joſepho, Philone, Egeſippo, Euſebio ac Nicephoro Authoribus probatis, qui hujus beſtiæ acta annotarunt. Vos AA. Oratoré interim de belluâ hâc differenté patienter audite:

Non ſimplex monſtrum eſt Herodes, Triformem imitatur Chimæram; cui caput formidandi Leonis, Venter malè olentis Hirci, cauda venenoſi Draconis: Ita & Herodes vulpino incedit capite, in medio Tigris, poſtremo Draco. vulpem facit dolus, Tigridem crudelitas: impietas Draconé. Unde Juglaris de eo ait: (b) niſi cicurari metueres effrenis bellua, Domini ſtabulum non timeres: pecudem te mundus notat ex moribus, ſcelera tua te monſtrum clamant.

Ortum eſt univerſæ Judææ fatale hoc monſtrum Aſcalone ſuperioris Idumeæ civitate, à quâ & nomen Aſcalonita accepit, Patre Antipatro famoſo prædonum Duce, Matre Araba projecti nominis fœmina: inter rapinas & cædes educatus à Patre quidni & rapinis ac cædibus aſueſceret beſtia docilis: hinc 28. añorum circulo bellis continuis intricatus cum Judæis, varia fortuna pugnavit, donec quà armis quà dolis, Romanorum præcipuè adjutus auxilio ac viribus, fraudibus pulſo & neci dato Antigono legitimo Regni hærede, tandem eos ſub jugum miſit per vim & Tyrannidem Rex eorum inauguratus primus ex alienigenis, foris Judæus, intus Atheus.

Unde Cauſnus in aula S. de eo ait: Vulpinâ fraude Judææ regnum invaſit, regnavit ut Tygris, obiit ut Draco. Caput vulpinum Monſtri hujus ſi penitiùs rimemur, nil niſi dolos, fucos ac fraudes in illo depræhendemus. Audite amabo aureum Chryſologũ,

(a) *Chryſologus ſerm. 152.* (b) *Juglar Elog. 9.*

quid de hoc vulpino capite dicat. (a) *Herodes dominabatur arte, calliditate regnabat, imperabat fraude, præsidebat dolis, simulatione pollebat.*

O vulpinum caput, ò verticem fraudulentum! Lisandro utique hâc in arte fallendi usus est Præceptore, cujus effatum illud: si pellis leonina non sufficit, vulpina est adhibenda. Nec alia axiomata monstro huic fuêre, quibus regnum moderabatur, quàm quæ & nostro sæculo Principibus observanda præscribit Machiavellus pessimi metalli homo, redivivus ex Herodiano putri cinere phœnix. Audite binas solùm Magistri hujus monstrosas Maximas.

Princeps qui opes suas augere, (b) ac imperii fines propagare cupit, artem fallendi addiscat necesse est, imagnæ quidem ad fallendum simulationes, dissimulationes, & perjuria sunt adhibenda, sed Princeps, qui ad id natura & arte factus erit, prosperos semper inceptorum exitus habebit: dicere cupit, jura, perjura, affirma, nega, blandire, odi, simula, dissimula, viola fidem, inverte pacta, si rebus conducat tuis. Nec alterum dissimile est Axioma, (c) nullum tibi ex animo amicum existimes, sed neque tu sis ulli, sic tamen comis & blandus esto singulis, quasi neminem non ames: saluta blandè, complectere peramanter; lauda affatim, pollicere largiter, mel profer ore, fel serva in corde: His principiis mundus regitur, his vivitur præceptis, hæc bases regni, poli gubernationis tabulæ legis.

Idem inculcat Tacitus in Jul, Cæs. dicens, Principi nihil injustum quod fructuosum. Quod libet, licet. Jus est in armis. In summa fortuna, id æquius quod validius. Principi sufficit pro ratione voluntas. Quid quid utile, id honestum.

Nunc Auditores videte, quàm bellè in praxin deduxerit binas has Maximas scelerata hæc vulpes. Ecce appellunt Hierosolymá peregrini tres Reges, inquirunt de recens nato Judæorum Rege, (d) *ubi est qui natus est Rex Judæorum?* ad hoc restandum nova cœli producunt phœnomena: *vidimus stellam ejus in Oriente.* (e) Quid faciat vulpecula fallax? surrigit aures, turbatur, stupet, hæret, gannit, & nescio quid secretò secum fremit.

Ergone, inquit, tantum supinus sorbebis probrum? Rege vivo alius in Regia quæratur Princeps? siccine terræ filius mea invadat sceptra, rapiat coronam? spurcissimi fabri filius in stabulo natus Rex adoretur? Reges peregrini in aula regia hos rumores ferant? Conjuratio! Conjuratio ò milites? *Successor instat pellimur: Satelles, ferrum rape, perfunde cunas sanguine;* si vivis diu non vivat ille, cujus á vitâ tuâ pendet ruina.

At! at! replicat cum profundo gemitu fallax monstrum: St. siste anime! quo ruis? Leonis terrent exuviæ, vulpina est assumenda pellis, ira fraudes induat, tutius sævit furor

(a) *Chrysol. serm. 19.* (b) *Machiav. l. 2. Comment c. 13.* (c) *Idem l. 2. disp. de reipub. c. 13. & 14.* (d) *Matth. c,* (e) *Matth. c. 2.*

ror amore tectus, fera cum catulis est capienda. Vultu igitur ad omnem humanitatem composito clàm evocatis magis diligenter explorat tempus stellæ, Concilium Doctorem cogit, rimatur, inquirit, indagat, ubi Christus nasceretur, anxius magis ubi esset, quem mactaret, quàm ubi nasceretur, quem adoraret. Audit regias cunas futuras in Bethlehē, *sic enim scriptum est, & tu Bethlehem terra Juda* (a) *nequaquam minima es in Principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Benè est ruminat secum monstrum, fera jam casses induit; Mox ad reges peregrinos reversus, Ite ite, ait, reges magnanimi, locus patet: *ite in Bethlehem, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* (b) O dolosa vulpes, ô fallax Sinon, mel spirant verba, sed felle plenum est pectus; Syrenem agis, suaviter cantas, sed inte im naufragium paras: verè de te dici potest illud: (c) *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua, duo similia agno, & loquebatur sicut Draco.* En quomodo parricidum animum velat, quàm pulchrè structas insidias occultat, quàm bellè se Sathan in Seraphinum transformat, ut & ego veniens adorem eum; simulabat se adorare velle, quem conabatur occidere, ait Augustinus serm. 2. de Innoc. O detestandum & execrandum caput vulpinum, quod humilitatis pallio dejcidium tegit: O lupum improbum, qui ovinâ amictus pelle cœlesti insidiatur agno. Unde S. Chrysost. hom. 7. super Matth. ait: devotionem promittit, sed gladium acuit, & malitiam cordis depingit colore humilitatis. O vulpem sceleratam!

Consideremus jam corpus hujus monstri quod Tigridum refert. Tigris animal est, quo in orbe sævius & ferocius non existit, quod & natis suis sibique ipsi, si furore exardescat, non parcit. Nec Nero, nec Diocletianus aut Caracalla ita fuit efferus ut Herodes.

Audite obsecro, quid Idumæa hæc Tigris non ausa fuerit. Ut regnum suum stabiliret, Hircanum Judæorum summum Pontificem injustis calumniis circumventum trucidari fecit. An non rabida Tigris? Sanedrim, id est Senatum sacrum 70, Judicum sibi obstantem internecione delevit, unico reservato Baba filio Barach, cui tamen & binos eruit oculos.

An non furibunda Tigris? Quot quot de stirpe Davidica superesse suspicabatur Regios surculos, omnes excidit & eradicavit. An non effera Tigris? nec in suos catulos mitior extitit Herodes.

Pheroram fratrem Germanum, sororem suam Salomen, Mariamnem uxorem propriam gladio feriri jussit, solâ & unicâ suspicione adductus. Hircanum Levirum, quod gratus populo esset dolo in piscina mergendum curavit: Alexandrum & Aristobulum

(a) *Matth. cap. 2.* (b) *Matth. cap. 2.* (c) *Apoc. 13.*

lum Mariamnes extinctæ filios Româ reduces, ne fortè Matris mortem ulciscerentur regni insimulatos laqueo necari præcepit. Antipatrum denique ex filiis suis natu maximum, regni jam hæredem declaratum in vincula conjecit, ac quinque diebus antequam exspiraret, quod de Patris obitu juveniliter exultantem audisset, occidi mandavit.

An non furibunda Tigris? hinc meritò vox illa Augusto erupit: *malle se esse Herodis porcum, quàm Filium.* Nec fuso tanto sanguine saturata sitis furibundæ Tigridis. Morti enim proximus, cùm obitum suum nulli flebilem, omnibus verò plausibilem futurum ominaretur, ut lugubrem & lamentabilem redderet, cunctos nobilium filios in circo Hierichuntis inclusos, simul ac exspirasset, telis & jaculis extingui jussit, crudeli ad id & abominando vesanæ Tigridis testamento.

O monstrum crudele & barbarum! ò ferocem Tigridem, ò belluam metuendam! hinc optimè Bosquier in festo Innocentum ait: Nullius Curiæ illius propè angulus proprii sanguinis fusi maculâ vacavit, ferus in uxorem, truculentus in fratres, crudelis in liberos, sævus in omnes. Simile prorsus monstrum Caligulæ, qui universo populo Judaico unicam cervicem optabat, quam unico ictu demeteret.

Auditores! inspeximus hactenus vulpinum caput Herodis, ac Idumeæ Tigridis ventrem, consideremus & nunc postremâ parte Draconem. Nec malè Herodes Draco dicitur, cum & ipsum nomen ejus Herodes id evincat, juxta Syriacam interpretationem, nil aliud significans, quàm ignitum Draconem; Bosquier teste in Legato Apostolico cap. 1. quid verò per Draconem designetur in Scriptura, annotavit optimè Le Blanc. in p. 73. dum in verba illa contribulasti capita Draconum, in aquis ait Draconem esse typum omnium scelerum & vitiorum.

Adstipulatur illi Greg. 20. Moral. cap. 29. dicens: Quid Draconum nomine nisi impiorum hominum vita designatur? Hinc Rex Pharao Ezech. 29. ob superbiam & impietatem Draco magnus vocatur.

Sceleratam vitam si desideretis venenati Draconis nostri, eam in breve compendium & Epitomen redegit aureus Chrysologus serm. 127. dum ait: *Herodes ipse est, qui propbanavit templum, Sacerdotium sustulit, temeravit regnum; Herodes sicarius in cives, in nobiles latro, in domesticos prædo, interemptor plebis, occisor filiorum, homicida in extraneos, in proprios parricida, inebrians cruore terram.* An non Draco impietate magnus? sceleribus grandis, crudelitate abominandus? cui ad summam crudelitatem & impietatem præter Deicidium nihil abfuit sceleris, voluntas tamen non defuit. An non pestilens Draco, qui cùm videret sibi a Magis illusum, iratus furore grandi tale quidpiam designavit in Palestina, quale Niloticus

ticus ille Draco Pharao Rex Ægypti patravit, dum in Bethlehem & finibus ejus *occidit omnes pueros, qui erant à bimatu & infra*, (a) parvulorum quatuordecim millia, uti annotavit Salmeron.

An non Cristatus Draco, dum non contentus Dei filium persequi in terris, etiam in cœlum extendit brachium suum, ex cœlesti throno ipsum etiam deturbaturus, dum adulatione impiâ Romanis Principibus profana templa & impias Aras velut terrestribus Diis erexit ac consecravit.

An non truculentus Draco? cujus cor impium nec audita prodigia, nec denarrata miracula, non in hyeme florentes Engaddi vineæ, non nova cœli phœnomena, non Sabæorum authoritas, non interpretum S. Scripturæ explanatio, nec temporibus congruentes prophetiæ emollire potuerunt, quò minus virulentam vindictam spiraret, ac filium Dei recens natum ad necem & lanienam destinaret.

O feram crudelem! monstrum informe! feralem belluam! infamem bestiam! portentosum dedecus terræ! At tandem ferale hoc (pœnas impietatis exigente Numine) in casses promeritas decidit & fatales, Divinâ enim Nemesi urgente, (b) ultione Numinis percussus, immedicabilem passus est ægritudinem; non aliter ac ferox bellua capta in scrobe, ita hic in lecto rugiebat ac ringebatur, ait Haimo Ep. Halberst. hom. de Innocent. cotpus ejus febri ac lento calore totum torrebatur extrinsecus, venter supra modum distendebatur hydrope, verenda scatebant innumeris vermibus, tam fœtens ac pestilens erat anhelitus oris ejus, ut nemo accedere præsumeret: spasmus cum summo dolore contrahebat nervos, ac universa membra; fames & sitis fatigabat eum intolerabilis, dolores cholici ac tormenta viscerum noctes ac dies reddebant pervigiles ac acerbos, hinc factum, ut dolorum impatiens, scelera sceleribus cumulans, fatalem tandem in seipsum cultrum stringens, sceleratæ animæ viâ rectà ad tartara descendendi fecerit: & ut Jugalaris Elog. 14. ait, mortuus mundum magno monstro, aulam magno propudio liberavit. Epitaphium sceleribus & impietatibus ipsius dignum ei posuit Jacobus Salianus ita scribens.

Hic situs est Herodes Antipatri filius, Antipæ nepos, ortu Idumæus, educatione ascalonita, cognomento Magnus, vitiis, crudelitate in homines, impietate in Deum maximus Quiescit nunc in pice & stagno ignis & sulphuris. Tu viator despue simulachrum & abi.

Depinxi aliquantulum nigro carbone triforme hoc monstrum toti orbi perhorrendum. Utinam autem hoc Aevo Christiano similia monstra & informes Chimæras non aspiceret aut aleret mundus. Edicite Auditores, an non unum oculum habent, qui terrena solùm sapiunt, cœ-

Hhh cœlestium

(a) *Cornelius in c. 2. Matth.* (b) *Joseph. l. 17. cap. 8.*

lestium toti immemores? an non alii caput in ventre habent repositum, quorum Deus venter est & gloria in confusione? an non aliis caput est caninum, quod die noctuque per detractiones non cessat allatrare proximos. An non & Centauri existunt inter Christianos, exteriori forma homines, moribus autem bestiæ? Quot sunt, qui capite vulpino incedunt? qui habent cornua similia agno, & loquuntur ut Draco? qui jurant, perjurant, fingunt, simulant, Amicos se vendunt, donec proximũ sternant, quorum os stagnum mendaciorum, falsitatum abyssus, fraudium & dolorum officina; qui dicunt Euge, euge, & annuunt oculis, ovinâ pelle incedunt, intus autem sunt lupi rapaces. Ah quot furibundæ inveniuntur Tigrides, quæ minimo verbo irritatæ, mox omnia discerpere tentant, furiosæ planè Tigrides, quæ nonnisi proximi sanguine saginantur, quibus nulla musica jucunda, nisi lamentabilis vox proximi intonet, quibus nullus cibus sapidus, nisi proximi intinctus sanguine, quibus nulla nova grata, nisi ruinam & interitum proximi contineant. Quot monstrosos & virulentos dracones est invenire, qui cauda sua venenata, perversa inquam societate, exemplo scelerato, dogmatibus perversis & malitiosis tertiam partem stellarum, id est innocentium animarum de cœlo, de innocentiâ in barathrum trahunt infernalis abyssi.

Non homines sunt tales, sed informia monstra: Hinc pulchrè in similes invehitur S. Chrysost. hom. 213. ad Pop. Antioch. neque enim homo es, ait hic Doctor, cum tanquam asinus recalcitres, lascivias ut taurus, tanquam equus post mulieres hinnias, ventri tanquam ursus indulgeas: ut mulus carnem impingues, malum memoria retineas ut camelus rapias ut lupus, ut serpens irascaris, ferias ut scorpius, subdolus sis ut vulpes, quomodo igitur te hominem commemorare valeam, cum talis in te nulla naturæ intuear signa?

Danielis 4. de Nabuchodonosore refert Scriptura, *cor feræ ei datum*, mutatumque in bestiam ob superbiam, post 7. tamen annos agnovisse omnipotentem Deum, ac pristinam formam iterum recepisse.

Utinam hæc monstra, quæ non per septennium, sed 10. 20. 30. annos jam computruêre in stercore suo ad formam etiam pristinam reducerentur.

Utinam adesset magnus Armeniæ Episcopus Gregorius, ac impuris & luxuriosis porcis formam pristinam restitueret, sicut restituit Teridati regi Armeniæ, qui insaniens amore impuro in Ripsimem & Gaianam Deo dicatas Virgines justo judicio Dei in porcum est transformatus. (a)

Utinam adesset S. Patricius & omnes Politicos hujus temporis restitueret in formam pristinam fidelium Christianorum, sicut restituit frauden-

(a) *Metaphrastes 30. Septemb.*

duitentum & verſutū Cereticum nomine, qui ob fraudes & dolos in vulpem prius erat transformatus. Niremb. lib. 2. de mirab. Europæ.

Utinam S, Hilarion diſcipulus magni Antonii præſtò foret, ac cruce factâ reſtitueret omnes eos, qui ſimiles facti ſunt equo & mulo, ſicut reſtituit filiam illam per præſtigias in Equam transformatam.

Mortui ſunt hi: qnomodo ergò deperditam formam reſtituemus? docet id nos ſuo exemplo Andreas Corſinus, qui Eccleſiam Carmelitarum intrans ex lupo, quod mater de ipſo ſomniarat, in innocentem mox agnum eſt transmutatus.

Ibi, ibi ex lupis fiunt oves, ex hircis agni, pœnitentia unicum eſt emplaſtrum, quod amiſſam gratiam & formam reſtituere poteſt.

Exemplo ſuo id docuit Petrus nobilis ille Dynaſta Cæſar-Auguſtanus, qui nigrior Orco velut monſtrum quoddam Eccleſiam ingreſſus? cunctis formam ejus fugientibus, precibus tamen S. Dominici ac lachrymis fuſis belluinam formam exuit, ac per pœnitentiam Deo, ſibi ac Eccleſiæ eſt reſtitutus.

Sola ſola pœnitentia primam innocentiam, formam & nitorem amiſſum reſtituit, quam qui cum Herode non agit, non aliud Epitaphium, quàm quod Herodes, hæreditare meretur: Hic ſitus eſt N. qui 20. annis in volutabro ſcelerum velut porcus jacuit, jam quieſcit in pice & ſulphure, tu viator ſepulchrum inſputa.



IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.



Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Actorum 1.

SAtiate tandem vos mundo amatores mundi! Gaudete & exultate, exceſſit enim rigidus ille mundi Magiſter, qui vitam veſtram toties carpſit, tot centena væ in capita veſtra fulminavit, ſemper contrarius operibus veſtris. Exceſſit ille, *nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*: (a) Terra, quam calcat pes veſter, nunc veſtra eſt, cœlum cœli Domino.

Gaudete & vos ambitioſæ aquilæ, *aſcendit*

(a) *Actorum capite 1.*

(a) *ascendit Deus in Jubilo & Dominus in voce tubæ*, triumphali pompâ supra astra vectus est, qui gloriæ vestræ odiosas semper posuit metas, qui velut noctuas in tenebris vos delitescere voluit, gloriosam lucem honoris vobis invidens: purpuræ extremus osor nunc (b) *ascendit amictus Lumine sicut vestimento*: Scandite jam dignitatum gradus, evolate gloriosi Icari, triumphate generosi Phaethontes.

Et vos viri Divitiarum requiescite: requiem tandem concessit vobis Dominus, Terras reliquit, qui divitias vestras tanto sudore comparatas adeò suggillavit, (c) *ascendens enim in Altum captivam duxit captivitatem*, hostium spoliis felix, Dives & beatus: colite nunc terras, eviscerate montes, corrodite aurum, coacervate argentum, dicite, (d) anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede; bibe & epulare.

Exultate & vos Vindicativi, abijt enim in Regionem longinquam, qui ad illatas injurias vos insensibiles statuas, fungos & peripsemata Mundi voluit; viget & floret nunc ite... Talionis, (e) *Oculum pro oculo, dentem pro dente*: *Tenete & suffocate adversarios vestros, mittite in carcerem, donec reddant novissimum quadrantem.*

Jubilate & vos Veneris Alumni, jam *licet quod libet*; Dominus in cœlo, (f) *Nubes latibulum ejus nec nostra considerat.* Utimini ad placitum creaturis, (g) *coronate vos rosis, antequàm marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat Luxuria vestra*, explete desideria, satiate affectus, (h) *non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.*

Et vos bibulæ Bacchi spongiæ, vino madidi utres, vivite læti; excessit ille, qui etiam recumbentibus in mensa Undecim Apostolis, totus importunus exprobravit incredulitatem eorum: (i) bibite nunc & inebriamini, gaudete, saltate, cantate ubiq; vestræ signa linquite lætitiæ.

DIES HI vestri sunt, UNICUM diem sibi reservavit Deus, cœteros ad libitum vobis concessit: At scitote Dies ille Domini unicus, gaudia vestra vertet in lamenta, Rosas mutabit in spinas, aurum & argentum rediget in pulverem, gemmas & margaritas in nihilum, risum in fletum, tripudia in planctum, exultationem in æterna lamenta; (k) *Dies iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies ultionis, quo evaginabit gladium suum ut fulgur*, (l) *quo sagittas suas peccatorum inebriabit sanguine*, dies, quo non ut mansuetus Pater, sed ut rigidus Judex comparebit, dies, quo non ut innocens agnus obmutescet, sed ut Leo formidandus rugiet, dies, quo

(a) *Psalmo 46.* (b) *Psalmo 103.* (c) *Psalm. 67.* (d) *Luc cap. 12.* (e) *Levitici. c 24. Math. c. 18.* (f) *Job. 22.* (g) *Sap. 2.* (h) *Psal. 93.* (i) *Marc. c. 16.* (k) *Sophon. cap. 1.* (l) *Deut. 32.*

quo Portæ misericordiæ æternum claudentur, (a) *sic veniet quemadmodum eum vidistis euntem in cœlum.*

AA. Conabor ego hodie Veniâ vestrâ diem hunc vobis nonnihil adumbrare: sed scitote, quod quid quid dixero, metuendæ hujus diei solùm Umbra erit. Depingam igitur Auroram ejus, describam Meridiem, Cavete ne nox illa tremenda vos occupet.

Ah cœli! quàm horribilis est dies hæc in ortu suo! (b) *obscurant eam tenebræ, occupat eam caligo*, Stellæ cœli, & splendor earum non expandunt lumen suum, obtenebratur Sol in ortu, Luna convertitur in sanguinem; Stellæ de cœlo cadunt, formidandi apparent Cometæ, extimescenda hinc inde in cœlo cadunt meteora; personant venti lugubri gemitu, murmurat Cœlum formidando tonitru, (c) virtutes Cœlorum commoventur & agonizant.

O Augurium terribile; ò prognosticum metuendum! Ah quid peccastis creaturæ delectabiles? Ain lucidissima mundi lampas, edissere Luna noctis decor, Vosq; firmamenti scintillantes Carbunculi causam nobis reddite: an in vos quoq; Judicis tremenda ira desæviet? an Deus, qui Creationem mundi à lumine exorsus, illius ruinam ab ejusdem subtractione auspicari tentat? an tota mundi machina dissolvetur.

Eheu respondet cœli oculus: Lugeo peccatorem miserum & cœcum, & quia me participem feci scelerum, quæ in conspectu meo commisit, nec retraxi radios meos, dum offendebatur Creator meus, ideò pœnitens cilicio induor, peploq; tenebroso lumen & radios meos obvelo, lugubri hoc schemate etiam peccatorem provocans ad pœnitendum.

Respondet Luna, rubore tota suffundor, sanguineas pro rore spargens lachrymas, dum abominanda scelera, quæ sub nocturno meo regimine patrata homines æternùm sepulta crediderunt, hodie in conspectu Orbis propalare cogor: (d) *Revelabunt enim Cœli iniquitatem eorum, & terra consurget adversus eos.* Respondet deniq; stellarū turbatus Chorus latebras quærimus, ut abscondamus nos à tremendo vultu irati Judicis, fœtor & pestilens exhalatio peccatorum, lumen nostrum obfuscat, ac è sede & statione firmamenti depellit; Personant interim venti tristi gemitu, ut mortalium eliciant suspiria, murmurat Cœlum gravi tonitru, ut cor peccatoris concutiat metu, virtutes Cœlorum commoventur, ut terreum hominis commoveant pectus.

Væ væ tibi Munde! metuo enim, ne aurora hæc fatalis secundùm mentem Hieronymi magis formidanda, (e) post se spectacula trahat. Nec fallor: Audistisne horribiles illos fremitus, stridores tremēdos, ac tumultuosos fragores? exasperatum mare est, quod

(a) *Actor. c. 1.* (b) *Isa. 13.* (c) *Luc. 21.* (d) *Job. c. 20.* (e) *S. Hieron. cit. à S. Bonavent. in diæta salutis Tit. 9.*

quod cubitos 40. supra celsissimos montes veluti murus formidabilis, cum terrore totius Universi stat erectum mox impetu summo in imam abissum relapsurum. (a) *An non arescent homines præ confusione sonitus maris & fluctuum ejus.*

Auditisne boatus illos terrificos, mugitus immanes, latratus horrendos? Monstra sunt marina, portentosæ Balænæ Delphinis mixtæ, quæ formidandis sublatis capitibus, per ingentes siphones, torrentes quosdam undarum in auras egurgitant, & ferali murmure interitum sibi & orbi denuntiant. Quis non extimescat?

Cernite ibi in arboribus, turribus & tectis congregata universa volatilia cœli, regales aquilas, superbos pavones, Candidos cygnos, rapaces vultures, suaves luscinias, gemebundos turtures, en ut pennas demittunt, & ore quærulo pro cantu in lachrymosos erumpunt sonos, funebremq; sibi & mundo concinunt næniam: quis non plangentibus adgemat?

Ex alterâ parte, spectate in unum congregata animantia terræ, plena formidine & tremore: concidunt præ metu turriti Elephantes; Leones ad nihil aliud pavidi, semi corruunt mortui; stant stupefactæ tigrides; fugam intentant timidi cervi; balant lamentantes oviculæ; abstinent cibo, abstinent potu, funestam Orbis Catastrophen exspectantes. Cujus cor non palpitet?

Elevate ulterius oculos & spectate umbrosas arbores, elatos Cedros Libani, robustas quercus Basan, virides Lauros, triumphales Palmas, pingues Olivas, Platanos, Terebinthos, Cypressos, & universa germina terræ, en ut ventorum procelloso turbine concussæ tristes demittunt ramos, en ut præ metu fatiscunt, aguntq; violentas rimas, non balsama sudant, non fructus non baccas progerminant, sed stupente naturâ ex universis Poris rubicundum stillant cruorem; cujus sanguis non congeletur?

At hæc Prodromi solùm sunt dolorum, Prologi Tragœdiarum! Heu nos! Quid agitis ò Cœli, ò Astra! num in ruinam nostram simùl conjurastis? (b) Eheu jam *ignis ante Judicem præcedit, ut inflammet in circuitu inimicos ejus*: exæstuant velut bullientes fornaces Aethna, Hecla, Vesuvius, Ternate, centeniq; alii Sulphure & incendiis famosi montes; Vasto hi gurgite eructant torrentes igneos, quibus velut ignito diluvio totum incinerant Orbem: Montes sicut cera liquescunt, volant per aërem ardentes flammæ, discurrunt mugientia tonitua ab Oriente in Occidentem, horrido terræ motu superba ruunt Palatia, sternuntur fulmine cœlo proximæ turres, rediguntur in cineres famosæ Urbes, colliduntur ad invicem Petræ, in 4. partes dissiliunt

(a) *Luc. c. 21.* (b) *Psal. 96.*

liunt lapides, montes & colles terræ æquantur, aurum, argentum, gemmæ & Margaritæ in ſpumas abeunt & cineres; non remanet lapis ſuper lapidem. (a)

Vah! ubi nunc mundus? ubi urbes? ubi regna? ubi ſceptra, ubi Coronæ? tranſierunt omnia tanquam umbra. (b) Ah miſeri filii Adam, videte nunc Idolum veſtrum, quod ita âdoraſtis, cui genua curvaſtis; videte mundum, quem ita adamaſtis, cui ita ardenter inſerviiſtis, pro quo cœlum perdidiſtis: Ecce cinis, favilla buſtum & nihil: (c) *cecidit Babylon cecidit!* O deploranda facies! O theatrum funeſtum! O excidium miſerandum!

Exite nunc de cavernis veſtris mortales, linquite ſpelæa, ad quæ confugiſtis, non abſcondent illa vos à facie venturi Judicis, ſepulchra & tumulos vobis potius effodite, nam ignis, quò mundum jam ardere & conflagrare cernitis, paulò poſt terram ipſam & vos in favillam redigет, redivivos tamen poſtea ad meridiem diei hujus magnæ in vallem Joſaphat fatalis citabit tuba.

Adeſt Meridies Magnæ Diei Domini, rutilat in cœlo velut Sol ſignum filii hominis, tuba tremenda inſonat: *Surgite mortui, venite ad judicium.* Evigilans Deus, qui dormire peccatoribus hactenus videbatur, (d) accingit ſe ad judicium, ut reddat unicuiq; ſecundùm opera ejus: Tota vallis Joſaphati repentè fit tragicum Divinæ Juſtitiæ theatrum: adeſt in nubibus Cœli Judex tremendus cum virtute multa & majeſtate; (e) adſtat à dextris Filii Regina cœli, candido ſtipata Virginum Choro, cingunt latus ſiniſtrum ceu Aſſeſſores, mixti Prophetis & Patriarchis Judices Orbis Apoſtoli, circumſtat cum Palmis laureatus Martyrum exercitus, cæteraq; multitudo Militiæ cœleſtis.

Formidabiles interim Libri rationum aperiuntur, (f) libri non atramento, ſed veſtigiis delictorum, & flagitiorum inquinamento ſcripti, in quibus quidquid ſcelerum hactenus Tyaræ Pontificum, Coronæ Regum, Paludamenta Principum, Inſignia Nobilium, Caſſides Militum, Mitræ Abbatum, Pilei Eccleſiaſticorum, Caputia Religioſorum, Vela Monialium, doloſi vultus Politicorum, fraudulentæ pennæ Juriſtarum, fucatus Zelus Vindicativorum, mendaces frontes adulterarum, ſimulatæ virtutes Hypocritarum operuêre mundo, id omne ſiparîo nunc remoto toti pateſcet Orbi. (g) *Scrutabitur Dominus Jeruſalem in Lucernis.*

O Miſerandam Conditionem Peccatorum! O Confuſionem extremam! O Pudorem morte acerbiorem! fruſtra cavernas quæritis, fruſtra montibus dicitis cadite ſuper nos, (h) invanium irati Judicis vultum ſubterfugere tentatis: Agite ſiſtite vos

(a) *Marci.* 13. (b) *Sap. c.* 5. (c) *Apoc c.* 14. (d) *Math. c.* 16. (e) *Luc. c.* 21. (f) *Ambroſius in Pſal.* 1. (g) *Sophon. c.* 1. (h) *Lucæ. c.* 23.

vos in valle Josaphat, hic Judex vos in sede Majestatis suæ exspectat: (a) *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Domini nostri JEsu Christi.*

Adeste vos Prima Ecclesiæ capita è nubibus clamabit metuendus Judex; adeste purpurati Patres, infulati Pontifices, Mitrati Abbates, Cathedrales Canonici, Priores, Præpositi, Religiosi Fratres, cœteriq; Animarum Pastores, vos sacro oleo estis delibuti vobis Gubernacnla Ecclesiarum à me sunt tradita, vestræ curæ oves meæ commissæ, vos constitui Janitores Cœli, Judices conscientiarum, (b) vobis tradidi claves regni cœlorum, potestatem ligandi atq; ligata solvendi: Vos in alto posui ut luceat Lux vestra coram hominibus, (c) ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem meum, qui in cœlis est.

Reddite rationem villicationis vestræ: (d) Ubi tot millenæ oves meæ, quas vestrâ supinâ desidiâ infernalis rapuit lupus? Claves vobis tradidi ad cœlos reserandos, & ecce portas tartari subditis aperuistis, aliter docuistis, aliter vixistis: Calices & Peda vobis erant aurea, vos interim sacerdotes lignei: præesse volebatis, sed non prodesse: Meliores Venatores ferarum, quàm Piscatores animarum: Ubi Patrimonium Petri? ubi pingues reditus? ubi collectæ decimæ? His ad pompam, ad fastum, ad amicos ditandos, ad - - - ornandas & vestieandas abusi estis, pauperum immemores: Ubi bona exempla? ubi virtutum specimina? ubi puritas, ubi castimonia? (e) *Melius erat vobis, si lapis molaris appensus ad collum vos in profundum Maris præcipitasset*, quàm ut ob vestra scandala tot insontes oviculæ in interitum corruerint. Optimè de vobis Gregorius in Pastorali dixit: ***Prælati plus occidunt exemplo quàm gladio.*** Per ambitiones & palliatas Simonias ad Infulas, ad Canonicatus, ad præbendas ascendistis; Scandalis vestris, discordiis & contentionibus bello & Hæresi viam aperuistis: major vobis domorum quàm templorum cura, major scyphorum quàm Calicum Ecclesiæ Custodia, major crumenarum, quàm animarum vigilia; muti canes non valentes latrare, pro domo Dei non vigilâstis, errantes non correxistis, famelicos pane cœli & Verbo Dei non refecistis, (f) quod infirmum erat non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, quod perierat non quæsiistis. *Causa vestra judicata est, sanguinem ovium mearum de manu vestra requiram.*

Adeste Coronata Capita, Reges & Cæsares, reddite rationem Villicationis vestræ: Ego vobis regna contuli, tradidi imperia, addidi provincias, imposui diademata: His minimè contenti, Nomen vestrum & Monarchiam illicitis mediis, coloratis prætextibus, insontum excidio ampliare

(a) *2. Corinth. cap 5.* (b) *Math. c. 16.* (c) *Math. c. 5.* (d) *Lucæ. c. 16.* (e) *Luc. c. 17.* (f) *Ezech. c. 34.*

ampliare ſtuduiſtis; pro minimo terræ puncto, Mare, Terram, aërem inquietaſtis: Mare oneraſtis navibus, Terram vexaſtis militibus, aërem tormentis inquietaſtis. Quot bella ob punctum honoris ſuſcitaſtis? ob veſtram ambitionem regna everſa, Provinciæ devaſtatæ, Civitates ſuccenſæ, templa terræ æquata, Altaria diruta, Imagines truncatæ, Virgines defloratæ, populus exactionibus depauperatus, ſanguis innoxius, fuſus, multi milliones ad tartara detruſi. Aulæ veſtræ Officinæ erant ſcelerum, abyſſus vitiorum, ibi quidquid libuit, licuit: Pudor, Fides, Veritas exulare juſſæ. Conſiliarii veſtri proditores Legis Dei, qui non aliâ vobis lege vivendum ſuadebant, quàm eâ, quam maledicta ratio Status ac Regulæ Machiavelli præſcripſiſſent. Hinc nomen Veſtrum aliorum interitu propagaſtis, purpuram innocenti ſanguine coloraſtis, pro terrenis Diis coli & adorari vos permiſiſtis, cœli immemores, in terrâ paradiſum veſtrum quæſiiſtis: En vox ſanguinis & lachrymæ ſubditorum clamant ad me vindictam debitam poſtulantes: arguam vos in virga furoris mei: quantùm vos glorificaſtis, (a) tantum dabitur & vobis tormentum, recedite.

Adeſte & vos Principes, Duces, Comites, Nobiles & Equites, qui de nobiliori limo terræ vos productos ſomniaſtis, qui ſanguinem veſtrum coloris generoſioris, quàm aliorum hominum eſſe credidiſtis: quid hoc audio de vobis? vosne eſtis? qui injuſtis veſtris exactionibus, coloratis collectationibus æraria veſtra ditaſtis? vosne eſtis? qui ex ſubditorum oculis lachrymas, ex venis ſanguinem, ex oſſibus medullas, ex burſis aurum & argentum expreſſiſtis? ut magnifica vobis ſurgerent Palatia, Arces, Horti, Vineæ & Pomœria, labore, & ſudore ut novi Pharaones ſubditos propè enecaſtis: ut ad luxum & pompam vivere poſſetis fraudulentis veſtris debitis plurimos creditores ad extremam egeſtatem adduxiſtis. Vos eſtis, qui ſubditorum juſtas quærelas de ferarum damnis præfectorum rapinis, exactionibus nimiis, ſæpius carcere, exilio aut injuſtâ confiſcatione multaſtis; minimum vobis injurioſum Verbum gladio, aut ſclopeto ulti eſtis, ad blaſphemias verò mihi & Sanctis illatas, & alia graviſſima ſcelera conniviſtis, aut ad ſummum mulctâ pecuniariâ abſolviſtis, magis de burſa vacua, quàm facta mihi injuriâ ſolliciti.

Vos eſtis, quibus chariores erant Canes & Equi, quàm pauperes & mendici: clamabat ante arces veſtras mendicus & nudus, ſed non erat, qui eum tegeret, parietes interim ſerico, pavimenta marmore veſtiebatis Lazari immemores: computruerunt frumenta veſtra in horreo, reliquias menſæ abſumebant canes, dum interim fame contabeſcerent pauperes, Vos eſtis, qui ſacerdotum,

Con-

(a) *Apoc. c. 18.*

Concionatorum, Religioſorum vitam ſimplicem, æſtimabatis inſaniam: Religio vobis pallium erat nequitiæ: Hypocritæ eratis, foris Catones, intus Nerones: Jejunia, Præcepta Eccleſiæ, Excommunicationes velut bruta fulmina exploſiſtis, vobis ipſis fidem novam ventri veſtro accommodam compilaſtis: recedite à me vaſa iniquitatis, & condignam veſtris meritis exſpectate ſententiam.

Adeſte & vos Magiſtratus, Judices, Aſſeſſores Advocati & Cauſidici, Ego juſtitias veſtras judicabo. Juſtitiam Virginem vobis deſpondi, vos eam cuiq; venalem proſtituiſtis, poteſtate judicandi, authoritate definiendi, jurisdictione exequendi turpiter abuſi. Leges & Canones Juris, rectiſſima perpendicula juſtitiæ, obliqua torſione, interpretatione ſiniſtrâ curvaſtis; cauſa præponderabat illa, cui plus auri appenſum, ob cognationes, Affinitates, reſpectum humanum oculos veritati clauſiſtis: Veſtra fortuna aliorum erant infortunia; calamus veſter non niſi unctus decreta ſcribebat, manus veſtra non niſi argento tincta receſſus obſignabat, lingua non niſi auro potabili ſoluta ſententiam pronuntiabat, pedes nec greſſum fecêre niſi illâc, ubi ſubſtrati ſilices argentei; ſuffragia veſtra non audiebantur, niſi prius peroraſſet crumena. Quot inſontes ex maleſuadâ paſſione, ſiniſtrâ informatione, falſa ſuſpicione, ignorantia craſſa ſub Juſtitiæ ſpecioſo titulo in carceraſtis, eorumq; cauſas ita prolongaſtis, ut miſeri inter opera miſericordiæ recenſerent cito poſſe mori? Latrones facultatum vitæ & famæ eorum: ubi miſeri portum ſperabant, ibi fecêre naufragium: Crudeles Crocodili, qui ſimulatis lachrymis & ſuſpiriis funera eorum proſequebamini; recedite nunc maledictæ ſanguiſugæ, harpijæ Stygiæ, rapaces vultures, pauperum, viduarum & pupillorum argento & ſudore gravidæ, (a) *Judicium duriſſimum erit his, qui præſunt.*

Adeſte & vos Negotiatores, Mercatores, Inſtitores & Opifices, reddite rationem negotiationis veſtræ. An non vos eſtis, qui millenis fraudibus, dolis & circumventionibus emptoribus illuſiſtis? An non vos eſtis, qui ex uſuris & lucris injuſtis marſupia veſtra ditaſtis? An non vos eſtis, qui centenis execrationibus, juramentis falſis, effrontibus mendaciis animam veſtram dœmoni oppignoraſtis? pondera veſtra erant doloſa, menſuræ vitiatæ, ulnæ decurtatæ, merces adulteratæ. O inſenſati trapezitæ! quid prodeſt vobis univerſum Orbem eſſe lucratos, animæ verò detrimentum feciſſe? recedite à me mendaces filii hominum in ſtateris. *Statera enim doloſa abominatio eſt apud Dominum*, (b) *quâ menſura menſi eſtis, eâdem remetietur vobis.* Luc. c. 6.

Et vos Agrorum ac Vinearum Cultores, Ruſtici & Agricolæ reddite rationem, villicationis veſtræ. Vos

accusat terra, quam inter continuas imprecationes, execrationes & blasphemias aratro sulcastis: Vos accusat cœlum, quod nunquam influentiis suis & temperamento, stolido vestro capiti satisfecit. Vos accusant templa, quæ rarò frequentastis, vos accusant Sacerdotes, quorum Conciones non curastis, agri & prata, quorum decimas defraudastis: Vos reos faciunt jumenta & pecora, ob quæ millenas superstitiones patrastis. Væ vobis, quibus major cura erat, de educatione vitulorum quàm filiorum, major observantia Nundinarum quàm Ecclesiarum, major cura terræ quàm cœli. Quid prodest nunc vobis in sudore vultûs laborasse septimanâ totâ, nec festis quidem diebus requiem defesso indulsisse corpori, si pro labore & sudore vestro non aliud refrigerium, quàm ignis æternus vos exspectat? (a) *Amen dico vobis quia recepistis mercedem vestram.*

Adeste vos fœminæ, pavones superbæ, Viperæ venenatæ, Basilisci virulenti, sepulchra dealbata. Quid hoc audio de vobis? siccine pulchritudo vestra erat rete, quo incautos illaqueastis? oculi venenatæ sagittæ, quibus insipientes vulnerastis? Caro vestra ignis, ad cujus contactum amantes incinerastis? lingua vestra serra, quâ aliorum nomini detraxistis? cur facies vestras ad imaginem Dei creatas pigmentis adulterastis? Cur pudorem vestrum pro exiguâ discretione venalem exposuistis? Cur ad jejunii nomen, pœnitentiæ vocabulum expalluistis? reddite rationem tot millenarum animarum, quas vestra nuditate, jocis & illecebris infelices Orci stipendiariæ ad tartara detrusistis: reddite rationem illorum nefandorum scelerum, quibus in templo spectaculum non angelis sed hominibus factæ occasionem & ansam præbuistis: reddite rationem tot abortuum infelicium, quos propudiosis saltibus & maledictis antidotis procurastis: Hypocritæ! castas Susannas, pudicas Penelopes vos simulastis, occulta interim & incæstuosa Veneris Mancipia. Recedite sepulchra dealbata, Nescio vos.

Adeste tandem, obstinati, perfidi, ingrati peccatores terræ, quibus infernus fabula, Judicium extremum lusus, Paradysus Ænigma, qui fidem Christianam quidem professi, Turcis ipsis & Saracenis nequiores extitistis.

Adeste luxuriosi Capri, ex quorum oculis nil nisi lasciva Venus prospexit, ex quorum ore nil nisi spurcitiæ & fœces egressæ, ex quorum tactu nil nisi obscœnitates emanarunt, recedite, nil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. (b)

Adeste Vindicativi ac rabidi canes, progenies viperarum, carnibus & sanguine inimicorum vestrorum saginati, recedite, (c) *judicium sine misericordiâ ei, qui non fecit misericordiam.*

Adeste ambitiosæ Aquilæ, quæ semper in altum per omne fas & nefas

(a) *Matth. c. 6.* (b) *Apoc. c. 21.* (c) *Jacobi. c. 2.*

nefas vos extuliſtis,(a) *ecce dies Domini exercituum (venit) ſuper omnem ſuperbum excelſum & arrogantem, diſperdam vos in furore meo, & glorioſos terræ humiliabo.* (b)

Adeſte Viri divitiarum, Amatores Mamonæ iniquitatis, (c) *plorate ululantes in miſeriis veſtris, divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus, pecunia veſtra ſit vobis in perditionem.* (d)

Adeſte temulentæ Hydriæ, ebria Bacchi ſoboles, (e) *quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione, recepiſtis bona in vita veſtra, bibite nunc calicem iræ & furoris Domini.* (f) *Menſura veſtra impleta eſt:* Ecce Judicem veſtrum, quem in terrâ deſpexiſtis, ecce hominem, quem peccatis veſtris denuò crucifixiſtis: (g) cernite vulnera, quæ inflixiſtis, agnoſcite latus, quod pupugiſtis, propter vos apertum eſt, & tamen intrare noluiſtis, clamat contra vos ſanguis meus, clamant clavi, clamat crux, clamant vulnera: recedite, *cauſa veſtra tanquam impii judicata eſt, cauſam judiciumq; recipietis.* (h)

O Judicium tremendum! ô examen rigidum! ô pavor, ô horror! ô timor, ô pudor, ô clamor, ô confuſio!

Veſper adeſt, nox appropinquat æterna, nox funeſta, tenebræ fatales: vocat operarios ſuos æterni Patris filius, (i) *Venite benedicti Patris mei,* nunc vos ſeparabo ab hœdis, aurum à ſcoria, triticum à zizaniis. Venite, mercedem laboris ego reddam vobis. Adeſte liberales Eleemoſynarii, aſyla pauperum, orphanorum ſpes & refugium, (k) *quodcunq; uni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis: Venite, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

Adeſte gemebundæ Magdalenæ & Pelagiæ, Guarini & Martiniani, qui in cavernis terræ delicta juventutis veſtræ deploràſtis: Venite, *ego ab oculis veſtris omnem lachrymam abſtergam.* (l)

Adeſte famelici Pauli & Antonii, quorum cibus inedia, potus erat jejunium & abſtinentia. *Venite, ego reficiam vos.* Adeſte triumphatores carnis Aquinates & Franciſci, qui carnem veſtram cum concupiſcentiis crucifixiſtis, qui in carne poſiti certamen habuiſtis, mercedem laboris ego reddam vobis. Adeſte generoſi Martyres Georgii, Laurentii & Mauritii, coronam gloriæ imponam vobis.

Adeſte morbis & ulceribus pleni Lazari, abjecti & depreſſi Alexii, à mundo ceu pila hinc inde pulſi Athanaſii & Chryſoſtomi; ab Angelis portabimini in ſinum Abrahæ.

Adeſte omnes, qui laboràſtis & onerati eratis: (m) en ego reficiam vos: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.* (n)

Et vos maledictæ ficus, infelices palmites, faſciculi damnati ad comburendum filii diaboli, qui ſecuti eſtis patrem

(a) *Iſaiæ c.2.* (b) *Cap 45.* (c) *Jacob.c.5.* (d) *Actor.8.* (e) *Ad Philip.c.3.* (f) *Jerem.25.* (g) *S. Auguſt.lib.de ſimb.* (h) *Job 36.* (i) *Matth.c.25.* (k) *Ibid.* (l) *Apoc.7.* (m) *Matth.c.11.* (n) *Matth.c.25.*

patrem vestrum, *discedite à me in ignem æternum*, discedite, faciem meam amplius non videbitis.

Ite ad stridores, gemitus, suspiria & tormenta, à felicitate ad miseriam, à lumine gloriæ ad æternas tenebras, à torrente voluptatis ad stagna sulphuris: Ignis & sulphur, glacies & spiritus procellarum vestræ erunt epulæ, fel draconum & absynthium vestra erunt massica, sodales & socii monstra tartarea & infernales furiæ, paradysus vester ignis æternùm ardens. Actum est! sententia est lata: (a) *Cœlum & terra priùs transibunt, quàm verba mea prætereant.* Discedite à me vasa iniquitatis, maledicta turba, quàm diu Deus erit Deus, tàm diu ad æternos ardores flammas & cruciatus vos damno. Discedite.

O fulmen terribile, petras & infernum chaos penetrans, ô tonitru formidandum! ô decretum ferale! ô separatio miseranda! ô iter lamentabile!

Ridete nunc Amatores mundi si placet; ad feralis hujus tubæ sonitum saltate si lubet, agite dies lætitiæ, dicite, musto pleni sunt, qui nos figmentis sacris terrere, deliriis piis infatuare conantur: Ah parcite, joci non sunt, quæ procedunt de ore Dei, audite in vos graviter detonantem D. Hieronymum: (b) An putatis Fratres, quod Prophetæ jocando prædicent, ridendo loquantur Apostoli, Christus infantiliter comminetur, sed joci non sunt, ubi supplicia intercedunt: Veritas suprema est, (c) *sic sic veniet, quemadmodum eum vidistis euntem in cœlum.* Et quis ergò inter mortales tam profundos cum Jona ronchos trahat, ut ad naufragium & interitum totius universi non evigilet? quis tam gravi lethargo mergatur, ut eum tremenda tuba non excitet? cujus animus erit ita obfirmatus, ut ad coruscationem fulgurantis gladii non consternetur? cujus cor ita durum & obstinatum, ut ad stellarum præcipitia, Solis & Lunæ obfuscationem non concutiatur? quis ita projectæ frontis, ut eum tremendi Judicis vultus non examinet, processus rigidus non consternat, sententia ferenda pilos in altum non erigat?

Ignoscite Fratres, quod dico: aut Sancti erant fatui, aut vos impudentes & insensati, quibus tam exigua judicii cura & respectus.

Hieronymus, prodigium illud pœnitentiæ, de se fatetur: (d) Sive comedam, sive bibam, semper videtur tuba illa auribus meis insonare: Surgite mortui, venite ad judicium.

Augustinus grandis illa & sancta anima judicium considerans in tristia illa erupit verba: (e) Væ mihi misero, cum venerit dies judicii, cum aperti fuerint libri conscientiarum, quid faciam, cum cœli revelabunt iniquitatem, & terra consurget adversum me; ecce nihil respondere potero, sed demisso capite plenus

(a) *Matth. c. 24.* (b) *Hieron. ad Pon. & Ocean.* (c) *Actor. 1.* (d) *Hieron. cap. 5. in Matth.* (e) *August. lib. medit. c. 38.*

plenus confusione stabo trepidus & confusus.

Arsenius ille Illustris Aulæ Cæsareæ profugus, (a) Eremitarum speculum nobile, sinu strophiolum semper gerebat, ad siccandas juges lachrymas, quas ipsi judicii memoria quovis momento excutiebat.

Bernardus (b) pastus Christi vulnere, lactatus Virginis ubere, judicii diem secum ruminans altùm exclamat: O lachrymæ, ubi vos subtraxistis, ubi ubi estis fontes lachrymarum, fluite super faciem meam, rigate maxillas meas, Deus meus quid faciam, cum venerit judicium tuum? Paveo gehennam, paveo Judicis vultum, ipsis quoq; tremendum angelicis potestatibus; contremisco ab ira potentis, à facie furoris ejus: quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum & stridorem dentium. Heu me mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, & indignationis. Hæc Bern. serm. 17. super Cantica.

Nunc vos concludite Auditores, si Sancti & Justi adhuc hujus tubæ tremendum sonitum ita cohorruêre, ut in solitudines & speluæa sese abdiderint, socii draconum & struthionum facti in deserto, an non & peccatores jure meritò hoc tonitru concutiat, hoc fulmen exanimet, hæc tuba consternat? Si columnæ cœli contremiscunt, quid facient arundines vento agitatæ? Si stellæ cœli non sunt mundæ in conspectu ejus, quid erunt illi, qui quasi aquam sic iniquitatem bibunt? (c)

Ah peccatores, peccatores! melius erit vobis hîc cum Hieronymo cor ferire silice, quàm ibi exclamare: (d) Montes cadite super nos, & colles operite nos. Melius erit hîc plangere in valle lachrymarum, quàm in valle Josaphati erumpere in lamenta non profutura. Melius erit hîc procumbere ad thronum misericordiæ, quàm ibi stare in parte sinistrâ ad thronum justitiæ: melius erit dicere in vitâ, pereat dies, in quâ peccavimus, quàm ibi exclamare, (e) pereat dies, in quâ nati sumus: melius erit in vita per meditationem seriam descendere in infernum, quàm post judicium illuc præcipitari in æternum. Nil addo, quàm ut cum Angelis repetam: Cavete mortales, *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*, *sic veniet*, non triumphaturus, sed judicaturus.



(a) *Ruffinus num. 163.* (b) *Bernard. serm. 17. super Cant.* (c) *Job. c. 15.* (d) *Luc. 23.* (e) *Job. c. 3.*

IN

IN FESTO PENTE-COSTES.



Factus eſt repentè de cœlo ſonus. Act. 2.

VAriæ & admirandæ Viſiones in veteri Teſtamento oblatæ ſunt Patriarchis & Prophetis, quibus à Supremo Numine, velut in occultâ imagine diverſa erant deſcripta & adumbrata Myſteria. Ita Geneſis cap. 28. vidit Patriarcha Jacob portentoſam illam ſcalam ad cœlos usque pertingentem, ac in eâ aſcendentes & deſcendentes Angelos. Ita Geneſis 37. vidit in ſomnio Joſeph Solem & Lunam, ac undecim ſtellas ſe adorantes. Ita Exodi 3. Moyſes cum ſtupore vidit rubum ardere nec conſumi. Ita Jerem. c. 1. vidit virgam vigilantem & ollam ſuccen-

censam. Zacharias c.4. candelabrum aureum instructum 7. lucernis. Ita denique Joannes in sua Pathmo (a) vidit librum signatum septem sigillis, stellam de cœlo cadentem, mulierem amictam Sole, & centena alia.

Verùm tot inter visiones sacras, binas solùm invenio, quæ hodiernæ Festivitati inserviant. Prima exhibita est Danieli Anno primo Balthasar Regis cap. 7. *Videbam*, inquit ille, *in visione mea nocte, & ecce 4. venti pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se. Prima quasi Leæna, alas habens Aquilæ, altera similis Urso, post hæc aspiciebam, & ecce alia quasi Pardus, post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia 4. terribilis atque mirabilis &c.* Visio certè obstupescenda.

Alteram vidit Ezechiel Propheta c.37. dum ait: *Facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini, & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus, & circumduxit me in gyro: & dixit ad me, fili hominis putasne vivent ossa ista? & dixi, Domine Deus tu nosti, & dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, & dices eis, ossa arida audite verbum Domini: & prophetavi, factus est autem sonitus prophetante me, & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam, at spiritum non habebant, & dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, & dices ad spiritum: Hæc dicit Dominus, à quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscent, & prophetavi sicut præceperat mihi, & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntq; super pedes suos exercitus grandis nimis valdè.*

Agite Auditores, quis horum Interpretem aget? quis significabit nobis, quænam hæc sit pugna ventorum in mari magno? quid portentosæ bestiæ significent? quinam sint turbulenti venti, qui conturbant hoc mare magnum, & quales demùm venti, qui reviviscere fecerunt exercitum illum grandem.

Sepositâ interpretatione de 4. Monarchiis veluti 4. bestiis terræ, placet, quod in hanc rem affert Richardus de S. Victore in cap. 7. Danielis ita dicens: Rectè per hoc mare magnum cor hominis designatur, in quo 4. hi venti (id est 4. primariæ passiones homini tumultuantur.)

Nec malè, sed appositè cor hominis mari huic comparatur. Nam si secundùm Aristotelem mare ad motum Lunæ crescit & decrescit; juxtà Bernardum: (b) *Cor hominis est vanum, vagum & instabile:* Si mare est origo fluminum; *& cor est origo cogitationum, ex corde enim exeunt cogitationes malæ.* (c) Si mare est profundum & inscrutabile; etiam Jeremia teste c. 17. *pravum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud?* Si mare est insatiabile juxta illud: (d) *Ignis & aqua nunquam dicunt sufficit*: Secundùm Hugonem Victorinum: (e) *Cor parvum est, & magna cupit, vix ad milvi refectio-*

Kkk

(a) *Apoc. 5. cap. 9 cap. 12.* (b) *Bernard. Meditat. cap. 9.* (c) *Matth. c. 15.* (d) *Proverb. c. 30.* (e) *Hugo lib. 3. de anima.*

refectionem sufficit, cui tamen totus orbis non sufficit. Si mare denique intumescit & exardescit etiam Isaia teste cap. 57. existunt peccatores & impii *quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Ecce Cordis & Maris convenientiam!

Sed quid ventorum pugna designat. Respondet citatus Victorinus: (a) Ventorum fortis impulsus est vehementia tentationum; diversitas autem ventorum cœli, contrarii sunt affectus animi; aliter enim spirat concupiscentia, & aliter flat iracundia: ecce pugnam ventorum, quam in nobis verius experimur, & sæpius quàm legamus in libris. Hæc ille.

Ego autem bonâ veniâ tanti interpretis existimo non incongruè per ventos Danielis denotari & significari *ventos, quos mundus, caro & dæmon emittunt ad turbandum & inquietandum cor hominis*; per ventos verò Ezechielis significari 4. ventos, *quos Spiritus S. emittit de thesauris suis*, qui suaviter & fortiter simul concutiant hoc mare, & immutent in melius corda mortalium. Hoc dum vobis pluribus ostendo, patientiam solitam exposco.

Ventorum, quibus mare commoveri, fluctus excitari, navia jactari ad scopulos & syrtes allidi solent, tàm multa sunt genera, quàm multæ in in ipso terrarum circulo sectiones fieri possunt: numerant alii 12. alii 14. Ego morem Scripturæ secutus omnes reduco ad 4. illos, quos Cardinales vocant, eò quod ex præcipuis mundi 4. plagis exoriantur.

Eurus spirat ab Oriente, Favonius flat ab Occidente, Auster strepit à Meridie, Aquilo intonat à Septentrione. Ventorum, qui cor hominum turbant, huc & illuc impellunt, numerus non liquet, teste Joanne Climaco grad. 26. dum ait: Sævum reverà & immane Pelagus trajicimus multis ventorum turbinibus, procellis & syphonibus redundans: quot enim vitia hominem circumagunt, tot venti eum turbant. Quatuor tamen sunt præcipui, qui cor hominis impugnant, huc illucque impellunt, nunc enim elevatur, & intumescit à superbiâ, nunc spumat ab irâ, nunc fluctuat per carnem, nunc turbatur ab avaritiâ.

Orientalis, ait Panagirola ser 4. Cin. spirat superbiam, Occidentalis avatiriam, Meridionalis luxuriam, Aquilo demùm iram & vindictam.

Primus igitur est Subsolanus seu Eurus ab Oriente spirans, Ambitio nimirum & Superbia; Hoc flante vento intumescit ac elevatur cor hominis, dum nobile stemma, generosam propaginem, sanguinem illustrem, grandes titulos, honores, dignitates, officia, gratiam & favorem Principum, scientiam, divitias, facta heroica mente suâ revolvit: hinc adeò intumescit ac elevatur, ut secundùm Innoc. III. Pont. l. 2. de contemptu Sæculi c. 30. præsumat se meliorem, quia crevit in superiorem, priores dedignetur

(a) *Victorinus in c. 7. Dan.*

netur amicos, notos ignoret hesternos; vultum avertat, visum extollat, cervicem erigat, fastum ostendat, grandia loquatur, sublimia meditetur.

Hinc præclarè Chrysostomus hom. 43. ad Pop. Ant. ait: Quemadmodum enim sævi quidam venti in tranquillum mare delati, totum ab imo subruunt, ut & arena cum undis misceatur, sic superbia & ambitio animam subeuntes omnia subvertunt; plenis hi & tumescentibus velis currunt; nunc in cœlum efferuntur, mox ad tartara ima deprimendi, ac ut Isaias c. 57. ait, redundant fluctus eorum in conculcationem & luctum. Exemplo sit Alexander Macedo, de quo Scriptura Machab. cap. 1. ait: *Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Rex Macedo Darium Regem Persarum, exaltatum & elevatum est cor ejus*, ita ut hominem esse ultra eum tæduerit, ac detestando ambitu Jovis filius imposterum dici voluerit; etiam in regium symbolum assumpto fulmine; sed fulmine opus non erat ad Jovem hunc de cœlo dejiciendum, unicus venenatus pulvis eum in lutum & pulverem redegit, ac naviculam infelicem expansis carbasis volantem in tartara traxit & demersit.

Testantur id ipsum Cæsar Pompejus, Sejanus, Stilico, Ruffinus, Belisarius, centeniq; alii, quorum cor rebus prosperis & secundis exaltatum est & elevatum, à vento hoc superbiæ & vanitatis huc illucque pilæ instar jactatum, dum tandem ad scopulos impingens naufragio fœdo, initia læta corrupit, ac cum sonitu memoria eorum periit.

O ventum, ô turbinem, ô fluctus infelices, qui quò altiùs levant, eò profundiùs posteà mergunt, ut verè cum Psalmista dicere queant: (a) *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.

Ventus secundus, qui corda hominum turbat & inquietat, flat ab Occidente, vocaturq; amabili nomine Favonius seu Zephyrus, sed periculis est plenus; nam ventus hic, teste Cluverio, est frigidus atq; humidus, adeoq; ad ciendas tempestates pronior; per ventum hunc designatur avaritia, quæ licet homini appareat amabilis, tamen plurimas tempestates & naufragia causat, & navem huc illuc in scillas & præcipitia agens, nunquam quiescere sinit, quod probè intellexit Chrysost. dum hom. in Matthæum ait, quemadmodum sine fluctibus mare non conspicitur, sic animum avari, absque sollicitudine, tremore, turbatione, curis, periculis nunquam reperies; ac pergit alio loco in illud Psalmi 38. sed & frustra conturbatur homo. Commorentur aquæ, & iterum sedantur, movetur terra, & iterum subsidit, venti impelluntur, & tandem quiescunt, flamma excitatur, & consumpta materia denique extinguitur, at verò homo cùm semel pecuniæ cupiditate agitari cepit, nunquam quiescit, nunquam desinit, cum hoc accepit, ad illud cupiditate rapitur, & cum illud assecutus est, ad aliud impel-

(a) *Psalmo 68.*

impellitur, fluctus unus alterum trudit, una procella excitat secundam. In similes avaros meritò cadit, quod Jerem cap. 14. ait: *Traxerunt ventum quasi dracones*; infelices utique dracones, qui diu noctuque aurea sua poma custodiunt, ac velut laboriosæ araneæ aurea sibi retia & funes texunt, quibus ultimo constringantur, nam Ambrosio teste Tractatu de bono mortis, laqueus est in auro, viscus in argento, dum aurum quærimus, strangulamur, dum argentum cupimus, in visco ejus hæremus. Expertus est hoc M. Crassus, (a) cui à Parthis capto aurum in os infusum addito infelici dicterio: Satia te auro, quod ita avidè sitisti. Expertus Emmanuel Sosa, (b) qui redux ex India cum immensis Gazis ad promontorium bonæ spei naufragium & jacturam omnem divitiarum fecit, non aureo tumulo, sed sabulo & arena maris cum uxore & liberis sepultus.

Attendite proindè ad auram sibilantem venti hujus avari Euclìones, ac cavete, ne nimio pondere auri oppressa navis subitò subsidat, ac vos in profundum demergat abyssi, (c) *qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueos diaboli.*

Ventus Tertius, qui mare hoc magnum inquietat, ac cor hominis exasperat, est Aquilo flans à Septentrione, ventus durus, asper & impetuosus, vel ipso Ovidio teste l. 6. Metam. dum de eo ait:

Et freta concutio, nodosaq; robora verto,
Induroq; nives, & terras grandine pulso.

Et quid quæso AA. per hunc ventum turbinis aliud designatur, nisi ira & vindicta hominis. Hic ventus ubi insurgit, mox exasperatur cor hominis, excandescit ac despumat; strident procellæ, elevantur fluctus passionum, accenduntur fulgura odiorum, reboant tonitrua rixarum & contentionum, tremunt scopuli, concutiuntur littora, & uti olim domum Job à 4. angulis concussam evertit. Ita & impetus hujus turbinis non cessat, donec & hostem & seipsum unâ ruinâ, uno naufragio opprimat; ac quod maximè stupendum est; ventum hunc turbulentum unicum subindè verbum sinistrè prolatum, unicus torvus obtutus, unica suspicio, unicum convitium suscitare potest; uti pulchrè S. Aug. Tract. 49. in Joan. cap. 11. docet, dicens: Audisti convitium, ventus est, iratus es, fluctus est, vento igitur flante, fluctu surgente periclitatur navis, periclitatur cor tuum, fluctuat cor tuum, audito convitio vindicari desideras, & ecce vindicatus es, & malo alieno cedens fecisti naufragium, & quare hoc? quia dormit in te Christus, quid est dormit in te Christus? oblitus es Christum. Blanc Tom. 4. fol. 417. Oblitus es consilii ejus: Diligite inimicos &c. benefacite his &c.

Ulti-

(a) *Sabellicus lib. 7.* (c) *Pet. Maff. hist. Ind. lib. 16.* (c) *1. Timoth. cap. 6.*

Ultimus & Quartus denique Ventus, qui mare hoc conturbat & profundum ejus, est Auster flans à Meridie, naturâ calidus & humidus, grandes tempestates, morbos, deliria capitis, ipsam pestem subindè causans Nec aliud ventus est, quàm concupiscentia carnis, ventus libidinum ac turpium voluptatum. O quantas strages, quot infortunata naufragia causavit hic ventus? O quot mortales hoc vento Scyllas & Charybdes infeliciter sunt acti. Unde rectè Ambrosius lib. de Cain & Abel ait. c. 5. sævus criminum stimulus est libido, qui nunquam manere quietum patitur affectum, nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione revocat, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat.

Ventus sanè tempestuosus, qui affligit de die, cruciat de nocte: quietem turbat, somnum interrumpit, desideriis stimulat, spebus affligit, cupiditatibus inflammat; experti sunt damno suo cum Holoferne, Samsone, Salomone aliisque millenis stragem hujus pestilentis venti, qui se ei credentes ad petras scandali, ad Charybdes infamiæ, ad vertices desperationis sunt allisi; de quibus verificatur illud Ezech. cap. 27. *Ventus Auster te contrivit in medio maris,* Fugite, fugite ventum hunc pestiferum mortales, Væ enim illis est, (a) qui attrahunt ventum amoris.

Hi ergò sunt 4. pestilentes Venti, quos mundus, Caro & dæmon de cavernis suis emittunt ad turbandum & inquietandum cor hominis.

Alios Ventos habet Spiritus Sanctus, quos profert de thesauris suis, qui prioribus adversantur & toti sunt contrarii.

Primus flat ab Oriente, cnm Spiritus S. homini ante oculos ponit originem suam miseram, de quâ Plinius ait: (b) Miseret me atque etiam pudet æstimantem Originem animalium superbissimi, nam teste Bernardo, (c) in sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur, ante exitum miseras matres oneramus, in exitu more vipereo laceramus. Nudi de ventre matris velut infami carcere egredimur, & mox veluti infelicia mancipia vincimur, manus pedesque stringunt fasciæ, nil liberum nisi lingua, quæ mox in lugubres fletus solvitur, ac miseram suam sortem deplorat.

Novit hoc optimè magnum illud Africæ Lumen Augustinus, unde in soliloquiis suis de Origine hâc miserâ differens ait: priusquam esses homo, terra eras, & priusquam terra esses, nihil eras; aspice tuam progeniem, tuam nobilitatem, tuum splendorem & amplitudinem: tum sese confundens in hæc lamenta erumpit, Ego cadaver putridum, esca vermium, cibus ignium, abyssus tenebrosa, terra misera, filius iræ, vas fa-

 ctum

(a) *Jerem. cap. 2-* (b) *Plinius lib. 7. cap. 7.* (c) *Bernardus ser. 4. hebd. pœnosæ* (d) *Soliloq. cap. 2.*

ctum in contumeliam, genitus per immunditiam, vivens in miseriâ, moriturus in angustiâ. (a) Heu quid sum vas sterquilinii, Concha putredinis, plenus fœtore & horrore, cœcus, pauper, nudus, pulvis, cinis & nihil. Unde ergò superbiat terra, cinis & nihil, cujus conceptus impurus, nativitas misera, ortus lugubris. Quid ergò se elevat cor tuum ò homo, & quasi magna cogitans attonitos habes oculos, quid tumet contra Deum Spiritus tuus, terra es, & in terram reverteris.

Nunquam Societas Jesu Gandiæ Ducem, & Cataloniæ Proregem acquisivisset Generalem, nisi orientali hoc vento Spiritus S. fuisset aliquando afflatus: (b) Nam ut Sachinus in vitâ ejus refert, cum Isabellæ Augustæ Caroli V. Imperatoris Conjugis sepeliendæ cura ipsi ab Imperatore Carolo esset demandata, ac Franciscum cupido incesseret antequam terræ mandaret, venustatis illud miraculum dum viveret, etiam post mortem contemplandi; ubi ergò velo remoto gratiosa illa duo lumina, quæ omnium oculos ad se quondam converterant, clausa, faciem pallidam, genas lividas, corpus denique jam putrescens est intuitus, sacro horrore precibus mox in cubiculum pessulo januæ obducto se abdidit, humique prostratus lacrymis gemitus miscens in has voces erupit. O misera mortalium vota, ò fallaces hominum spes, ò vana desideria! En illa Augustarum pulcherrima, ut in funere deformata jacet, en quo evanuit venustum illud formæ decus, hæccine Isabella gaudium & splendor universæ terræ! quousque tandem diligimus vanitatem & quærimus mendacium; expergiscere anima mea expergiscere, sat Principi mortali datum, immortali deinceps erit serviendum: Sint anteacti anni dati Carolo, reliquum tempus transcribatur, si sapis, Deo: valete Principatus: valete purpura, servire Deo regnare est. Dixit, & accepto calamo arcana pectoris transcribens Romam Ignatio, purpurâ & Ducatu Gandiæ relicto ad Societatem admitti petiit.

Ventus secundus quem Spiritus S. emittit de thesauris suis, ab occidente spirat & occasu solis, tacito ac tristi sibilo singulis propè horis mortalibus insonans illud Isaiæ: (c) *Morieris tu & non vives.*

Morieris infallibiliter, sed quando, in quo loco, in quo animæ statu incompertum tibi, latet enim ultimus dies, ait Augustinus l. 50 hom. 13. ut observemus omnes. Morieris certò ad vitam non revocandus, nisi ubi ultima tuba te citaverit; Mors te subitò spoliabit omnibus in quibus lætaberis, ac tollet universam substantiam tuam in quâ confidebas; solæ virtutes & opera bona mortuum comitabuntur.

Longam ne spera vitam, breves enim dies hominis sunt, & anni eorum

(a) *Soliloq. cap. 2.* (b) *Sacbinus in vita lib. 1. cap. 7.* (c) *Isa. c. 38.*

rum ſicut umbra prætereunt, ut ſomnium nocturnum evaneſcunt, ut aquæ dilabuntur, ut ſpuma denique diſſipantur, & nihil ſupereſt niſi ſcrobs & ſepulchrum.

Stulte quæ paraſti cujus erunt? quid proſunt, ait S. Ambroſ. in pſal. 1. innumeræ poſſeſſiones, publicæ ſunt, non tuæ, hodie tu tenes, cras alius, cum tu exieris, alius intrat: in auro confidis? ſtulte quid eſt aurum, niſi maſſa flava, quam color & opinio hominum diſtinguit à terrâ, cui pretium inſania mortalium fecit; quid eſt aurum niſi lutum, quid ſunt gemmæ niſi ſputum, & hæc amas, hæc adoras? ſtulte nudus egreſſus es ab utero matris tuæ, & nudus reverteris, quæ paraſti cujus erunt, ex cunctis divitiis, ex univerſis bonis tuis lacerum ſolùm tibi remanet linteum mortuale, *Viri divitiarum* ait David pſal. 75. *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis.* Id optimè Spiritu S. utique afflatus advertit & mundum docuit morti proximus Philippus II. (a) Cum enim ad ultimam luctam oleo ſacro eſſet inunctus, adſtantem filium Philippum poſtea III. Sic eſt alloeutus, Deus tibi magnam gratiam fecerit, (b) ſi te ad eum gloriæ apicem, in quo me vidiſti, evexerit, & te ſicut me proſperavit, Te ergò cum id aſſecutus fueris, ex animo obteſtor, ut lecti hujus, in quo me vides, memineris, viden ò Princeps, huc omnis mundi gloria, huc utriuſque orbis deliciæ reciderunt. Ita Florimundus Remondus.

Ventus tertius Spiritus eſt procellarum, & ab aquilone ſpirat, cum homo conſiderat acerbitatem judicii & pœnarum gravitatem; ſignat enim Aquilo timorem judiciorum, Auſter verò prœmiorum, ne ille à malo revocet, iſte ad bonum invitet, ait Godfridus in cap. 37. Ezech. deſcribit hunc ventum Ezechiel cap. 1. *Vidi & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna & ignis involvens*: ventus hic uti olim domum Job à quatuor angulis, ita & cor hominis ab imo concutit, ventus utique vehemens, veniens à regione deſerti: Ventus terribilis, qui ſternit cedros Libani & quercus Baſan, id eſt, qui terret Sanctos & Juſtos viros, qui cum Hieronymo clamant, ſive comedam ſive bibam, ſemper in auribus meis inſonat tuba illa feralis, ſurgite mortui, venite ad Judicium, ventus vehemens concutiens deſerta mundi, ut cum Brunone in clauſtris & voluntariis carceribus ſeſe concludant, fugientes à venturâ itâ; ut cum Bogore Bulgarorum rege; Guilielmo Aquitaniæ Duce; cum Joſaphato deponant coronas, relinquant ſceptra, inhabitent ſpelæa draconum, facti ſocii ſtruthionius.

Extinuit ſupra modum ventum hunc S. Auguſtinus, unde l. medit. cap. 38. exclamat: Væ mihi miſero cum

(a) *Io Rhoo. in exemplis Virt. pagina 560.* (b) *Florimundus Remondus.*

cum venerit dies Judicii, & aperti fuerint libri conſcientiarum, cum dicetur de me, ecce homo & opera ejus, quid faciam tunc Domine Deus meus, cum cœli revelabunt iniquitatem meam & adverſum me terra conſurget. Ventus hic vehemens conterit naves Tarſis, & ſicut Aquilo diſſipat pluvias, (a) ſimiliter & hic omnia peccata noſtra; (b) flabit Spiritus ejus & fluent aquæ.

Ultimus demùm ventus, quem èmittit Spiritus S. de theſauris ſuis eſt Auſter, reminiſcentia nimirùm æternorum gaudiorum, nam ſecundùm Godfridum in cap. Ezech. 35. Aquilo ſignificat timorem Judiciorum, Auſter verò deſiderium prœmiorum. Ventus hic omnia tormenta, cruces, dolores, adverſitates & deſolationes convertit in ventùm roris flantem. Unde optimè ait Sanctus Gregorius in pſal. 7. pœnit. Si conſideremus fratres chariſſimi, quæ & qũanta ſunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vileſcunt omnia, quæ habentur in terris. Hinc in verba pſal. 15, delectationes in dextera ejus uſque in finem, ait Hugo de S. Victore, (c) in temporalibus bonis delectationes quidem ſunt, ſed non uſque in finem, quia in hâc vitâ ſemper gaudium noſtrum ſequitur dolor, & ejus delectatio amaro fine terminatur; in dexterâ autem Dei delectationes uſque in finem, quia in vitâ æternâ nec gaudia in mœrorem, nec delectationes in dolorem mutari poſſunt. Hic ventus ubi cor noſtrum aſpirat, mox facit nos cum Paulo exclamare: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; cum Ignatio cogit nos fateri: Heu quàm ſordet mihi terra, cum cœlum aſpicio. Hic ventus ubi nos afflat, mox inſilit in nos Spiritus Domini, & mutamur in virum alium, cunctæ voluptates & gaudia hujus ſæculi reputantur ut abſynthium, ſunt mera poma Sodomæ, exiſtunt mera vanitas. Hic ventus ubi cor noſtrum tetigerit, mox deteſtamur ſiliquas porcorum, & anhelamus ad panem Angelorum; mox nauſeamus flumina Babylonis, & anhelamus ad torrentem voluptatis; mox deteſtamur omnem nebulam & fumum honoris, & ſolam gloriam concupiſcimus æternam; nam teſte Gregorio: Mentem, quam Spiritus S. replet in amaritudinem temporalium & delectationem æternorum commovet.

Proindè veriſſimè fatetur Richardus Victorinus de Pentecoſte dicens: audacter affirmo, quod ſola una hujus mellis ſtilla poteſt, quod totus mundus non poteſt.

Ad te nunc ſunt vota noſtra O Spiritus Sanctiſſime: Naviculæ inſtar in medio tumidi maris fluctuamus, agitati nunc à fluctibus mundi, nunc à carne impulſi, nunc à ſuperbiâ ad ſcopulos alliſi: Mergitur eheu navis,

(a) *Proverbiorum capite* 25. (d) *Pſal* 147. (c) *Hugo in pſal.* 15.

vis, nisi ventum proferas de thesauris tuis, perimus, ni aura immutetur.

Emitte igitur Spiritum tuum & renovabis faciem terræ; Spira cœlestis vente, ac flatu tuæ gratiæ vela nostra ingravida, emitte Spiritum sapientiæ, ac nostram illumina cœcitatem; Spiritu intelligentiæ acue nostram hebetudinem; Spiritus consilii nostras informet perplexitates & dubia; Spiritus scientiæ tuæ nostram erudiat & instruat ignorantiam; Spiritus denique timoris configat cor nostrum, & refrænet cunctas cupiditates, ut anima nostra superatis procellosis huius mundi fluctibus feliciter ad portum æternæ felicitatis appellat.

Claudo & solùm iterùm inclamo cum Ezechiele à quatuor ventis: *Veni Spiritus, & insuffla super interfectos istos*, id est peccatores miseros terræ, ut convertantur & reviviscant.

(a) *Psal. 103.* (b) *Ezech. cap. 37.*



IN FESTO SANCTÆ TRINITATIS.



Quid retribuam Domino? Pſalmo 115.

SOlemnitas hodierna obmuteſcere facit univerſam facundiam Oratorum; Labiaque eorum ad normam Alexandri M. annulo divino obſignans, ad humile & devotum ſilentium condemnat, nilque dictionis illis indulget, quám ut cum Jeremia cap 1. exclament; *A. A. A. Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.*

Digitum proinde hodiernâ die cum Tullio & Demoſthene ori veſtro imponite facundi & diſerti Rhetores, nam teſte Evagrio, (a) quod ineffa-

(a) *Socrates hiſt. tripart. cap. 21.*

ineffabile eſt, ſilentio tantùm adorandum eſt.

Intellectum veſtrum cum Origine & Auguſtino in captivitatem ac obſequium fidei redigite ſacri & profundi Theologi, monente vos Syracide cap. 3. *Altiora te ne quæſieris, & fortior te ne ſcruteris; qui enim ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria* (a)

Obmuteſcite cum Pythagora & Platone ſapientes Philoſophi hujus mundi, impoſſibile enim eſt, ait Angelicus Doctor 1. p q. 32. a. 1. per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum perſonarum pervenire, *Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum*: Paulo teſte 1. Cor. 3.

Diffringite cum Archimede & Anaximandro Sphæras & Quadrantes veſtros ingenioſi Geometræ & Aſtronomi; neque enim poſſibile eſt, ut circinis veſtris & calculatione, altitudinem, aut profundem ſapientiæ & ſcientiæ Dei depræhendatis, cum Paulus vos dehortetur Rom. c. 11. dicens: *O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.*

Valedicite ergò ſpeculationibus veſtris, linquite docta & ingenioſa ſomnia, ni cum Phaetone fulmine ſterni, aut cum Icaro inter procellas abyſſi perire velitis.

Audite minitantem Auguſtinum ſerm. 21. ſi inſcrutabilia ſcrutari veniſti, & inveſtigabilia inveſtigare, crede jam periſti: Myſterium enim hoc SS. Triadis abyſſus eſt inſcrutabilis, profundum ſine fundo, quod nec intellectus humanus capere, nec lingua mortalis effari poteſt.

Splendor hujus divini Trigoni ita coruſcat, ut nulla oculorum acies radiis ejus intendere queat.

Perplexitas Myſterii hujus ita eſt implicata, ut nullum Alexandrum M. in toto orbe inveniat, qui nodum hunc Gordium ritè diſſolvat.

Unde Bern. l. 1. de Conſid. ad Eugen. ait: Sacramentum hoc Trinitatis magnum eſt, venerandum non ſcrutandũ, ſcrutari hoc temeritas eſt, credere pietas, noſſe vita æterna.

Si ergò facundis Oratoribus ligatæ ſunt linguæ, illisque ſilentium indicit Auguſtinus ſcribens in pſal. 85. Quid quæris ut aſcendat in linguam, quod ſecundùm Paulum in cor hominis non aſcendit.

Si Theologorum ſubtiles ſpeculationes reprobat devotiſſimus Thomas à Kempis l. 1. c. 1. dicens, quid prodeſt tibi alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati.

Si in Philoſophos invehitur Ambroſius lib. de Job c. 9. hoc myſterium intellectu ſuo comprehendere cupientes, ac ait, non licet vobis curioſiùs inveſtigare, quæ in terris geruntur, & curioſiùs inquiritis quæ ſuper cœlum aguntur; timete; qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.

Si ipſi Seraphini ſtant coram throno Dei & contremiſcunt ac facies ſuas præ intima reverentia alis ſuis contegunt?

(a) *Proverb. cap. 25.*

tegunt? Cur non & nos miseri Exemplum hoc Angelicorum Spirituum sequamur?

Claudamus ergò oculos, obtegamus facies, amplectamur silentium, humili mente mysterium veneremur, firma fide id profiteamur, semperque collimemus quâ ratione erga Triadem sacram grati & devoti esse possimus, juxta consilium BBmi. Joannis Landspergii, qui Dominicâ 1. post Trinitatem sic nos instrnit: Vos igitur filii Trinitatem, quia non potestis perfectè capere, hanc amate, illi servite, illam adorate, illi vos commendate, atque per omnia illí placere studete, & si forte normam, quomodo hæc fieri queant, desideratis, eam sequenti discursu vos docebo.

Ad donum condignum, quod divinæ Majestatis oculis placeat, non opus est, ut mactemus victimas & holocautomata, hircos aut vitulos, vel accendamus suaveolens thymiama, quod odoretur Dominus; cum id Isaiæ cap. 1. aversetur dicens: *Ne offeratis Sacrificium ultra, incensum abominatio est mibi.* Quid ergò offerendum? nolite solliciti esse de munere, digito id vobis à longè demonstrat Augustinus in psal 50. scribens: In te habes quod offeras, noli extrinsecus thura comparare, sed dic, in me sunt Deus vota mea; noli extrinsecus pecus, quod mactes inquirere, habes in te, quod occidas.

Et si nondum rem capitis patescet illa omnimodè ex ænigmatico quodam versu Poetæ dicentis:

Tolle caput Corvi, caput Ovis, viscera Cervi:
Offer ista Deo, inde beatus eris.

Aut si Poetæ non creditis, auscultate solùm quid solitario Anachoretæ contigerit; hunc, cum prius assiduis precibus & suspiriis sollicitasset Dominum, ut revelare sibi dignaretur, quid potissimum ab homine Numen reposceret, quid maximè gratum & acceptum ipsi foret, exaudivit tandem Altissimus, at solùm per submissum Genium in ænigmate sequenti ei respondit.

Dimidium Lunæ, Solem cum Principe Romæ,
Postulat à nobis supremus Conditor Orbis.

Nec opus est Oedipo in binis suis his Logogryphis explicandis.

Caput Corvi est prima littera C
Caput Ovis est itidem prima littera O
Viscera Cervi denotant med. litt. R
Quas si conjungatis, iñ^tescet vobis mox exoptatū munus Deo offerendū

COR

Idem significat alterum ænigma Eremitæ submissum.

Luna decrescens exhibet litterā C
Sol assimilatur litteræ - - - - - O
Romæ Princeps littera, signat R
conjungite has ternas litteras, & iterum prodibit.

COR

Et hoc est, quod à nobis expetit Altissimus Proverb. 23. dicens: *Fili præbe mibi cor tuum.*

(a) *Cornel. in c. 23. Proverb.*

Unde

Unde Bernardus Epiſtola ad quendam poſtulantem, quid à nobis Deus requirat, ait: Cor noſtrum nil dignius producere poteſt, quàm ut ei ſe reſtituat, à quo factum eſt.

Sed jam veniunt Nicodemi & quærunt, quomodo poſſunt hæc fieri? Unicum ſolum eſt cor homini, & Tres ſunt qui illud expetunt.

Poſtulat id æternus Pater Jure Creationis, utpotè qui finxit ſingillatim Corda eorum: Pſal. 32.

Poſtulat hoc Unigenitus Dei filius Jure redemptionis, qui nos ita dilexit, ut & cor ſuum ſacroſanctum lanceâ in Cruce transfixum obtulerit Patri.

Poſtulat hoc & Spiritus Sanctus, utpote quod in ſacro baptiſmate ab ipſo eſt ſanctificatum.

Agite nnnc AA. cui ex Tribus donabimus illud?

Si interrogemus Simeonem Leproſum, Reſpondebit is nobis, *æſtimo illi, qui plus donavit.*

At Pater donavit nobis Unigenitum ſuum filium, in quo omnes ſunt theſauri Sapientiæ & Scientiæ abſconditi, (a) quid majus excogitari poteſt?

Filius donavit nobis carnem ſuam & ſanguinem; quid pretioſius inveniri poteſt?

Spiritus S. contulit nobis omnia dona & chariſmata gratiarum, quid æquari aut aſſimilari poteſt?

Videte AA. dilecti, cor noſtrum expetunt omnes; nullum excludere, nullum repellere, nulli denegare illud audemus. Quid ergo agendum?

Obſecro vos Cœlites ſuccurite miſeris, ac conſilio ignorantes inſtruite. Et ecce in hac perplexitate conſolatur nos Divinus Athanaſius in Sacro ſuo Symbolo, nobis occultè in aurem inſinuans, ſi *tres ſunt in cœlo*, qui in terra cor veſtrum expetunt, *Pater, Filius*, & *Spiritus* S. nolite turbari, *& hi tres unum ſunt.* 1. Joan. 5.

Hoc fundamento poſito, licet unicum cor tantum poſſideamus, ſufficiet id tamen his tribus perſonis.

Æterno Patri ergò dabimus *cor humiliatum.*

Unigenito Filio *cor contritum* ſacro demum *πνέυματι cor mundum & immaculatum.*

Sed novo circulo redit dubium inquirens, quid ſit cor humiliatum?

Nodum dubij hujus pulchrè diſſolvit Cornelius à Lapide in cap. 4. Epiſt. S. Jacobi ſcribens; Humilitas vera nihil eſt aliud, quàm vera & practica cognitio ſui & Dei: nimirum ut homo cognoſcat ſuum nihilum & ſimul immenſitatem Dei conſideret: hæc bina ſpecula neceſſe eſt, ut ſemper ante oculos mortalium pendeant, ut horum intuitu cor humile reddetur.

Speculum primum enim ſi inſpiciat homo, mox cernet miſerabilem originem ſuam, ac fateri cum rubo-

(a) *Coloſſ. c. 2.*

re cogetur, quod non sit aliud, quàm cadaver putridum, esca vermium, (a) vas sterquilinii, concha putredinis, ut loquitur Augustinus in suis soliloquiis; genitus per immunditiam, vivens in miseria, moriturus in angustia; (b) natus de muliere brevi vivens tempore, repletus multis miseriis. (c) Secundùm Aristotelem fortunæ ludus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium.

Secundùm Clarevallensem Abbatem, (d) sperma fœtidum, saccus stercorum, esca vermium; An non ergò satis causæ habet homo, ut pennas demittat, & sese humiliet, utpote cujus conceptio culpa, (e) nasci pœna, labor vita, necesse mori.

Econtra si oculos defigat in Speculum alterum ac mente perpendat incomprehensibilem potentiam, incircumscriptibilem sapientiam, infinitam ac ineffabilem bonitatem, aliaq; attributa Dei, mox in se descendet, ac cum Francisco exclamabit: Quis Tu Domine, quis ego?

Tu abyssus omnis boni: ego abyssus omnis vanitatis & miseriæ.

Tu sapientia æterna; ego stultissimus virorum.

Tu Sanctitas & puritas infinita, ante cujus conspectum etiam cœli non sunt mundi Job. 15. Ego econtra in peccatis conceptus, in peccatis natus, *qui quasi aquam sic iniquitatem bibo.*

Tu Majestas immensa & terribilis, coram quo columnæ cœli contremiscunt: Job. 26. Ego lutum, cinis, pulvis, umbra & nihilum.

Tu fortitudo ineffabilis, qui tribus digitis appendis molem terræ (f) librans in pondere montes, & colles in statera. Ego arundo mobilis, vitrum fragile, (g) folium quod vento rapitur, nunquam in eodem statu permanens: Ex duplici igitur consideratione hac, resultabit necessariò conclusio ista: (h) non apponat ergò se homo magnificare super terram, (i) *quid ergò elevat te cor tuum, ut quid tumet contra Deum Spiritus tuus?* (k) pulvis es, & in pulverem reverteris, (l) Magnus verò Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis ejus non est finis.

Tibi Domine gloria, laus & honor; (m) nobis autem confusio faciei nostræ.

Et hoc est cor humile agnoscere immensitatem Dei, & sui nihilum penetrare.

Post oblatum cor humile æterno Patri; offerendum est quoq; Filio cor contritum. Si inquiratis in quo consistat cor contritum, Respondebit vobis mox Augustinus serm. 7. de temp. dicens, cor contritum est; quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in anima, quod antea dulce fuit in vita; & quod prius oblectabat in corpore, ipsum nunc te cruciat in mente. Si nunc

(a) *August. in soliloqu.* (b) *Job. c. 14.* (c) *Aristoteles apud Stobæum.* (d) *Bernard. l. med. c. 3.* (e) *Ber. ibidem.* (f) *Isaiæ. 40.* (g) *Job. c. 13.* (h) *Psal. 9.* (i) *Job. c. 15.* (k) *Gen. c. 3.* (l) *Psal. 144.* (m) *Dan. c. 9.*

Si nunc amara existunt tibi gaudia & voluptates sæculi, quibus antea avidâ mente inhiabas.

Si omnia, quæ in mundo sunt, nil aliud tibi videntur, quàm vanitas & afflictio Spiritus.

Si aurum reputas ut lutum, gemmas ut sputum, dignitates, honores & universam pompam sæculi ut fumum summè nocentem oculis.

Si recogitare incipis in amaritudine animæ tuæ delicta juventutis tuæ.

Si cum Hieronymo cor tuum ferias lapide, semperq; in auribus tuis insonet tuba illa : surgite mortui, venite ad judicium.

Si cum Davide cum cinere manducas panem tuum, & stratum tuum lachrymis rigas ; Si ita firmum & sanctum est propositum tuum, non amplius Deum offendendi, ut exclames : O Deus ! in quacunq; hora manum meam extendam ad illicita, precor te, ut prius exarescat illa, melius enim est mancum & debilem ad vitam ingredi, (a) quàm duas manus habentem, mitti in ignem æternum.

O Deus ! in quocunq; momento oculus meus deprædari volet animam meam, eruant eum corvi, melius mihi erit absq; lumine in vitam æternam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

O Deus ! antequàm lingua mea petulans iterùm fortè erumpat in maledicta, & scurrilia ; in detractiones sese effundat, rogo ut prius instar piscis obmutescat.

O Deus! antequam te iterum mortali peccato offendam, rogo, ut prius rumpatur cor meum, & Corpus meum in cineres abeat.

Si sic pœnitetis, cor contritum possidetis. Ita testatur August. serm. 7. de tempore : Ista est filioli vera pœnitentia, quando sic convertitur quis, ut non revertatur, quando sic pœnitet, ut non repetat ; inanis enim est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat.

Sed nec hic sistit, ulterius pergit, teste Augustino l. de pœnit. c. 15. pœnitentiæ medicina : non enim sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, Satisfactio Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium præstetur.

Hoc ad amussim præstitêre illi Eremitæ pœnitentes, de quibus oculatus testis Joannes Climacus memorat gradu 5. de pœnit. Cùm pervenissem ad pœnitentiæ locum, quosdam vidi noctibus totis sub dio stare pervigiles : alios miserabiliter in cœlum intuentes, & illinc adjutorium cum gemitu & suspiriis petentes : Alios reorum in modum vinctis post terga manibus humi facies inclinantes, indignos se, qui in cœlum aspicerent, vociferantes : alios in pavimento strato cilicio & cinere seden-

(a) *Math, c, 18.*

sedentes; alios jugiter pectora tundentes & amaris lachrymis vitam anteactam deplorantes: Hi utiq; omnes cor contritum Salvatori exhibuerunt, nam teste Gilberto: (a) vulnerati & contriti cordis signa sunt lachrymæ ob peccata fusæ; pœnitentiam enim certam nil facit, nisi odium peccati & amor Dei, ait S. P. Augustinus serm. 7. de tempore.

Aliter longè constitutus fuit Nobilis ille, quem cum Robertus Bellarminus extremè ægrotantem inviseret, ac admoneret, in hoc periculoso rerum articulo, nil melius ac gratius Deo offerri posse, quàm cor contritum, (b) cum David testetur: Cor contritum & humiliatum non despicies. Replicavit æger, quid est cor contritum? non capio. Regerebat Bellarminus, hoc est Cor contritum; quod ex toto corde doleas, ac tibi displiceat omne id, quod in Deum peccasti, & ex hoc tempore statuas ex puro amore Dei, qui tot beneficiis te prævenit, eum non amplius offendere; hoc est cor contritum: Respondit iterum Aeger, non intelligo, & sic paulò post infelicem animam in Orcum transmisit.

O quàm benè scripsit D. Augustinus dicens: (c) *Hac animadversione percutitur peccator, ut in morte obliviscatur sui suæq; salutis, qui vivens oblitus est Dei.*

Cor deniq; 3tium sacro πνεύματι offerendum est cor mundum & immaculatum.

Mundum secundùm Jansonium, & Cajetanum ab omni falsitate, deceptione, fraude & dolo, nam Sap. c. 1. *Spiritus disciplinæ effugiet fictum.*

Mundum juxta mentem Salazar ab omni odio, rancore & vindicta, pacificum & quietum, nam Chrysostomo teste, (d) non habitat Spiritus Sanctus ubi furor & iracundia.

Mundum secundùm Ven. Bedam ab omni impuritate, (e) immunditia mentis & corporis; Spiritus enim Sanctus odit sordes.

Mundum ex mente Ambrosii & Basilii, ab omni macula & turpitudine peccati, *non enim habitabit Spiritus Sanctus in corpore subdito peccatis*: Sap. 1.

Mundum deniq; secundùm Bernardum Epist. 256. quando omnis cogitatio terminatur in Deum, giratur & circumflectitur super eum, nihilq; vult possidere penitus præter eum, ubi omnis amor & affectus est alligatus Deo.

Tale cor fuit sacerdotis illius Romani, de quo Paulus Barri refert, la faveur de JEsus c. 2. devot. 4.

Obierat Romæ Sacerdos mirè addictus Cruci Christi ejusq; cruciatibus, tantoq; affectu in Cruce contemplanda ferebatur, ut in eam cor animusq; commigrasse jure dicerentur: Hic ergò cùm magna Sanctimoniæ

(a) *Gilbertus super Cant.* (b) *Psal. 50.* (c) *S. August. serm. 3. de Innocent.* (d) *Chrysost. hom. 3. ad pop.* (e) *Bern. S. 3. de Pentec.*

moniæ famâ è vivis excessisset, nesciretur q; causa tam præproperæ mortis, propinquis ejus visum est non abs re fore, si corpus defuncti aperiretur, cumq; jam interiores partes essent denudatæ, apparuit cum omnium stupore cor abesse, cùm ergò toti attoniti Medici huc illuc oculos girarent, adverterunt tandem non absq; lachrymis in Oratorio defuncti pedibus Crucifixi cor esse affixum, ubi verissimè completum illud Matt. 6. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

Felicius utiq; cor, quàm illius Usurarii in cujus exequiis cum concionem haberet Antonius Paduanus, ac pro themate uteretur verbis illis Christi; Ubi est thesaurus tuus, (a) ibi est cor tuum: diceretq; mortuus est hic dives, & sepultus in inferno; Ite ad thesaurum ejus & in medio illius invenietis cor ejus, abiissentq; amici ad inquirendum, cor ipsius adhuc calidum in medio nummorum invenerunt. Cornelius in c. 6. Matt.

Absit à nobis Cor tale impium, quod non Deo sed Mammonæ affixum adhærebat; Cor non absimile illi, quod Bernardus 1 de Cons. ad Eug. describit: Cor durum, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur, ingratum ad beneficia, præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens.

(a) *Cornelius in c. 6. Math.*

Non tale cor tibi offerimus Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, sed cor sanctum & humiliatum: tribue ò Pater cœlestis, ut illud semper in consideratione sui nihili perseveret, cui semper pro tessera inscriptum sit, pulvis es, & in pulverum reverteris, da ut nulla unquam prosperitas hujus sæculi in superbiam id elevet, nulla adversitas turbet, nullibi contentetur, donec requiescat in te.

Et tibi Christe JEsu offerimus cor contritum, lachrymis nostris ubertim aspersum, te suppliciter rogantes, ut cor contritum & humiliatum non despicias; ablue obsecro illud ulterius aqua Sacratissimi lateris & pretiosi tui sanguinis, fac ut tanquam cera liquescens semper affixum adhæreat sacratissimo cordi tuo, semper te diligat, semper te cogitet, in luctu deniq; & lachrymis ob te toties offensum penitùs contabescat.

Tibi demùm ò SSme Spiritus offerimus & dedicamus cor purum & immaculatum, & si illud fortè non satis adhuc oculis Divinæ Majestatis tuæ expurgatum, si maculæ nonnullæ ei etiamnum adhærent, si pulvere terreno adhuc est conspersum, si concupiscentiæ flammis afflatum, rancoris aut odii fumo denigratum, imperfectionum rubigine obductum, omnia amoris tui igne absume ac purifica,

Lava quod est ſordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est ſaucium.

Fac demùm ò SSme Spiritus, ut ſicut in corde glorioſi tui Martyris & Epiſcopi Ignatii à Trajano Leonibus objecti nomen JESU aureis litteris exaratum, eſt inventum, ita & in cordibus noſtris ſit ſcriptum nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen.



IN

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.



Hic eſt Panis, qui de Cœlo deſcendit. Joan. 6.

REferunt antiqui Hiſtorici Plutarchus lib. 1. Symp. Macrobius lib. 7. Sat. Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 6. cap. 13. Morem perquam laudabilem extitiſſe Athenis inter Philoſophos & Sapientes eorum, qui ſtatutis temporibus poſt occaſum ſolis convenientes, noctis partem non minimam, inter docta colloquia, Philoſophicos diſcurſus, & ingenioſa Aenigmata tranſegerunt: vocabanturq; Colloquia hæc Cœnæ ſapientûm.

Horum nonnulla Aenigmata ex Venerabili Beda collecta, doctiſſimus Cornelius à Lapide in expoſitione

capituli 16. Proverbiorum nobis consideranda, & elucidanda proponit: quorum primum est, *Qui sunt, qui sani ægrotant?*

Alterum: *quâ ratione homo non lassatur?*

Tertium: *quid est longissimum?*

Quartum: *quid est brevissimum?*

Quintum: *quid Regi & mendico commune?*

Sextum: *quid optimum & pessimum?*

Septimum: quid deniq; illud, *quod aliis placet, aliis displicet?*

Inde sapienter prædicta Aegnimata ita dissolvit, ac ait.

Vitam esse, quæ aliis placet, aliis displicet.

Linguam esse optimum, si homo illa benè utatur; pessimum verò si abutatur.

Regi & mendico commune esse nasci & mori.

Brevissimum esse memoriam beneficiorum, quia velox eorum oblivio; longissimumècontra memoriam injuriarum, quia immemoriali tempore non deletur.

Hominem nunquam minus lassari, quàm lucrum faciendo.

Deniq; non esse alios, qui sani malè habent, quàm invidos, quibus si aliis benè est, hisècontra est malè.

Videntur mihi hæ Philosophicæ Cœnæ originem suam desumpsisse ex ipsissima sacra Scriptura: patet hoc partim ex Esdræ lib. 3. dum in Cœna illa magnifica Regis Darii disputatione factâ à Regiis Ephæbis, tot ingeniosis argumentis inquisitum, quid nam *in Orbe esset & fortissimum*: partim Judicum c. 14. dum fortissimus ille Samson nuptiali Cœnæ assidentibus hospitibus, ingeniosum illud Problema dissolvendum proposuit: (a) *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.*

Omni præconio, & laude dignæ erant hæ Sapientum Cœnæ, utpotè quæ non irritamentis guiæ, sed doctis discursibus condiebantur, non corpus, sed mentem saginantes.

Cœnam magnam proponit & nobis hodie Ecclesia Catholica, ad illam cunctos humanissimè invitans: (b) *Homo quidam fecit cœnam magnam; & vocavit multos.* Hanc igitur Cœnam magnam, ingenioso Aenigmate hodie condire mihi est animus: propono ergo vobis problema. Edicite Auditores, quisnam ab Orbe condito extitit nobilissimus ac deliciosissimus Bolus?

Respondebitis mihi utiq; cum Macrobio lib. 3. Saturn. cap. 17. pretiosiorem, & delicatiorem Bolum nulli regiæ mensæ esse illatum, quàm Unionem illum, cui similem magnitudine & specie hactenus non viderat Orbis, æstimatum tercenties sestertium, id est, ut Adrichomius supputat, ducentis quinquaginta millibus coronatorum, quem Cleopatra Regina Aegypti, cum Marcum Antonium convivio excepisset magnificentiam suam moustratura, ab aure detractum ac aceto liquefactum,

(a) *Judicum c. 14.* (b) *Luc. 14.*

ctum, in phiola aurea absorbsit: Bolus utique rarus, charus, & pretiosus.

Aut cum Valerio Maximo lib. 4. capite sexto sentietis, nobiliorem, suaviorem & pretiosorem cibum nunquam adinventum, quàm cineres demortui Mausoli Regis Cariæ, quos Uxor ejus Artemisia Conjugis sui ultra humanæ affectionis fidem amans, vino generoso commixtos pro dulci nectare quotidiè ebibit.

Vel cum Ascetis tenebitis, pretiosiorem missum nulli unquam mensæ impositum, quàm venerandum caput D. Joannis Baptistæ, in disco ab Herodiade illatum, quod ipsemet Herodes (in hoc) non iniquus Judex ptetiosius existimavit dimidio regni sui, unde contristatus est propter jusjurandum. Ferculum quidem triste convivis, sed Deo acceptabile ac lautum.

Aut fottè cum interpretibus scripturæ sacræ asseretis Bolum nullum majori pretio unquam stetisse, quàm malum illud Paradisi ab Adamo admorsum, à quo omne postmodum malum orbem intravit? Esca super qua adhuc hodie (a) *dentes filiorum obstupescunt.*

Hæc vos fortè auguramini, ego ècontra pace vestrâ firmiter teneo, nobiliorem, pretiosiorem, dulciorem ac suaviorem escam ab orbe condito non inventam, quàm Sacrosanctum Altaris Sacramentum sub speciebus panis & vini latitans, ac hodiernà die à cunctis mortalibus adorandum in Altari propositum.

Esca verè pretiosa, quam Omnipotentia Patris præparavit; esca nobilis, quam Sapientia Filii adinvenit; Esca delicata, quam Bonitas Spiritus Sancti condivit,

Esca aceto & felle in cruce macerata longè pretiosior unione Cleopatræ.

Esca, quæ secundùm mentem D. Ignatii M. est mortis antidotum, (b) pharmacum immortalitatis.

Esca juxta Albertum M. vegetans ad vitam æternam. (c)

Esca juxta Rupertum Abbatem & Antidotum contra serpentis Venenum, vincens arborem vitæ. Verbo Panis Angelorum, manna absconditum, medicina infirmorum, viaticum morientium, pignus futuræ gloriæ.

Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret.

Ad intentum nostrum sapientissimè discurrit Angelicus Doctor, dum varios gradus amoris & libertatis divinæ erga hominem recenset. (d)

Primum gradum ait extitisse, quando Deus in gratiam & favorem hominis cœlum & terram ex nihilo produxit.

Secundum, dum constituit hominem super omnia opera manuum suarum,

(a) *Ezechiel cap. 18.* (b) *Ep. 14. ad Ephes.* (c) *Rupertus lib. 3. cap. 18.* (d) *S. Thom. Opusc. 58. cap. 3.*

ſuarum, ſubjiciens pedibus ejus oves & boves, (a) & omnia pecora campi; mandans inſuper angelis ſuis, ut cuſtodiant eum in omnibus viis ſuis. (b)

Tertium, quando unigenitus Dei Filius, ſinu paterno relicto, è cœlis ad terras deſcendit, (c) *formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo.*

Quartum, quando non contentus naturam humanam ſuſcepiſſe, inſuper nobis factus eſt Doctor & Magiſter, exemplum & prototypon omnium virtutum, (d) *Via, Veritas & Vita.*

Quintum, quando pro ſalute noſtra, innumera tormenta paſſus, chyrographum debiti, quod per peccata noſtra contraxeramus ſuo ſanguine delevit, affigens illud cruci. ad Coloſs. 2.

Sextum verò gradum ait eſſe complementum omnium præcedentium, quando nimirùm homini carnem ſuam dedit in cibum, ſanguinem in potum, animam in pretium, deitatem in condimentum, ut loquitur Albertus Magnus. (e) Unde Concilium Tridentinum Seſs. 13. vocat Sacramentum, in quo divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit.

In primo gradu amoris manifeſtavit Deus ſuam Omnipotentiam, dum unico verbo grandem hanc orbis machinam, cœterasque ſphæras cœleſtes ex nihilo produxit, (f) ubi fecit magna, qui potens eſt.

In ſecundo gradu eluxit ineffabilis Dei Providentia, quando fragili homini, ut inter millena pericula hoſtium viſibilium & inviſibilium ſecurus & tutus conſiſtere poſſet, nobiliſſimam cuſtodiam angelicam aſſignavit.

In tertio gradu enituit Sapientia æterna, à quâ adinventum medium, quo reparatio fieret perditi hominis, & aditus per Incarnationem tierum aperiretur ad cœlum.

In quarto eluxit iterum ſumma Bonitas Dei, quæ Filium proprium pro Magiſtro & Inſtructore ſpeculoque virtutis & perfectionis humano generi ſubmiſit juxta id, quod Iſaiæ cap. 30. ſcriptum, *erunt oculi videntes præceptorem tuum.*

In quinto concertarunt invicem in Paſſione Chriſti juſtitia & miſericordia, nec ceſſarunt, donec ambabus per mortem ejus ſatisfactum, ac Juſtitia miſericordiæ oſculum pacis impreſſit.

At in ſexto amoris gradu omnia attributa divina reſplenduerunt. Reſplenduit Potentia Dei in exhibitione tot miraculorum, ſiquidem ſecundùm D. Thomam Opuſc. 59. cap. 1, in illa verba memoriam fecit mirabilium ſuorum, in hoc Sacramento videre eſt.

Miraculum in Subſtantia, quia panis tranſit in ſubſtantiam Chriſti.

Mira-

(a) *Pſal. 8.* (b) *Pſal. 90.* (c) *Ad Philip. cap. 2.* (d) *Johann. cap. 14* (e) *Albertus M. d. 1. T. 1. cap. 1.* (f) *Luc. cap. 1.*

Miraculum in Accidentibus, quæ manent extra subjectum, nec insunt ei, nec inhærent.

Miraculum in Quantitate, quia secundario privatur effectu, non se extendit, nec locum occupat.

Miraculum in Qualitate, quippè in parva hostia tam magnus, sicut fuit in cruce, & modò est in cœlo.

Miraculum in Relatione: Christus enim novam acquirit dependentiam, non tamen novum esse.

Miraculum in Actione, quia verba vim habent productivam, unoquoque enim momento secundùm Anselmum cap. 1. de Sacramento Altaris, qui ad dexteram Patris sedet in cœlis obediens voci hominis sacrificatur in mensa Altaris.

Miraculum in Passione, quia manducatur, nec consumitur, *sumit unus, sumunt mille, tantum iste, tantum ille, nec sumptus consumitur.*

Miraculum in Tempore, quia simul in instanti corpus Christi è cœlo est in terra.

Miraculum in Motu, quia simul inferius est & superius, simul movet, & quiescit.

Miraculum in Situ, quia caput non longè abest à pedibus, cum sit ind visibiliter, membra tamen sibi ipsis aptè connexa.

Resplendet iterum Sapientia Dei cooperans in hoc Sacramento, dum modum adinvenit ineffabilem, quomodo nimirùm mediante hâc esca divinâ, totus homo uniretur Deo juxta mentem Augustini lib. 7. conf. cap. 1. dicentis, manducabis me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me; nam teste Cypriano Cathechesi 4. sumpto corpore & sanguine Christi ei comparticipes & divinæ naturæ consortes efficimur.

Sapientia excogitavit rationem, ut eo modo, quo mors in mundum intravit, intraret & vita: Sicut enim ejus ligni vetiti mortem nobis intulit, ita panis Angelorum vitam mundo dedit, & sicuti primo nostro Parenti dictum est Gens. 2. *In quocunque die comederis ex eo morte morieris*, ita è contrario nobis dicitur Joann. cap. 6. *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Sapientiæ inventum denique fuit, cibum hunc cœlestem ità condire, ut de eo verè dixerit Urbanus 5. summus Pontifex de instit. Festi: Cibus est, qui reficit & impinguat non corpus, sed Cor, non carnem, sed animam, non ventrem sed mentem.

Resplendet & in hoc Sacramento Immensitas Dei dum in omni loco præsens est, *ubi sacrificatur, Domino & offertur oblatio munda Malach c. 1.*

Resplendet Infinitas Dei per Durationem, dum juxta promissionem Christi Salvator nobiscum manet in hoc Sacramento usque ad consummationem sæculi.

Resplendent Bonitas & Misericordia Dei, dum memoriam faciunt mirabilium suorum, & escam cœlicam præparant timentibus se.

At AMOR

At AMOR velut Victor triumphat ac secundùm Albertum Magnum dist 1. Tom. 1. cap. 1, palmam refert, dum nobis hodie corpus Christi in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, Deitatem in condimentum, atque perenne charitatis monumentum subministrat, quasi, ut ait Sanctus Bernardus, (a) non suffecerit amantissimo Jesu ad inebriati amoris sui ostentationẽ, quod semel sacrum sanguinem pro nobis effuderit in ligno, nisi nobis quotidie effunderet eundem in sacramento.

Unde in Sacramenti hujus amorosa Institutione impletum esse videtur, quod Gen. 2 scribitur: *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrârat*: Postquam enim Sacramentum hoc tanquam ultimum complementum Omnipotentiæ, Sapientiæ & Bonitatis Dei est institutum mox Potentiæ Divinæ præfixi sunt termini, Sapientia æterna requiescere jussa, amori demùm divino Columnæ Herculeæ sunt positæ, quibus aureis litteris inscriptum *non plus ultra*; consummatum est.

Ita apertè testatur D. Augustinus tract. 84. in Joannem. (b) *Audeo dicere, quod Deus, cum sit omnipotens plus dare non potuit; cum sit sapientissimus, plus dare nescivit; cum sit ditissimus, plus dare non habuit.* Unde appositè concil. Trident Sess 13. ait, Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.

Quis nunc calamum devotissimi Abbatis Guarici serm 1. de Pentecoste temeritatis accusabit, dum scribere est ausus: O Deum! si fas est dicere prodigum sui, qui non solùm sua, sed & seipsum impendit: parùm erat illi, ait prædictus Abbas alio serm. de prodigo, viscera miserationis suæ non claudere miseris, in ipsâ suâ eos viscera trahit, suisque inserit membris. Vera dixit, locutus est, ut genuinus Augustini discipulus.

Sic Deus dilexit mundum, (c) *ut filium suum unigenitum daret*! ò datum optimum! o donum perfectum, (d) descendens à Patre luminum

O amorem interminabilem! ò charitatem inæstimabilem ò dilectionem inscrutabilem! ò cibum ineffabilem! ó ignem immensæ charitatis, cujus flamma, non ut ignis ille fornacis Babylonicæ per 49. cubitos, sed per cuncta attributa Dei erumpit & effunditur ad accendenda corda mortalium in amore Numinis.

Quod olim Esdræ lib. 4. dictum ab Angelo, idem & nobis hodie inculcatur à Domino, *vade pondera mihi pondus ignis hujus cœlestis*, metire amorem hunc infinitum, exhauri oceanũ hunc charitatis; omnes libræ, cunctæ stateræ, universæ bilances ac mensuræ

(a) *Bernard. serm. 64. in Cont. apud Rotam in Parasceve* (b) *Item lib 2. in Isa. apud Rotam fer 6. Parasceves.* (c) *Joann cap. 3.* (d) *Jacob. cap. 1.*

mensuræ tibi deficient, ponderari enim ignis non potest, mensurari nequit.

Ponderant quidem avari divitias suas staterâ aureâ.

Ponderant libidinosi delicias & voluptates suas veluti Cæsariem Absolonis pondere publico.

Ponderant Vindicativi irrogatas ab hoste injurias libra gravi ac plumbi laminâ.

Ponderant Peccatores scelera sua ut plaustra fœni, *sed stateræ hæ dolosæ abominatio sunt apud Dominum. Proverb. cap. 11.*

Nec mundo desunt bilances: habet is stateras ternas, quibus amorem ponderare præsumit.

Prima est statera amoris paterni in filios, & vicissim natorum in parentes.

Altera Conjugum in Maritos, tertia demum, quâ amicorum dilectio trutinatur: sed & omnes istæ fallunt.

Magnus est quidem amor paternus ac filialis, affectus fortis, qui adeò titillat pectora eorum, ut cum Agrippina exclament (a) *occidat, modò imperet.*

Amor hic impulit Zaleucum Legislatorem Locrensem, (b) ut cum Filius ejus lege latâ ob adulterium commissum esset exoculandus Parens ex tenero amore unum sibi alterum filio erui sit passus.

Amor hic impulit Ptolomæum Lagi Filium Regem Ægypti, (c) ut non solum regnum cesserit Filio, verùm tanquam pro eo stipendia faceret, inter vigiles regios custodias diu noctuque abiret; majori affectus gaudio, quod Regis Pater, quàm quod Rex esset.

Amor hic ita dementavit Seleucum Asiæ Regem, (d) ut Filio Antiocho ex insano amore ad mortem occumbenti Stratonicem propriam Conjugem incesto matrimonio junxerit. Magnus & potens erat iste amor, sed rarus. Siquidem & Parentes naturæ paternæ obliti in viscera quandoquidem sua etiam desævierunt.

Extitere Manlii Torquati (e) & Leovigildi, Filios securi carnificis subjicientes. (f)

Fuere Solymanni & Sigismundi, (g) Sigericos & Mustaphas proprios Filios strangulantes. (h)

Inventæ sunt Medææ ac maledictæ Prognes, natos suos crudeliter discerpentes, (i) ac propria viscera verubus torrentes. (k)

O stateram fallacem amoris & affectus paterni!

Deterioris ponderis est amor Conjugalis, parùm & exiguum fidelitatis habens.

Mortuæ sunt fideles Artemisiæ cineres defunctorum Conjugum in corpore suo tumulantes. (l)

Nnn Mortuæ

(a) *Sueton.* (b) *Valerius lib. 6. cap 5.* (c) *Fulgosus lib. 4. cap. 7.* (d) *Salianus anno mundi 3760.* (e) *Gellius lib 9. cap. 13.* (f) *Greg. M. lib. 1. dialog.* (g) *Gregor. Turon lib. 3. cap. 5.* (h) *Lipsius lib. 3. epist. 22.* (i) *Ovidius 3. Tristium.* (k) *Ovidius lib. 6. met.* (l) *Herodotus lib. 7.*

Mortuæ ſunt Reginæ Angliæ, venenata ulcera Maritorum, linguâ ſuâ exurgentes. (a)

Mortuæ ſunt Evadnes, quæ in ignes & rogos cum maritis in cineres abituræ, ſeſe conjecêre. (b)

Dantur écontra novæ Semiramides, quæ facilè in capita Maritorum conſpirant. (c)

Vivunt Ariadnæ, quæ Zenones adhuc viventes tumulant. (d)

Vivunt Meſſalinæ, quæ viris ſuis venenatos boletos porrigunt. (e)

Dantur Danaides, quæ non verentur in lecto dormientes maritos ſtrangulare. (f)

Regnant Nerones, qui Poppæas gravidas ictu calcis occidunt. (g)

Regnant Herodes (h) & Ludovici Severi, qui innocentes, ſcelerisq; puras Conjuges gladio carnificis ſubjiciunt. (i)

Vivunt adhuc crudeles Othones, qui ardenti rogo uxores ſuas injiciunt incinerandas. (k) O amorem fallacem! ò bilancem nullius ponderis!

Si bilances hæ binæ aberrant, quid ſperandum de tertiâ, quanti ponderis erit demùm amicorum amor & dilectio?

Quod de amicis Octaviani Augusti narrat Bartholi, de omnibus univerſim id dici poteſt: (l) Ad amicos quod attinet, ſi numerare nominaeorum voluiſſet, innumeros habebat, ſi ad factorum bilancem illos appendere, inveniebat non plures duobus.

Numerat quidem mundus amicos aliquot, qui fideles uſque ad aram in amore perſtitêre: ſed rari ſunt nantes in gurgite vaſto: Si enim Pyladem & Oreſtem, ſi Niſum & Eurialum, ſi Damonem & Pythiam, ſi Davidem & Jonatham demas, extitere cœteri ſolum hyrundines & vagæ ciconiæ in tempore tentationis avolantes, amicorum nomine indigni; quorum amor appenſus in ſtatera nil aliud erat niſi ſal volatile, quod dum aperitur mox evaporat.

O amorem evanidum! quem verbulum unicum inconſideratius prolatum, ſecum in auras tollit & diſpergit!

O amorem vanum! quem torvior vultus aut minax oculorum nictus mox turbat, & in frementum agit.

O amorem miſerum, quem leviuſcula ſuſpicio ſæpius extinguit.

O amorem fragilem, cujus nodus ad minimæ offenſæ ſpeciem mox diſrumpitur, ac ex animo infenſum hoſtem efformat!

Abite abite volatiles amores mundi, qui pondus ſanctuarii non habetis,

(a) *Rodericus Santius p. 1. hiſt. Hiſp. c. 4.* (b) *Virgil. 6. Æneid.* (c) *Ælianus lib. 7. de varia hiſt. cap. 7.* (d) *Zonaras Tom. 3. Ann.* (e) *Suetonius in Claudio cap. 45.* (f) *Ovid. lib. 4. Metam.* (g) *Tacitus annal. lib. 16.* (h) *Joſephus lib. 15. cap. 11.* (i) *Raderus p. 2. Ban. S.* (k) *Crantius lib. 4. cap. 24.* (l) *Daniel Bartholi in Promont. Capbareo.*

tis, non amor eſtis, ſed fumus & amurca dilectionis.

Aliter conſtitutus eſt amor ille divinus, quo miſeros mortales altiſſimus complectitur: excedit ille ac ſuperat infinities omnem amorem mundi cœpit is ab origine mundi, & durabit uſque ad conſummationem ſæculi.

O mi Deus amoroſe! tabeſcit in me cor meum, cum amorem tuum conſidero. O quàm longus eſt iſte amor tuus, quàm immenſus, quàm exceſſivus, quàm indefeſſus, quo tu Deus lutum, Creator creaturam es complexus!

Quis unquam Pater aut Mater ita tenerè dilexit filium, ut eidem corpus ſuum in eſcam, ſanguinem in potum ſit elargitus?

Quæ unquam hæreditas pinguior relicta eſt filiis, uti illa quam in cœlo præparavit diligentibus ſe?

Quis Maritus uxorem ſuam in ſcelere deprehenſam ita dilexit, ut ſcelere omni condonato in antiquam gratiam & thronum receperit? & tu! ò anima mea, quoties ſpreto Deo adhæſiſti amatoribus tuis, mundo, carni & dæmoni, & tamen ſemper tibi inclamat Deus revertere: revertere & ego ſuſcipiam te, dicit Dominus.

Quis denique amicus tanta tormenta tanta opprobria, tot pœnas, tot ludibria ſuſtinuit pro amico, uti Salvator noſter pro inimicis & peccatoribus, in veritate factus amicus noſter uſque ad aram crucis?

Vade nunc, mi homo, pondera hanc charitatem, metire hunc amorem: longus eſt, quia ab æterno te dilexit, latus eſt, quia non habet finem, profundus eſt, quia à creatura attingi non poteſt.

O amorem exceſſivum, quem nec ipſi ardentiſſimi in amore Seraphin penetrare aut comprehendere valent!

Sic Deus dilexit mundum, (a) ut filium ſuum unigenitum daret!

Dicite nunc obſecro AA. mei, quid mundus pro hoc amabili dono, pro hoc pretioſo munere, pro hoc cœleſti pane, pro infinito hoc amore reponit, quomodo ſe gratum exhibet, quâ ratione gratiam hanc agnoſcit, quo pacto amantem redamat?

O Deus! ò infinite amor! quàm aſperè, quàm barbarè ab homine tractaris! verè Domine tu es peregrinus ille, qui in forma peregrina velatus incidiſti in latrones.

Horreſco dicere, capilli eriguntur, tremunt oſſa, dum recogito, quid pro dilectione tua rependat tibi mundus, nimirùm odium pro dilectione, averſionem pro gratia, injurias & contemptum pro dignatione & favore.

Non conqueror, quod perfidi Judæi in panem hunc cœleſtem ferro & igne ſæviant, acubus & cultris transfigant, pedibus conculcent, manibus diſcerpant, progenies eſt viperarum

(a) *Joann 3.*

perarum, soboles diaboli, gens à Deo maledicta..

Non lamentor, quod Turcæ & Saraceni mysterium hoc divinum detestentur & blasphement; extra Ecclesiam sunt, exclusi ab ovili Christi, in tenebris ambulant.

Hoc lugeo, hoc conqueror, quod filii rebelles matri hoc Sacramentum oppugnent, cum Michol irrideant, ut honores illi exhibitos ringantur & dentibus strideant.

Hoc defleo, quod Magi & Arioli, Sacramentum hoc terræ infodiant, in fimeta abjiciant, corporibus insuant, sputis contaminent, ad mille præstigias eo abutantur.

Hoc conqueror, hoc lamentor, quod Christiani, Christi redempti sanguine, præteſtinati ad gloriam, pasti toties carne & sanguine filii Dei, amorem hunc excessivum, non æstiment, flocci pendant, ore polluto, corde coinquinato panem Angelorum in peccatis manducare præsumant, cum Augstinus dicat, (a) non est minus detestabile in os pollutum, quàm in lutum mittere Dei Filium.

Hoc lugeo, quod Christiani dum ex hoc immortalitatis pharmaco fructus vitæ decerpere deberent, fructus mortis sibi procurent.

Hoc cum Cæsario serm. 33. defleo, Christiani quod cum peccatis parvis subindè intrent Ecclesias, & cum magnis & palmaribus revertantur.

Hoc detestor, quod Christiani non aliter ac ut Job cap. 1. refertur, velut Sathan stent inter filios Dei, oculos non in Deum, sed Dei filias levent, dum ex templis faciunt speluncas latronum & lupanaria diaboli, ubi excoquuntur, secretò peccata, quæ ubi ad lares est reditum, executioni mandantur.

Hoc defleo, quod Christiani ad hoc convivium pacis & amoris subindè accedant iram & vindictam in corde suo masticantes.

Hoc lamentor, quod Christiani toties frequentent hoc Sacramentum, & tamen ex sumptione illius nullum gustum, nullam gratiam, nullam emendationem reportent, in antiquo luto semper hærentes, superbi, avari, impuri, vindicativi.

Hoc doleo, quod os Christi sanguine recenter tinctum mox ad impura oscula, scurrilitates, detractiones imprecationes & blasphemias redire non vereatur.

O scelera detestanda! ò barbariem inauditam! ò ingratitudinem execrandam! (b) *obstupescite Cœli super hoc & portæ ejus desolamini vehementer.* (c) Quænam nobis excusatio erit, ait Chrysost. cum carne Christi pasti iterum peccamus, ac lupi evadimus lacerantes agnum.

Ecce AA. sic Pater æternus dilexit mundum, ut unigenitum filium suum daret; Ità amavit vos filius, ut sanguine

(a) *Augustinus cit apud Engelgraw D. 2. post Pent.* (b) *Jerem. c. 2.* (c) *Chrysost. hom. 60. ad pop.*

ſanguine ſuo redimeret: ità amat vos Spiritus S. ut quotidie corda veſtra ſuâ gratiâ & inſpiratione illuſtret: & adhuc ſit poſſibile inveniri pectus marmore aut chalibe ſuſum, adeò durum, adeò indomabile, ut non redamet, amorem non agnoſcat, ad calorem tantæ charitatis non colliqueſcat: cùm Auguſtinus dicat c. 4. de Catechiz. nulla eſt major invitatio ad amorem, quàm prævenire amando, & nimis durus eſt animus, qui dilectionem non rependit.

Ecce Deus effudit in vos omnes divitias charitatis ſuæ: quid potuit ultra facere & non fecit? Dat vobis in hoc amoris Sacramento Corpus ſuum, offerte & vos Corpus veſtrum, communicat Deus vobis ſanguinem ſuum, offerte & vos numini ſanguinẽ veſtrum, largitur vobis Deus animam ſuam, offerte & vos animam veſtram, communicat Deus vobis merita ſua, offerte & vos merita veſtra, cor immaculatum, cor contritum, cor devotum & humile, etſi quando acceditis ad Corpus Domini ſumendum exemplo Joſephi ab Arimathia, involvite illud in ſindone & conſcientià munda.

Finio cum S. Auguſt. l. de Cathec. rudibus, ac dico ama amorem illius, qui amore tui deſcendit in ſubſtantiam panis, & ibi amorem ſuum amori tuo copulavit, humiliando ſe, conjungendo lumen ſuæ æternitatis, limo tuæ mortalitatis.



IN FEST. DEDICATIONIS TEMPLI.



Vade & oſtende Domui Iſrael TEMPLUM, ut confundantur ab iniquitatibus ſuis, Ezechielis. c. 43.

VAria vota ac diverſa deſideria Mortalium extitére. (a) Crudele ac barbarum votum erat Imperatoris Caligulæ, qui universo Populo Romano unicam cervicem optabat, quam uno ictu demeteret.

Vanum & inane votum extitit Octaviani Auguſti, (b) dum à Diis precatus eſt fortitudinem Scipionis, Benevolen-

(a) *Xiphil. Suetonius in Calig.* (b) *Suetonius in Aug.*

nevolentiam Pompeji, fortunam Cæſaris.

Curioſum erat Alphonſi Regis Caſtellæ, (a) dum ad fictos amicos diſcernendos feneſtram in pectore humano deſideravit, per quam, quid intus ageretur, pateret.

Impudens votum erat Philoxeni (b) Epicuri de grege porci, qui non ſolùm collum gruis, ſed & Balæna fieri deſideravit, modò Mediterraneum mare verteretur in nectar Malvaſiacum.

Sanctiora vota habuerê ſervi Dei. De Magno Eccleſiæ Doctore Auguſtino refert Poſſidonius in vita, triplex fuiſſe eidem votum; videre nimirum Chriſtum in terris converſantem; antiquam Romam triumphantem: ac Paulum deniq; Concionantem.

Gertrudis, grandis illa ac Sancta anima, (c) divino ardore ſuccenſa optabat, ut tota caro ipſius in ceram, oſſa in lychnum, anima verò in lucidam verteretur flammam, ut corpore & anima velut coruſcans facula ad honorem Dei arderet & conſumeretur. Vita.

Hugonis de S. Victore votum erat, (d) ut cibus ultimus Euchariſtia, cogitatio poſtrema de paſſione Domini, verbum deniq; ultimum foret JEſus, quo vitam clauderet, ac animam Deo commendaret. Sancta ſunt hæc amoroſa & Chriſtiano pectore digniſſima vota & deſideria.

Verùm ſi mihi hodiernâ luce vovendi foret poteſtas, non aliud optarem, quàm ut filii hominum filio Dei, exemplo Zachæi parvulam domum, aut tugurium exile concederent, in quo quietè ſine turbis reſidere poſſet, nec impoſterum inde eum exturbare præſumerent.

Notum eſt nobis, quàm munificus & liberalis ergà homines extiterit Deus, dum in habitationem eorum grandem & pompoſam mundi machinam, velut palatium extruere eſt dignatus. Fundamentum hujus poſuit ſuper tres lapides angulares, Omnipotentiam, Sapientiam & Bonitatem. Machinam hanc grandem, ne ruinam ageret, veluti tecto pretioſo aut fornice texit, firmamento cœli, ac ſyderum gemmis undiq; celavit. Muri 4. ſunt quatuor elementa Orbis.

Montes cœlis æmuli, excelſæ ſunt columnæ ex marmore & alabaſtro elaboratæ palatium hoc ſuſtentantes: Diverſæ aulæ ac cubicula, diverſa ſunt regna ac Provinciæ; Cellæ & penus frugiferæ ſunt valles vino & frumento gravidæ: Tapetes & aulæa, virides ſunt Sylvæ & gratioſi horti: Fontes & piſcinæ ſunt maria & flumina: quaternæ demùm portæ palatium hoc claudentes ſunt quatuor Orbis partes, Europa, Aſia, Africa & America.

Abſolutâ hac admirandâ ſtructurâ, ſibi ſatisfeciſſe ac complacuiſſe viſus

(a) *G. Stengel. de Jud. div. c. 4. n. 2.* (b) *Bruſſius l. 3. c. 1.* (c) *Penequin p. 1. fol. 165.* (d) *Lyræus de imitat. Chriſti pat. f. 520.*

visus est Deus, ut concluserit & suam hic sedem & tentorium figere: Verùm prô dolor eò jam deventum est, ut ipsemet Architectus Deus ubiq; exclusus, nec angulum invenire queat, ubi liberè quiescat, ne peccatis vicinorum polluatur, non enim ei est locus in diversorio.

Ex aulis Regum & Principum, fallax & subdola eum expellit Politica: Ex urbibus inimicitiæ Civium; ex arcibus fastus & arrogantia Nobilium: Ex villis & pagis brutalis vita rusticorum; Ex Asceteriis dissensiones & invidiæ fratrum; Ex tribunalibus & curiis proscribunt eum iniquæ partialitates & injustitiæ Judicum; Ex foro depellitur ab usuris & fraudibus mercatorum: Ex popinis extrudunt eum lusores, helluones, & bibones; Ex hospitalibus abigunt eum quotidianæ rixæ & murmura vetularum: Ex agris & vineis maledicta & imprecationes rusticorum; Ex aquis pellitur à blasphemiis Nautarum; Ex sylvis & saltibus à superstitionibus, & præstigiis Venatorum: (a) Verbo vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, *filius autem hominis non habet locum, ubi reclinet caput suum*: Solæ Ecclesiæ ac templa remansêre, in quibus resideat Deus, sed & ex his conantur eum suis intolerandis impudentiis ac enormibus irreverentiis proscribere, & in exilium mittere sacrilegi peccatores.

Votum igitur meum non est aliud, quàm ut mortales locum hunc Deo dicatum & sanctificatum non attingant temerè, sed Deo cedant, ac profundè cordi suo insculpant, ideò Deum tot templa sibi elegisse, ut hocce medio cunctos peccatores velut funiculis charitatis ad se trahat, ità quidem ut vel solus aspectus & seria consideratio templi sufficiens sit ad conterendum cor peccatoris.

Dum pluribus discursum hunc prosequor, vos auribus & animis favete.

Varios modos mundum in maligno positum ad se reducendi excogitavit sapientia æterna: Cernens enim Deus post Creationem Orbis, (b) *quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis eorum intenta esset ad malum*, ut eos à malo retraheret, naturam imitatus est duri ac rigidi Magnetis, totus rigidus & austerus factus, cuncta timore ac terrore complens, ac ut Bern. Serm. 29. de triplici dilect. Dei, ait, comminatus tenebras æternas, vermem immortalem, ignem inextinguibilem, unde meritò à Davide vocatus, (c) *Deus ultionum Dominus.*

Vix sceleratas manus ad vetitum pomum extenderunt Protoparentes nostri, & ecce timor & tremor venerunt super eos, dum ad unicum sonitum vocis (d) deambulantis Domini in Paradyso consternati foliis

(a) *Math.c.8.* (b) *Genes.c.6.* (c) *Psal.93.* (d) *Genes.c.3.*

liis ficus se contexêre, ac in tenebras abdidêre, à horto voluptatis æternùm exclusi.

Vix Cain fraterno sanguine maculaverat impias manus, cùm subitò ultio divina eum est insecuta, (a) ut profugus ad quemvis folii motum tremerè ac totis artubus trepidare cœperit.

Dici non potest, quanto timore & terrore terra sit concussa cum Gen. 7. Dominus cataractas cœli aperuit, & universum Orbem octo personis demptis aquarum diluvio delevit. Auctus & terror & consternatio, quando Gen. 19. clamor Sodomorum Cœlos penetrans post se sulphure & cœlesti igne mixtam pluviam traxit, ac cum 5. civitatibus nobilissimam regionem in cineres redegit.

Hinc pulchrè Thomas de Villa nova Con. 1. de Judicio ait: pœnarum timore homines deterrebat à peccatis, sed ut scriptum est, populus non est reversus ad percutientem se. Ubi ergo timore moveri hominem non vidit, ad aliud stratagema se vertit, naturam induens succini (de quo Cornel à lapide in c. 40. Isaiæ ait, Electrum sicut misericordia attrahendi alliciendiq; vim habet) ut mundum, quem rigore non poterat, beneficiis invitaret, obsequis constringeret. Nam teste Laur. Justin. l. 2. de Spirituali resurrectione, Beneficia Dei jacentem erigunt, & gratitudinis vinculis ad Deum trahunt.

Hinc in peculiarem populum assumpsit Israel, beneficiis ac gratiis ita eundem devinciens, ut in gratiam eorum universa Elementa Cœlum & terram quasi inverterit.

Ad deterrendum Pharaonem, ne ulterius servitute dura affligeret Israel, fluvios Ægypti mutavit in sanguinem: (b) lucidam diem spissis & horrendis contexit tenebris (c) flante vento exiccavit mare rubrum, ingressiq; sunt filii Israel per medium sicci maris, (d) eratq; aqua quasi murus à dextera & læva. (e)

Ut sitim eorum sedaret, ex duris rupibus elicuit fontes & eduxit aquam de petra; (f) famelicos non solùm coturnicibus sed 40 annis pane de cœlo præstito pavit in deserto. (g) Dux itineris eorum die & noctu erat (h) per binas columnas viam monstrans in invio & deserto, ad vocem Josue (i) cœli oculus stare jussus stetit in medio cœli, & non festinavit occumbere: ad clangorem tubarum muri ceciderunt (k) Jericho: Pueri sternebant fundâ (l) Gigantes; fragiles fœminæ (m) integros in fugam egerunt exercitus; muta animalia (n) perorabant pro eis; Corvi (o) eos pascebant: Leonum (p) conclusa sunt ora; succensi ignis (q) impetus extinctus; Verbo sicut (r) Aquila extendit alas su-

 per

(a) *Genes. c. 4.* (b) *Exodi c. 7.* (c) *Exodi c. 10.* (d) *Exod. c. 14* (e) *Exodi c. 17.* (f) *Exodi. c 16.* (g) *Deutron. c. 8.* (h) *Exodi. c. 13.* (i) *Josue c. 10.* (k) *Josue. c. 6.* (l) *1. Reg. 17.* (m) *Judith c. 15.* (n) *Num. c. 22.* (o) *3. Reg 17* (p) *Daniel. 6.* (q) *Daniel. 3.* (r) *Deutero. c. 12.*

per eos, non reliquit (a) hominem nocere eis, hostes eorum in (b) fugam egit, reges fortes occidit, integros populos & regna in gratiam eorum extirpavit & delevit, donec introduxit eos in terram lactet melle manantem; nec alio fine hæc fecit, quàm ut mundus, tot favoribus & gratiis cumulatum populum Dei cernens in se rediret ac diceret: Venite, revertamur à viis nostris pessimis,& serviamus Domino tam benigno & misericordi, qui sic magnificè tractat, fovet ac protegit cultores suos.

Sed nec sic resipuit mundus, sed spreto Deo Idolis & concupiscentiis suis adhæsit, relinquens fontem aquæ vivæ, (c) & *fodiens cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

Unde apposite D. Bernardus introducit Deum sic secum differentem. (d) Quid faciam? Ecce nec minis nec promissis proficio, mundus in sua duritia & pertinacia perstat, flagella contemnit, beneficia aversatur, sed vivo ego dicit Dominus, (e) quia mihi curvabitur omne genu: esto contemnat ingratus mundus oblatas gratias, aversetur beneficia, flocci pendat illata flagra, timore non concutiatur; restat tamen funiculus tertius, vinculum amoris, quo vel renitentem tandem ad me traham: ut autem suavius & amorosius traham, filium meum Unigenitum mittam, deseret hic sinum æterni Patris, in terras descendet, immortalis carne mortali vestietur, innocens pro nocentibus & reis mortem subibit, ac sanguine suo eluet peccata mundi. Hoc vinculo charitatis ad me traham refractarios filios Adam, his vinculis constricti mortales, obstinatas tandem dabunt manus, & ne iterum variabiles aliò delabantur, ero cum illis usq; ad consummationem sæculi, (f) in omnibus finibus terræ erigam mihi sanctificata templa & aras, inhabitabo in illis, preces eorum & gemitus exaudiam, necessitatibus medebor, vulnera & plagas sanabo, peccata remittam, & pœnas commeritas condonabo: his vinculis ad me traham peccatores terræ.

Templa hæc erunt illis vexilla veniæ, Civitates refugii, Scholæ virtutum Piscinæ Salutis, in quas quicunq; intraverint, ab omni infirmitate curabuntur, quorum sola consideratio & aspectus tantæ erit virtutis, ut & marmore durius cor hominis ad pœnitentiam emollire queant, ac fortiori motu, quàm olim aspectus serpentis in deserto venenatos morsus peccatorum personare valeant.

Si probationem hujus desideratis, legite solùm 43 capitulum Ezechielis Prophetæ, & vera esse fatebimini quæ dixi. Innumera scelera ac enormia peccata patrarânt Israelitæ,

(a) *Psal. 104.* (b) *Psalmo 134.* (c) *Jerem. c. 2.* (d) *D. Bern. apud Thom. Villanovam T. de Adventu Domini.* (e) *Isaiæ c. 45.* (f) *Matth. c. 28.*

litæ, derelinquentes Deum factorem suum, ac Idolorum cultu ad justam iracundiam Justitiam divinam provocantes, (a) sed Altissimus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, ut eos in viam reduceret Justitiæ; ut ad pœnitentiam provocaret; ut ad compunctionem invitaret, melius & accommodatius medium non invenit, quàm ut mandaret Prophetæ suo Ezechieli, ut populo scelerato ac filiis nequam solùm ostenderet fabricam templi Jerosolymitani: (b) *Tu autem fili hominis vade & ostende Domui Israel Templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt.* Deum immortalem! quomodo possibile, ut unicus aspectus templi sceleratos hos Israelitas ad frugem reducat, ad pœnitentiam invitet?

Optimè: nam aspiciendo templum mox recordabuntur acceptarum inde gratiarum, pacti fœderis cum Deo, in memoriam illis veniet portentosa Virga Moysis, quâ mare divisum; Manna cœleste, quo 40 annis in deserto pasti; Arca testamenti, quâ Muri Jericho dejecti; Tabulæ deniq; Legis digito Dei scriptæ, scelera eorum condemnantes; inde lachrymæ, inde confusio, inde gemitus ac suspiria sequentur: Vade & ostende domui Israel templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis. Videte quantam vim, quale pondus in solo aspectu Templi ponat Deus: Rationem pleniorem desumere potestis ex Libris Regum.

Quam causam existimatis fuisse, cum fugitivus David à facie Absolon Filii sui rebellis Arcem Syon, (c) regale illud Palatium, propugnaculum fortissimum, decem solùm imbellibus Concubinis custodiendum reliquerit. An fortè ex gente erant Amazonum? Generosæ Semiramides, fortes Zenobiæ, aut imperterritæ Thomyrides? Minimè, cur Vallis & propugnaculis non munivit; sagittariis & fundibulariis custodiendam non tradidit? cur Cerethi & Phebeti robur sui exercitus non imposuit? Stratagema hoc erat insolitum: Audite Chrysostomum in Psal. 7. Regiam tenendam dedit filio rebelli, ut cum videret domum, in qua educatus fuerat, ac cerneret patris signa, ad pœnitentiam veniret. Nam prudentissimus Rex David ita secum ratiocinabatur: quamprimùm filius meus Absolon palatium regium intrabit, mox rebellis ejus conscientia evigilabit; quot cubicula pede teret, tot conscientiæ aculei eum lacinabunt, & ad meliora disponent.

Quamprimùm intrabit Triclinium, ubi regij principes educati, in mentem ei veniet: hìc oculi tibi aperti, hic primam auram spirare cœpisti, hic singultibus tuis primis Davidem salutasti, hic sericis fasciis

(a) *Ezechiel. c. 33.* (b) *Ezechiel. c. 43.* (c) *Lib. 2. Reg. c. 15.*

à matre es involutus. Ubi regium cœnaculum subjerit, occurret animo: hic cum Patre mensæ assidebas, ac de manu ejus dulces capiebas cibos, hic ex eodem poculo cum eo bibebis.

Ubi pede teret aulam Regiam, mox oculis obversabitur thronus Davidis, ac conscientia clamabit, in hoc regali triclinio ob interfectum fratrem iterum amanter à parente irato in gratiam es receptus, hîc te suaviter iterum est amplexus, variisq; doctrinis imbuit. Ubi attigerit cubile Davidis occurret ipsi. En locum, cujus pavimentum pœnitens parens sæpius lachrymis madefecit, quem suspiriis & gemitibus replevit, orationibus ac divinis laudibus sanctificavit: Ergonè possibile, ut tu hostiliter patrem optimum audeas insectari? ergonè ita ingratus existis, ut regno exuere tentes? Ergone ita maledictus, ut in fugam agere non formides, ac parricidali dextrâ necem inferre moliaris illi, qui tibi vitam dedit? Absit! absit! siste, siste, quo tendis? Vivat Pater, regnet David! Si ergò juxta mentem Chrysostomi David Regiam tenendam dedit rebelli filio, ut cum videret domum in qua educatus erat ac creverat ad patris signa ad pœnitentiam veniret; quid non præstabit aspectus & intuitus Ecclesiæ, Regiæ omnipotentis? quos motus sacros in animo non concitabit? Revera, quamprimùm Christianus pedem sacro limini imponit, & attenté domum Dei considerat mox conscientia perorare incipit.

Ecce hìc est Baptisterium, ubi esse Spirituale accepisti, ubi à peccatis es lotus, & Diabolo abrenuntiasti: Attende quid promiseris: In illa mensa sacri Altaris sanguine & corpore filii Dei sæpius es pastus & saginatus, ubi gratitudo debita? propè hos gradus Oleo chrismatis in militem Christi es inunctus: quàm fortiter hactenus adversus inimicos Domini pugnasti? In illa sede Confessionali sæpius clementissimè tibi Deus remisit scelera tua & delicta, quibus millies eum offendisti, ibi æternos ignes ac supplicia millies promerita tibi condonavit. Ubi emendatio vitæ? Ex hac Cathedra mille documenta salutis, legesq; sanctè vivendi sunt tibi inculcatæ: aperuisti ne aures tuas voci Domini?

Si pedem ulterius moveat, ac altius oculos levet, mox ocurret in alto cruci affixus Deus, ad cor peccatoris loquens. Infelix creatura leva oculos tuos, & aspice eum, qui pro te sanguinem & vitam dedit. En spineam hanc coronam capiti meo imposuit superbia tua & elata ambitio: Hæc vulnera & plagas cruentas inflixit corpori meo, petulans tua caro & Luxuria: His impuris sputis faciem meam divinam deformarunt obscœni sermones & discursus, tui. Linguam meam amaro felle & aceto potavit temulentia

tua

tua & ebrietas: vestes diripuit avaritia, lachrymas excussit oculorum tuorum petulantia: Latus aperuit ardens tua vindicta & odium; morti denique tradidit iniquitas tua & injustitia.

Popule meus quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi? Ad imaginem meam ego te creavi, propter te Angelorum choros reliqui, ac in terras descendi, 30.annis in summâ paupertate, injuriis & laboribus vixi, pro te mille contumelias & persecutiones sum perpessus, flagra, flagella ac tormenta, mortem ipsam pro te pertuli ignominiosam, ut te meo sanguine redimerem, quid potui facere tibi & non feci, cur ergò me spreto, inimico meo adhæres, quid obsecro sperare ab eo potes, nunquid ille descendit de cœlo, ut liberet te, qui circuit omni horâ quasi Leo, quærens quem devoret: nunquid ille pro te spinarum aculeis est coronatus, ac probrosæ cruci affixus? quid ergò me spreto illum sequeris? Quid ab illo exspectas? ego promitto vitam æternam, stipendium illius est mors; ego promitto gloriam immarcescibilem, voluptates æternaturas; ab illo nil nisi æternæ flammæ & tormenta æternùm duratura sunt exspectanda; fili mi, fili mi revertere ad Dominum Deum tuum.

His ita consideratis & perpensis, impossibile est, quin ex imo corde profundi erumpant gemitus, ex oculis amaræ defluant lachrymæ: impossibile est, quin verba adeò amorosa intimas penetrent medullas pectoris, ut exclamare cogatur peccator, infelix creatura, ergòne Deum tuum, qui te ex nihilo creavit, cruore suo redemit, ut hostem persequaris, peccatis tuis ad iracundiam provoces, de novo crucifigere tentes, *dolorem super dolorem vulnerum addas*, (a) absit hoc, absit à me ô amor meus! moriar millies, quàm ut te iterum offendam; (b) *Bonum mihi adhærere Deo meo, & ponere spem meam in eo.* En Auditores an non verum illud: Ostende illis templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis.

Neque ad pœnitentiam solùm invitat crucifixus filius Dei, verùm & cunctæ, quæ in templis cernuntur Sanctorum imagines, de quibus Gerson ait serm. de vita Clericorum: quid aliud videntur prædicare imagines omnes in Ecclesia, ante, super, subtus, & in lateribus, quid crux & crucifixus loquuntur, nisi ut penitentiam agamus.

Quid existimatis AA. num forte majores vires habuerit imago depicta Philosophi Polæmonis, (c) quæ teste Greg. Nazianzeno puellam solo aspectu à turpi scelere deterruit; quid præstabunt tot sacræ statuæ & imagines SS. MM. & Confessorum. Obsecro si Petrum lachrymantem, Hieronymum lapide pectus percutientem, templum fortè intrans peccator, aspiciat, an silex manebit? an non durum concutietur ejus pectus? Si

(a) *Psal. 68.* (b) *Psal. 72.* (c) *Vivien c. de temp. venerandis.*

B. V. ſpeculum ſine macula intueatur, an turpe aliquid deſignare poterit? an impuræ imagines & phantaſiæ animo illius hærebunt? Si Stephanum inter lapidum imbres orantem pro inimicis attendat, an vindictam & iras ſpirabit? Si fortè Joan. Baptiſtam veſtitum pilis camelorum, locuſtas & mel ſylveſtre comedentem cernat, an non ſobrietatis & abſtinentiæ recordabitur?

Si Apoſtolos virgis cæſos, perſecutionem paſſos, Martyres ſuppliciis & tormentis conſumptos conſideret, an non & patientiæ ſtudebit? An non Cœmiterium, Tumuli ac Epitaphia hinc inde per templa appenſa tumorem ac ſuperbiam mortalium allident. *Verè, verè terribilis eſt locus iſte &c.* Vade, oſtende domui Iſrael templum, ut confundantur ab iniquitatibus ſuis.

Jam non miror tot honorificos titulos, quibus paſſim à SS. PP. templa ſunt illuſtrata, dum Chryſoſtomus hom. 1. in Geneſ. ait: Eccleſia locus quidam eſt medicinæ ſpiritualis, & eos, qui huc veniunt, non decet, ut domum redeant, niſi congrua remedia acceperint. Dum Ambroſius in 1. Timoth. 8. Eccleſiam vocat ſanctitatis domicilium & ſacrarium Trinitatis. Dum S. Bernardus (a) eam vocat non domum, ſed æterni Regis oppidum. Dum Euſebius venerandam & auguſtam virtutum ſcholam eam intitulat l. de vit. Conſtant. c. 46. Dum Bernardinus Senenſis ait: Eccleſiam eſſe parvulum Paradyſum Tom. 1. Serm. 20. Dum Auguſtinus aſylum peccatorum, aram miſerationum nominat, dum ultimo Chryſoſt. hom. 36. in Ep. 1. ad Cor. ait: Eccleſia eſt locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cœli, cœlum ipſum.

Ah parcite glorioſis titulis ô Venerandi PP. vocantur quidem domus Dei, ſed an non creditis renovari, ut ſe Jeſus ibi abſcondat, & exeat de templo: ſunt quidem ſecundùm Chryſoſt. locus medicinæ ſpiritualis, ſed quot ſunt, qui ſecundùm Auguſtinum (b) ſibi in ea fructus mortis procurant? Vocat quidem templa Euſebius venerandam virtutum ſcholam, ſed dicite, an non & ipſe dæmon ſæpiùs ibidem magiſterium ſuum exerceat? Sunt quidem ſecundùm Ambroſium (c) Aræ miſerationum, ſed & ſecundùm eundem multi cum parvo peccato Eccleſiam accedunt, & cum peccatis multis de Eccleſia recedunt. Sunt quidem ſecundùm Bernardinum parvulus Paradyſus, ſed quot non Adami inveniuntur, qui etiam in Paradyſo peccare non erubeſcunt? Sunt ſecundùm Chryſoſtomum ac S. Germanum regia domus Dei, cœlum terrenum, ſed & plures digni exiſtunt, ut cum Lucifero cœlum prophanante ad tartara detrudantur. Balnea quidem ſunt non nego, ſed eheu plures turpiter in illis inquinantur. Portus ſunt & refugia non diffiteor, ſed plures

(a) *Bern ſerm. 3. de dedic.* (b) *Auguſt. ſerm. 24. de temp. Item l. 3. Conf. c. 3.* (c) *Ambroſ. ſer. 33.*

res naufragium ibi patiuntur, ubi auxilium quærendum. Fontes ſunt ſalutares: verum eſt, ſed multi etiam venena indè hauriunt: Ex domibus Orationum fiunt ſpeluncæ latronum & peccatorum, in quibus latitantes peccatores ſtant in conſpectu Domini non aliter, quàm ſicut Sathan inter filios Dei.

Vah quas ſpurcitias & abominationes videret noſtris temporibus Propheta Ezechiel, ſi foderet parietem & muros Eccleſiæ, quot Senes inſenſatos cerneret levare oculos in prætereuntes Suſannas, quot Dominas videret adorare Adonidem, & terga vertere Deo: ſonant quidem campanæ, ardent luminaria, ſed tepent corda, frigeſcunt animi. Majus ſilentium ſubindè in foro, ubi Hiſtriones nugantur, quàm ubi in altari Sacerdotes ſacrificant: & quid putatis? an maneat locus Deo in tali diverſorio, licet per omnipotentiam ubique ſit, attamen ubi has abominationes cernit, neceſſe eſt, ut ſe abſcondat per gratiam, & exeat de templo. Væ nobis, non ſolùm *Ninivitæ*, ſed & Sacerdotes Dagon proſtrato capite idola ſua venerantes nudis pedibus Deorum limina transeuntes *ſurgent & condemnabunt generationem iſtam*: Surgent Bonzii Japonum myſtæ, ſurgent Turcarum Poppæ & Mufti, qui calceos ponunt, ubi delubra ſua intrant, ſurgent publicani, non audentes oculos aut faciem in altum intendere præ confuſione ſcelerum ſuorum; hi uno ore coram ultimo tribunali irreverentias & abominationes in templis factas Chriſtianis ad confuſionem eorum objicient & improperabunt.

Adeſt præſens, qui tribus digitis univerſum orbem rotat, adeſt, qui ſcrutatur renes & corda noſtra, adſtant cum tremore Angeli, tremunt ad præſentiam Dei & ipſa SS. ſacra lipſana, ac cineres ſanctorum Martyrum, admonent nos exceſſuum noſtrorum & irreverentiarum Sanctorum ſtatuæ & imagines hinc indè per templa depictæ; & poſſibile ſit, ut intuitu horum non reſipiſcat peccator? ex marmore & chalybe fuſum inveniatur cor, quod non conteratur & molleſcat, adeò ſint effrontes peccatores, ut ex loco propitiationis, ara miſerationum tentent facere ſpeluncam latronum. O deplorandam ſortem mortalium, ô exceſſus & impudentias execrandas, ac amariſſimis lachrymis deflendas! Heu Auditores, ubi mens noſtra, ad templa venimus, ut rei læſæ majeſtatis abſolutionem criminum impetremus, & jocari, confabulari, oculos hinc indè audacter circumgirare audeamus? Silent paludes, tacent ranæ, exclamat D. Ambroſius, (a) & miſeri mortales ori frœnum non imponant.

Aliter, aliter Dilectiſſimi, nobis eſt agendum, aliæ & ſanctiores cogitationes, quàm hactenus nobis de templo ſunt formandæ, (b) terribilis eſt enim locus iſte, neque aliud quàm domus Dei & porta cœli, non popina aut

(a) *Ambros. l. 3. de Virg.* (b) *Genes. c. 28.*

aut tonstrina, æterni Regis Aula regia, (a) coram qua curvantur, qui portant orbem: Si ergò desideratos fructus & cœlestes gratias ex templo referre desideratis, Consilium B. Nili non vobis displiceat, qui Paræn. 2. in Sentent. ait: Ecclesiam non secus, ac cœlum frequenta, nihil in ea aut loquere aut age, quod terram sapiat. Mox igitur ubi campanis convocatur populus, citari te ad audientiam à Deo crede; Inde cum Moyse (b) calceamenta inordinatarum tuarum passionum solve, locus enim, in quo stas, terra sancta est: Inde cum D. Bernardo (c) cogitationes universas, quæ Deum & cœlestia non sapiunt, ad limina templi præstolari & exspectare jube, ac illud Abrahami intona: *Exspectate hîc cum Asino, donec adoraverimus*, posteà revertemur ad vos. Cum intratis cœli atrium, ingredi vos credite, ac cum Davide exclamate: (d) *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Psal. 51.

Dum faciem lustrali aspergitis aqua, & pectus simul mundate, mox reverentiâ factâ, oculis cum Publicano demissis, erratorum vestrorum veniam à Numine petite, inde in silentio arcana cordis vestri pandite, adversitates & tentationes aperite, gratiam & fortitudinem his resistendi, ac illas æquanimiter tolerandi petite; sacra de novo proposita formate; cum cereis ardeat & cor vestrum: Credite mihi, si tali modo Ecclesiam frequentetis, amoroso & sacro templum oculo lustretis, videbitis, quos motus in cordibus vestris consideratio hæc sit excitatura; experiemini, verissimum esse medium ad conterendum peccatorem; undè meritò ad Ezechielem dictum à Domino: (e) Vade, ostende domui Israel templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis: Fatebimini demùm cum Chrysostomo, Ecclesiam non aliud esse, quàm Asylum peccatorum, Aram miserationum, Regiam inhabitantis gloriæ Dei, Portam cœli, ac Domum, cui hodiè à Deo salus facta est.

(a) *Job. c. 9.* (b) *Exodi c. 3.* (c) *Bernard. in medit. apud Jobn. tit. Oratio.* (d) *Psalmo 83.* (e) *Ezechiel c. 43.*



IN

FERIA VI. IN PARASCEVE, DE PASSIONE DOMINI.



Inclinato capite tradidit Spiritum. Joan. c. 19. v. 30.

A*Udite cœli, quæ loquor* (a)! adjuro vos per Viventem in sæcula, cui semper lucetis cum jucunditate: edicite causam, cur cardines vestros, tot millenis annis imperturbato gyro circumactos, stupente naturâ hodiè subitò turbetis? cur lucem ac radios terræ nostræ subtrahentes, tenebris universum orbem sepeliatis? quæ causa portenti hujus?

An fortè extremâ, & ultimâ periodo mundi appropinquante agonizatis? (b) ac *mundi hujus machina dissolvetur?*

An novus Atreus, feralis Parricida

(a) *Deut. c. 32.* (b) *Matth. c. 24.*

surrexit, (a)qui fratri suo Thyesti abominandam cœnam apponens, scelere inaudito Phœbum cum quadriga sua in fugam egit?

An uti olim contra Sisaram, (b) ita & nunc contra hostes Numinis in prœlium exurgitis, ac stantes in custodiis vestris sagittas acuitis impiorum inebriandas sanguine?

An exemplo Sem & Japhet inducti, (c)tenebroso peplo obvolvitis Filium Dei, ac nuditatem pendentis in cruce operitis?

An lucidissimus mundi oculus sese obvelat in meridie, (d) dum ad horam nonam Sol Justitiæ suos claudit oculos, ac in tenebris suum sternit lectulum? Job cap. 17.

An Dei filius, mitissimus ille agnus, hodiè in feralem crucem actus in causa est? qui ut Patri suo probet, Crucifixores suos nescire quid faciant, (e) Luce sideribus subtractâ, ac nocte desuper inductâ scelera eorum tenebris tegere ac sepelire parat?

An æternus Pater, ob filium suum adeò crudeliter in terris habitum, uti olim irritatus clamore Sodomorum, (f) ita & nunc provocatus inaudito scelere Judæorum, ad supplicia condigna sumenda descendere parat?

Et quid vobis sepulchris dealbatis causæ? ut loculos vestros tot annis obserratos subitò rumpatis? (g) an Dei filium moriturum ad tumulos & mausolæa vestra invitatis? an cœtera cadavera ejicitis, ut novo hospiti *locus sit in diversorio?* (h)

An quia sanguine libertas orbi hodiè parta, mortis carceribus detentos, liberos dimittitis, ac in libertatem filiorum Dei asseritis?

An à morte surgitis, ad famam atrocissimi hodierni spectaculi? dum à condito orbe, *nulla res similis accidit in Israel?* (i)

An ex tot signis & portentis visis, extremum diem suspicamini, & tubâ novissima nondum auditâ, iter paratis ad vallem Josaphat?

Et quid vos asperas rupes, ac dura marmora impellit, (k) ut violentis scissuris diffindamini? an ora blasphema prætereuntium Judæorum juxta Canones Legis lapidare conamini? Levit. c. 24.

An per compita Solymæ aspersus cruor immaculati Agni, adamantum instar vos dura rumpit marmora?

Tuque ô solida terra, quid causæ tibi, ut fundamenta orbis concutias, ac columnæ tuæ contremiscant? an æternus Pater vocem Filii sui in cruce exaudivit de templo sancto suo, (l) & clamor ejus introivit in aures ejus? & hinc commota est, & contremuit terra, quia iratus est eis.

An præsumptuosus quis Dathan aut temerarius Abiron de novo terrâ est obruendus? (m)

An qui cœlos palmo ponderavit, & appendit 3. digitis molem terræ, (n) nunc

(a) *Seneca in Thyeste.* (b) *Jud. c. 5.* (c) *Genes. c. 9.* (d) *Matth. c. 27.* (e) *Lucæ c. 23.* (f) *Genes. c. 18.* (g) *Matth. c. 27.* (h) *Lucæ c. 2.* (i) *Judic. c. 19.* (k) *Matth. c. 27.* (l) *Psalmo 17.* (m) *Psalmo 105.* (n) *Isaiæ c. 40.*

nunc 3. trabalibus clavis affixus cruci, grande pondus non sustinet?

Tuque ô velum templi, cur à summo usq; deorsum in duas partes scinderis? (a) an finis & consummatio legis advenit?

An Liber ille portentosus septem validissimis sigillis obsignatus, ab Agno, qui occisus est, tandem est resignatus. (b)

An quia Sacerdos ille magnus secundùm ordinem Melchisedech hodiè lamentandâ nece obiit, luctum induisti?

An Deus, qui intra VELUM hactenus absconditus latebat, nunc templum suum execratus, hostibus diripiendum, velut speluncam latronum reliquit?

Aperite obsecro perturbatæ creaturæ portentorum horum causas: apparet enim ac si Solyma, uti olim maledicta Pentapolis igne cœlesti sit absumenda; Judæa novo diluvio inundanda, templum cum turribus, velut maledicta Jericho subvertendum; crudelis natio ut Dathan & Abiron à terra absorbenda.

Respondentem pro vobis audio Bethlehemitici antri incolam Hieronymum, cujus mens est ideò moveri terram, dissilire petras, orbis fundamenta concuti, ut quia Creatoris mortem voce detestari non possunt, id faciant insolitâ & terribili concussione. Verba ipsius sunt sequentia: (c) *Omnis Creatura morienti compatitur Christo, Sol & Luna obscurantur, terra tremit; petræ scinduntur; velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur, solus miser homo non compatitur, pro quo solò Christus patitur.*

Itane ergò Sol radios suos tenebroso obvelet peplo; Luna erubescat, ac splendores suos in umbris sepeliat; sepulchra concutiantur; terra tremat; petræ præ compassione scindantur; & infelix homo petris sit durior, marmore insensibilior, cor habeat æneum, viscera gerat ex chalybe?

Absit absit! si enim ictu virgæ suæ Moyses (d) ex durissima rupe copiosas elicere potuit aquas; an non virgæ & flagra, quibus immaniter concisus Redemptor noster, eliciant integros torrentes & flumina lachrymarum? (e) *Quis dabit capiti nostro aquas, & oculis nostris fontem lachrymarum!* Flete Sacerdotes & Ministri Altaris! quia amisistis Pontificem magnum, qui poterat compati infirmitatibus vestris: (f) Lachrymamini Reges! *quia cecidit corona capitis vestri:* (g) Plorate languidi & infirmi! quia sublatus est Medicus vester, qui sanabat omnem languorem & infirmitatem in populo: (h) Flete & ululate pauperes, dum vinculis constrictæ sunt manus illius, quæ dabat omnibus affluenter: (i) Totus mundus eat in lachrymas, dum Salvator mundi patitur.

Auditores! Lugebimus ergò hodiè Filium Dei unigenitum, Apostolis & Discipulis illius non similes, qui *omnes relicto eo fugerunt*: verùm comitabimur

(a) *Matth. c. 27.* (b) *Apoc. c. 5.* (c) *Hieron. super Matth.* (d) *Num. c. 20.* (e) *Jerem. c. 9.* (f) *Hebr. c. 4.* (g) *Thren. 5.* (h) *Matth. 4.* (i) *Jacobi c. 1.*

mur eum per cuncta tribunalia, in quibus reus agetur, usq; ad luctuosum Calvariæ verticem, ubi in lectulo crucis morituro assistemus, audituri, quid loquatur nobis Dominus, quale Testamentum ac Hæreditatem nobis relinquat: Sperate benè: nemo indonatus abibit: Lamentabilis interim Tragœdiæ scenam, lachrymoso oculo, in silentio spectate.

Captus est ergò Redemptor noster; vincula induit, qui venit solvere vinctos corde: Triginta argenteis venditum est pretium mundi; Magister ab infami proditus discipulo.

Triumphum nunc celebrat Solyma; exultant Pharisæi, jubilant Scribæ, non aliter ac Philistæi Samsone capto: funibus eum stringunt, catenis vinciunt, armis stipant, trahunt, trudunt, clamant, furunt, vociferantur.

Vah si olim Orator Romanus exclamavit: (a) Scelus est vincire Civem Romanum, quale scelus erit ligare vinculis Regem Angelorum?

Ah benignissime Jesu! arietasti prius in horto unicâ mansuetâ voce tuâ (Ego sum) cohortem integram militum in terram, cur modò fortissime Samson non rupisti vincula, dilacerasti funes, ac existi de medio eorum?

Scio, scio: captus eras in funiculis Adam, in vinculis charitatis; non Judæus, sed AMOR tibi vincula injecit, & uti in præsepi fasciis, ita & hic funibus & catenis te strinxit: Unde Laurentius Justinianus exclamat: (b) O charitas, quàm magnum est vinculum tuum, quo Deus ipse ligari potuit!

Intereà mansuetissimus Agnus, velut fera capta per noctis tenebras cum clamore valido, collucentibus per fenestras ubique facibus ac funalibus ad Annæ domum deducitur judicandus.

Sedet ille in sublimi pegmate, gravitate plenus, cano capite venerandus, ac viso Christo quamprimùm exorditur examen, de doctrina ac discipulis ejus, inquiens.

Tune ille præclarus Doctor, ac Propheta, qui conturbas Israel? qui contra Legem Domini doces? quæ est hæc tua nova & insolita doctrina? quâ totam Judæam commovisti.

Videone te inimicum hominem, qui zizania superseminâsti bono tritico: nonne sufficisset tibi doctrina & lex Moysi; cur nova dogmata fingis? an nescis maledictum, qui mutat verba legis? (c) Cur cum tantâ pompâ ante paucos dies Jerosolymam ingressus, passus es vestimenta tibi à populo velut Regi aut Principi substerni? Ad quid duodecim otiosos Piscatores ac septuaginta duos Discipulos conduxisti, qui te comitarentur? Seditionem, & turbas olet res ista: Ubinam illi hærent? quibus latebris se continent? (d) An non unus gladium exemit, seque Superiorum & Principum ministris ausus est opponere? quam excusationem prætendis astutum caput?

Chri-

(a) *Cicer orat. 6. in Verr.* (b) *Laur. Justin. l. de ligno vitæ.* (c) *Deut. c. 4.* (d) *Joan. c. 18.*

Christus sciens quod responsio mollis frangat iram, summa cum consuetudine doctrinam suam defendere parat: de discipulis, quia benè loqui non poterat, cum unus eum prodiderit, alter abnegarit, reliqui aufugerint, altùm silet: de doctrina verò sic ait. *Ego palam locutus sum mundo, Ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Judæi conveniunt* (a), *& in occulto locutus sum nihil; quid me interrogas, interroga eos, qui audiverunt, ecce hi sciunt, quid dixerim ego.*

Vix verba finierat mitissimus Jesus, cum *unus assistens Ministrorum dedit alapam Jesu dicens,* (b) *sic respondes Pontifici?*

Exhorrescat cœlum, ait Chrysostomus (c) contremiscat terra; insurgat mare, stellæ de cœlo cadant, dum alapis cæditur Rex gloriæ.

O manum æternis ignibus non satis ustulandum! ò factum impudens, ò ingratum orci mancipium? tune maledicte audes sacrilegam manum mittere in Christum Domini? tune canis rabide audes allatrare catulum Leonis de Tribu Juda? tune adulator detestande præsumis alapam infligere regi gloriæ? Angeli te secent medium, infame portentum terræ!

Et tu Paries dealbate Judex iniquissime, in præsentia tua tantum scelus toleras? imò per conniventiam sceleratam approbas, & ad graviora viam pandis? hæccine Justitia Sacerdotis Magni? contra decreta justitiæ vinctum cœdi, ab armato inermem? O tribunal execrandum ò justitiam profanatam! ò æquitatem deperditam!

Quid ad hæc Jesus meus? nil nisi verba melle suaviora reponit; (d) *Si malè locutus sum, Testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid me cœdis.*

Adeste viperæ vindicativæ, duellistæ infames, qui ob unicum pugnum, ob verbum mordax mox gladios stringitis, in iras exurgitis, injuriam impactam morte & interitu lædentis redimere tentatis; adeste: en speculum mansuetudinis vobis à Jesu meo proponitur: an non dedecus immane, injuria summa Regem gloriæ alapâ percuti à Servo? sed quid egit, quid reposuit Salvator? An elementa Orbis in vindictam meritam concitavit? an terræ mandavit, ut formidabili rictu dehiscens sacrilegum infernali abysso sepeliret? Ignis sceleratum in cineres redigeret? mare fluctibus vesanum obrueret? aër intra fauces Sacrilegam animam strangularet? Dæmones, ut Orci sobolem in mille frusta discerperet: Nil horum, sed mansuetâ voce unicum id reposuit, quid me cædis? *nunquid quod decuit Deum dedecet Servum Dei?* (e) ait Petrus Blesensis, quam excusationem habemus? interrogat Chrysostomus, si vituperati ad iram concitamur, qui

(a) *Joann cap. 18.* (b) *Joann cap. 18.* (c) *Chrysost. in cap 18. Joann.* (d) *Joann. cap. 18.* (e) *Apud Van Horn f. 6. Parasceu.*

qui tot tantaque Christum sustinuisse non ignoramus. Discite ergo à Christo quia mitis sum & humilis corde; perpendite seriò id quod vos Beatissimus Ephrem serm 1. de compunctione admonet: Tametsi in terra mille annos viveremus, ne pro uno colapho quidem condignas gratias referre possemus.

Ut video mi Christe Innocentia tua ac mansuetudo in hoc execrando Tribunali parùm curantur: hinc inveteratus senex dierum malorum invidiâ fremens, vinctum te ceu morte dignum ad aliud forum remittit: *Misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem*: (a) Comites tibi erimus & ad forum istud, forsitan innocentia tua securius ibi patrocinium & asylum nanciscetur.

Ad secundum ergò stamus tribunal, ubi cum Caipha Sacerdote summo congregati sedent Seniores populi, Scribæ & Pharisæi, graves aspectu, canitie venerandi.

Adducitur ergò Christus oculis in terram demissis, quem mox gravi supercilio, asperisque verbis alloquitur Caiphas.

Adesne Seductor populi? in casses tandem nostros præda petita venisti? nunc finem habent præstigiæ tuæ, imposturæ tuæ deductæ sunt ad exitum.

Videsne Concilium hoc venerabile congregatum, id tuam causam nunc ritè decidet, ac pro merito castigabit: Adeste proindè testes incorrupti, proferte testimonia, in lucem date impostoris hujus scelera.

Prodit primus, ac accusat eum de multiplici transgressione legis ac neglectu Sabbati: (b) *hic homo custodit Sabbathum.*

Prodit alter & sugillat eum de Sacerdotibus, (c) Scribis & Pharisæis pessimè traductis, testaturque eos ab ipso contumeliosè hypocritas, (d) se pulchra dealbata, serpentes & genimina viperarum, semen insuper Diaboli vocitatos.

Jurat tertius, eum à Belzebub obsessum, ope Tartari invisibilem se præstitisse, centenisq; præstigiis hucusque illusisse populo.

Post hos insurgunt duo alii testes iniqui, nequiores prioribus, (e) jurantes, eum excidium minitatum esse ultimum Salomonis Templo: allegant verba, *possum destruere Templum Dei*; an igne, vel aliâ strage, sibi non constare; verum credere se igne & ferro id devastandum, cum apertè dixerit, (f) *ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur*; quin & addidisse (g) *non relinquetur lapis super lapidem.*

O inconvenientia Testimonia ò Testes fallaces! ò canes perjuros! ò Synagogam Sathanæ! Sentinam mendaciorum, Conciliabulum invidiæ! Consistorium iniquitatis! verè de vobis prophetico ore vaticinatus est David, *insurrexerunt in me testes*

(a) *Joann cap. 18.* (b) *Joann cap. 9.* (c) *Matth. cap. 23.* (d) *Joann cap. 9.* (e) *Matth. cap. 26.* (f) *Luc. cap. 12.* (g) *Matth. cap. 24.*

testes iniqui, & *mentita est iniquitas sibi* psalmo 26.

Neque tandundem irascor falsis his testibus, quàm iniquissimo Sacerdoti, qui, cùm advertisset allata testimonia minus valida, ad adjurationem innocentis Christi devenit: (a) *adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus.*

Salvator ne negare se, & Patrem videret, fassus est ultrò se Christum, utpotè quem prius æternus Pater, (b) voce de cœlo lapsâ: *Hic est Filius meus dilectus* (c); quem mare pedibus calcatum; venti & turbines, quibus imperavit; (d) Miracula, quæ patravit, quin & ipsi dæmones confessi erant Christum. (e)

Vix verba hæc Christo è benedictis labiis exciderant, cùm furore exæstuans, vestibus scissis exclamat iniquus Judex, *blasphemavit! quid adhuc egemus testibus, ecce ipsi nunc audistis blasphemiam; quid vobis videtur?*

Videte obsecro Auditores perversam judicii formam?

Decretum fertur priusquam veritas indagetur: Non audiuntur partes; non ponderantur quærelæ; non discutiuntur testimonia; testium numerus, non fides attenditur; quæ postrema solet esse judicii sententia ordine præpostero omne antecedit judicium: contra legem Sacerdotales dilacerantur vestes; jactantur convitia, finguntur calumniæ, emuntur falsa testimonia, colaphis cæditur reus, sputis deformatur innocens; iidem sunt, qui accusant, testantur, & sententiam ferunt.

Pereat sacrillegus sacerdos pereant impii Assessores, pereant falsi & iniqui testes, pereant carnifices innocentiæ, persecutores veritatis, ministri iniquitatis.

Veniet & aderit tempus, cùm hic, quem reum nunc agitis, in nubibus cœli veniet cum majestate & potestate multâ, ac vos cœterosque injustos Judices æternis addicet ignibus.

Sed actum est, ubi authoritate & iniquitate mendacio, solùm pugnatur, ibi æquitas & innocentia succumbunt.

Vix Aurora mundo lucem attulerat (nocte inter mille convitia sanctas & opprobria transactâ) cùm ingenti clamore ac vociferatione tumultuans populus, denuò per plateas & compita Jerusalem, ad Prætorium Pilati innocentem agniculum, viribus exhaustum, catenis oneratum pertraxit.

Audito clamore tumultuantis turbæ, egreditur ad eos Pilatus ac ait (f) *quam accusationem habetis ad versus hominem hunc?* illi tanquam phrenetici mox arroganter respondent; *Si non esset hic malefactor, non tradidissemus eum.*

Replicat Pilatus, Domini mei, Judex sum ego, innocentem & inauditum

(a) *Matth. cap. 26.* (b) *Matth. cap. 17.* (c) *Matth. cap. 14.* (d) *Matth. cap 8.* (e) *Marci cap. 1.* (f) *Joann cap. 18.*

tum damnari apud Romanos nefas est maximum; si igitur scelus, aut facinus quoddam vobis est compertum, proferte illud; *quam excusationem habetis adversus hominem hunc?* Rabidi hi canes, coacti ad particularia descendere mox eum accusant de negato tributo ac rebellione in Cæsarem, de seductione populi, ac affectato titulo Regis & filii Dei: (a) *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari: commovet populum docens per universam Judæam, dicens se Christum Regem esse.*

Pilatus auditâ hâc accusatione velut prudentissimus Præses mirabatur insignem malitiam Judæorum aperte perspiciens, quod per invidiam tradidissent eum, unde ad eos sic fatur.

Percepi abundè capita accusationis vestræ, sed vix fidem adhibeo; nam quod rebellis sit Cæsari, aut tributa prohibeat, contradicunt Herodiani nuntiantes apertè eum dixisse, (b) reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris; quin imò trajiciens mare Galileæ staterem debitum pro se & Petro ritè persoluit: (c) quod populum seducat, nec hoc credo; cùm cunctos hortetur ad pacem, pertransiens velut Medicus universam Judæam, (d) benefaciendo & sanando omnes: quod autem Regem se dicat stultitiæ & dementiæ potius, quàm malitiæ erit adscribendum; cùm Rex sit sine regno, Princeps sine sceptro, Monarcha sine subditis: adde, quod mihi certò compertum, non semel illum regios honores oblatos fugisse, (e) in montium cavernis hinc indè sese occultando: Unde domini mei alias oportebit adferri accusationes ad reum hunc damnandum: (f) *Ego enim non invenio in eo causam.*

Macte Pilate! hoc verum Judicem decet, afflictis & oppressis esse Patronum, fluctuantibus anchoram, miseris asylum: imitaris hoc facto Alexandrum Magnum, qui Matri Olympiæ necem alicujus insontis flagitanti respondit, aliud pete ò Mater, nam vita hominis nullâ mercede compensari potest.

Judæi interim responso mitiori exacerbati, instant, tumultuant, clamant, furunt, necem insontis deposcunt, ac leges suas allegant:

Pilatus ut mitiget furentes per acutè replicat. (g) *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum;* nam homo Romanus sum, ego nescio, quid vos de legibus vestris disceptetis; accipite ergò eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum: cùm verò nec sic acquiescerent, sed reclamarent, (h) *nobis non licet interficere quenquam*, Homo Politicus invidiam judicii declinare cupiens stratagema quoddam aggreditur

(a) *Lucæ c. 23.* (b) *Matth. cap. 22.* (c) *Matth. cap. 17.* (d) *Actorum cap. 10.* (e) *Joann cap. 6.* (f) *Joann cap. 18.* (g) *Joann cap. 18.* (h) *Joann cap. 18.*

tur, ut Christum liberet: cùm enim audisset Christum in Gallilæa docuisse, adeòque de Herodis potestate, gratiam initurus cum eo ablegat Jesum ad Herodem, manus suas à sanguine innocentis retracturus.

Ingens lætitia exorta est in aula Herodiana, ubi de adventu Christi innotuit: (a) *Herodes enim viso Jesu gavisus est valdè, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, & sperabat signum aliquod videre ab eo*: Verum ubi se spe suâ frustratum se vidit, ac curiositati quæsitæ minimè satisfactum, velut emotæ mentis hominem illusum veste albâ remisit ad Pilatum. (b)

Attonitus non parùm de Christi reditu Pilatus, aliud expediens assumit, quo insontem liberet, unde sic tumultuantem populum alloquitur:

Efferatos animos vestros non satis capio Judæi: *Obtulistis mihi hunc hominem*, (c) *quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam causam invenio in homine isto ex his in quibus cum accusatis, sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei,* ut igitur accquiescatis hoc vobis propono medium: (d) *est consuetudo vobis, ut unum vobis dimittam in Pascha: quem igitur vultis dimittam vobis Barabbam*, (e) *an Jesum, qui dicitur Christus?*

Eheu aurea Pilati fuêre exordia, sed metuo ne turpi epilogo bona funestet initia, libra enim justitiæ jam jam in partem adversam inclinat.

Quid agis Pilate? an nescis effatum Salomonis, (f) *qui justificat impium, & qui condemnat justum, uterq; abominabilis est apud Dominum?*

Gens est absque consilio, vindictâ & invidiâ excœcata, quis scit utrum non sicarium humano adhuc sanguine madidum petant, ac repudient eum, qui aliis vitam impertiit, cultrum Judæis limas, quo innocentem jugulent agnum.

Et ecce quod metuebam, est in januis, Exoritur clamor tumultuantium Judæorum magnis vocibus exclamantium: (g) *Non hunc, non hunc, sed dimitte nobis Barabbam.* O cœcitas Judæorum! exlamat Augustinus, ò furia phreneticorum! (h) quid fuit hoc aliud dicere, quàm occidatur ille, qui suscitat mortuos, & dimittatur latro, ut iterum occidat vivos.

Pilatus videns non juxta placitum suum succesisse electionem, inter angustias positus, à tumultuante populo consilium petit, (i) *quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?*

Extollitur de novo clamor, *tolle! tolle crucifige!* reponit Pilatus, *quid enim mali fecit?* rursum insonat clamor vociferantis turbæ, *tolle! tolle! crucifige!* Pilatus veritus ne res in apertam

(a) *Lucæ cap. 23.* (b) *Ibidem* (c) *Ibidem* (d) *Joann cap. 18.* (e) *Matth. cap. 27.* (f) *Proverb. cap. 17.* (g) *Joann cap. 18.* (h) *Aug. tract. 115. in Joann.* (i) *Matth. cap. 27.*

tam seditionem cederet, ac major tumultus fieret in populo, politicam suam de novo inspicit, ac iniquissimum aliud medium excogitat, protinùsque jubet expediri virgas, parari flagra, ac flagellis insontem addicit, dicens, (a) *emendatum ergo eum dimittam.*

Stultissime virorum! quid obsecro emendabis in eo, cui universus populus non semel acclamavit *omnia bene fecit.* Stulte & insipiens prætor innocentem fateris, & ad pœnas deposcis; nullius culpæ affinem pronuntias, & tormentis subjicere paras? ò Judicem, iniquum, impium barbarum & crudelem!

Rapitur interea à cohorte militum intra Prætorium Christus, nudatur vestibus, alligatur columnæ, vibrantur flagella, virgæ strident, catenæ sonant; laceratur virginalis caro, sanguinis rivi per atrii pavimenta hinc inde largo imbre defluunt.

O flebile spectaculum! ò dolenda scena! ò Tyrannis inaudita! *obstupescite cœli super hoc, & Portæ ejus desolamini vehementer.*

Ille ille Deus, cujus dextera virgis armata esse deberet, ut peccata mundi castigaret, ille hodie ob scelera hominum Virgis cæditur, flagellis laceratur: (b) *à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas,* ut merito cum afflictissimo Jobo exclamare queat, (c) *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos: miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus* non Domini, sed impiorum *tetigit me.*

Sistite nunc crudeles Tigrides, sanguisugæ maledictæ; si non pietas, moveat saltem Justitia: an ignoratis legem, quam vobis Deus præscripsit, (d) *pro mensura peccati erit & plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus*: at crudelitas vestra terminum nescit, dum non quadraginta, sed multis millibus ictuum fœdum in modum insontis corpus dilaniastis. (e) *Quis audivit unquam horribilia, quæ fecit nimis Virgo Filia Sion?*

Sed quid hoc? AA. à flagris ac spinas transitur, à catenis ad arundines, dolor dolori additur: Regi gloriæ ignominiosa simul & dolorosa ex spinis pungentibus imponitur corona: Arundo fragilis pro sceptro traditur, lacera purpura in contemptum ei injicitur, velantur oculi, sonant alapæ, ludit & subsannat æternam sapientiam impietas.

Verè Domine incidisti in latrones, (f) *qui plagis impositis te semivivo relicto abierunt.* Lilium quidem es candidissimum, sed inter horridas spinas.

Hoccine ergò tandem est illud diadema

(a) *Lucæ cap. 23.* (b) *Isaiæ cap. 1.* (c) *Job cap. 19.* (d) *Deut. cap. 25.* (e) *Jerem. cap. 16.* (f) *Luc. cap. 10.*

dema? hoccine ſceptrum, quod Synagoga Salvatori ſuo in die deſponſationis imponit? Ah dilecti! quis nobis tribuat, ut harum ſpinarum aculei noſtra penetrent corda, & ſi non ſanguinem, ſaltem ex oculis lachrymas ex corde eliciant ſuſpiria!

Adeſto nunc Pilate, ac intuere, quid in captivum tuum attentarit crudelitas lictorum; monſtra & oſtende eum populo: ſi tigrides non ſunt, formâ hâc lugubri conſpectâ exuent odia, induent viſcera miſerationis.

Obſequitur Pilatus, manuque chlamide coccinea nonnihil diſtentâ monſtrat Populo caput ſpinis cruentatum, faciem ſputis deformatam, genas alapis contuſas, manus funibus ligatas, corpus totum flagris laniatum: ac præ ſtupore ſe ipſum non capiens exclamat *Ecce Homo*! in quo nec ſpecies, nec ullus decor: Inde vultu ad turbas ſeveriore converſus inquit: ſatiare tandem tragico hoc & cruento ſpectaculo turba effera: ſi quid reus per levitatem de regno ſomniavit, ſatis hoc ſerto ſpineo, lacero purpuræ amictu, arundine dedecorosâ eſt expiatum: aculeata ipſius dicta in Phariſæos ſcribas & legis peritos ſatis ſuperque vindicarunt ſpinarum aculei: Machinationes ejus ſi quæ fuerunt in Rempublicam, abundè luit totâ corporis laceratione.

Quod de Elephantis narrat Plinius, humano viſo ſanguine eos efferari in rabiem, id Ego de Judæis aſſeverare poſſum. Vix enim ſpecies adeò deformati Jeſu oculis eorum eſt oblata, cum mox velut efferati Moloſſi monſtro quopiam viſo in latratus majores proruperunt, ſpectaculo hoc lugubri magis efferati! unde de novo magnis vocibus inſontem ad pœnas, ad tormenta, ad crucem, ad mortem depoſtularunt; *Tolle tolle crucifige, gravis enim eſt nobis ad videndum: ſi hunc dimittis, non eſt amicus Cæſaris, omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari*: Tolle tolle crucifige eum.

O voces Sathanâ inſpirante prolatas! o Telum fatale, quo Romani Præſidis pectus confractum & emortuum! ò arietem maledictum, à quo cloumna juſtitiæ eſt proſtrata! En ut Judex palleſcit, ut titubat, ut vacillat? oculis perſpicit innocentiam, manibus palpat invidiam, ſed animus terrore perculſus æquum judicare formidat, ſpes & timor in corde ejus duellant! hoc ariete admoto tremit juſtitia, nutat conſcientia, labitur æquitas, ſuccumbit innocentia: fit inimicus Dei, ne fiat hominum, Cæſarem anteponit Numini, intereſſe proprium juſtitiæ, (a) *cum audiſſet hos ſermones adjudicavit fieri petitionem eorum.*

O maledictum intereſſe! quod authori vitæ vitam eripit; ò venenum inſanabile favor & gratia Principum! ò Judicem iniquum! ò arundinem vento agitatam! ò vexillum aurâ

(a) *Lucæ cap. 23.*

populari circumactum! ò Præsidem impium! apud quem plus potuit amicitia Cæsaris, quàm innocentia Filii Dei.

Lava nunc manus tuas injustissime Judex, sanguinem innocentis absterge si potes! scelus & facinus tuum nec Jordanis, nec mare Galilææ eluet.

Siste Pilate, quo ruis? quid Romanum Præsidem deceat perpende. Ergone in necem insontis, de nullo scelere convicti te resolvis?

Feci quod Judicem decet, populo tumultuanti resistere periculosum. Moriatur!

Ergone in crucem agatur, qui totam Judæam pertransiit benefaciendo & sonando omnes infirmitates terræ?

Odium, & invidiæ flamma excrevit nimium, morte solùm extinguetur incendium.
Moriatur!

Ergone occidatur ille, qui aliis vitam dedit? nec barbarus Schyta hoc approbabit.

Necessitate compulsus decerno mortem; expedit ut unus moriatur, quàm respublica periclitetur: Moriatur!

An conscientia te non remordet, an non repræhendit te cor tuum?

Judex, qui secundùm allegata & probata procedit, non errat: condemnarunt eum jam prius Pontifices ac Seniores populi.
Moriatur!

Sed justitia reclamat.

Interesse publicum justitiæ leges & statuta ponit.
Moriatur!

An insonti sanguine contaminare manus non horres?

Justè funditur sanguis unius, sitimenda laniena plurium.
Moriatur!

Audi obsecro uxorem, (a) *nihil tibi & Justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.*

Somnia non curat Prætor;
Moriatur!

Audi Judam: *Peccavi tradens sanguinem justum.*

Testimonium desperati nullum.

An non tu ipse innocentem dixisti? Dixi, sed non sufficit. Moriatur! Adesdum Satelles sententiam publica.

Nos Pontius Pilatus in Hierosolymis ac universa Judæa Præses, Jesum Nazarenum conspectui nostro adstantem, subversorem Gentis, Contemptorem Cæsaris, falsumque Regem Israel, (c) ut majorum gentis suæ testimonio probatum est, condemnamus, ducatur itaque ad communis supplicii locum, & cum ludibrio regiæ majestatis, in medio duorum latronum in crucem agatur. J Lictor, expedi cruces,

Væ tibi

(a) *Joann. cap. 27. Matth. cap. 27.* (b) *Adrichom in Terra sancta*

Væ tibi Solyma! quæ tam injustos Judices habes; olim sedes Dei, nunc spelunca Latronum: ah quanta tibi damna iniquum hoc inferet Judicium, quantas strages dabit! Cingent te tanta mala, ut montibus dicas cadite super nos: Valles tuæ resonabunt planctu, Civitas suspiriis; plateæ plenæ jacebunt cadaveribus, Turres solo æquabuntur, ignis absumet omnia: Triginta argenteis pretium mundi vendidisti, uno denario triginta Cives tui distrahentur; in Crucem nunc innocentem agis, at veniet tempus, quo sufficientes cruces non aderunt filiis tuis crucifigendis.

Lata est ergo fatalis sententia: O Innocentissime JEsu! (a) *dispone domui tuæ, tu enim morieris & non vives*: jam Crux parata, jam tuba feralis insonat; ad flebilem tuum triumphum tota quanta concurrit Solyma.

O Mitissime JEsu, jam hora est, quâ impleantur scripturæ; jam hora est (b) *ut Prophetæ tui fideles inveniantur*: Jam hora est, quâ exaltatus omnia ad te trahas: jam hora est, quâ divinæ justitiæ per mortem tuam satisfiet: Jam hora est, quâ sicut Adam ad vetitam arborem manum extendit, ita & tu manus tuas ad crucem extendas: Jam hora est, ut sanguine tuo Chyrographum debitorum nostrorum deleas, ac stipiti Crucis affigas: Hæc tandem hora est, quâ amori tuo, quo nos ita tenerè dilexisti, finem imponas! Mors tua vita erit Mundi.

Egredere proinde innocentissime Isac, montem doloris conscende, struem lignorum super humeros tuos porta, subi fatalem crucem; esto obediens Patri usq; ad mortem, conscende arborem Crucis, & decerpe nobis poma Vitæ, extende manus tuas, dilata pectus tuum, ut mundus universus in amplexum tuum ruat: effunde cruorem, qui adhuc residuus in benedictis tuis venis residet, quo totius Mundi delicta diluantur. Vade ergo Salvator Israel; tempus breve est, quo operari licet: post ternas horas inclinato capite emittes benedictum Spiritum, ac morte tuâ vitam Mundo restitues.

Auditores mœsti feralis Tuba iterum insonant; fit concursus grandis, clamor undiq; tollitur; rapitur ad necem innocens Agnus, Crux humeris ejus imponitur; Latrones bini præcedunt; Satellitum Turba latera stipat; tota sese extra portas diffundit Solyma.

O Triumphum lamentabilem! ô Spectaculum lugendum, ah quantum distat triumphus hic ab eo, cum acclamatum *Osanna filio David! benedictus qui venit in nomine Domini.*

O Cœca Jerusalem! Civitas barbara! en Vale tibi facit sponsus tuus nunquam rediturus; pulsabitis quidem Filiæ Syon januam cœlestis sponsi, at responsum non dabitur aliud, nisi *nescio vos.*

(a) *Isaiæ c. 38.* (b) *Eccles. c. 36.*

Valeto Civitas misera, quia *non remanebit lapis super lapidem:*

Valeto Templum, olim sedes Dei, *nunc Spelunca Latronum*; in favillam & cineres redigeris.

Vale Popule ingrate, faciem meam amplius non videbis, donec in nubibus Cœli venero, ac te cum cœteris reprobis æternis ignibus addicam: *Sanguinem meum de manu vestra requiret Pater meus cœlestis:* parcite nunc lachrymis, *nolite flere super me, sed super vos ipsos plorate*, nam Ego in interitu vestro ridebo.

Vix post casus plures & deliquia ad montem Calvariæ, Theatrum crudelitatis pervenit defatigatus Jesus, cùm de novo Tigrides furiosæ in eum irruunt, ac vestes sanguine implicatas vi magna diripiunt, largissimo imbre sanguinis de novo defluente: Hi crucem terebrant; hi scrobem effodiunt; hi clavos acuunt; hi funes parant; hi nudum deniq; Salvatorem in Crucem dejiciunt, manus pedesq; trabalibus clavis affiigunt; ac Crucem summo cum jubilo in altum levant.

O Cœlum! O terra! O Angeli! O Homines! O Petræ! O Saxa! O nunquam ab orbe condito visam tragœdiam!

Adeste nunc Mortales; huc curre Orbis, valedicturus Mundo ultima verba faciet Salvator tuus: *defecit in dolore vita ejus, & anni ejus in gemitibus:* congregamini ergo Filii Jacob, & audite Jsrael Patrem vestrum: adeste, paratus est vobis benedicere, hæreditatem distribuere, Testamentum ejus percipite, (a) nam Ambrosio teste Author pietatis in Cruce pendens Testamentum condidit singulis pietatis opera distribuens. Bonum testamentum, non pecuniæ, sed vitæ æternæ, non atramento, sed sanguine Filii Dei descriptum: neq; dubitandum est de valore, solemne erat, Notarius Joannes: Testes septem omni exceptione majores,

Sol obscuratus.
Terra mota.
Petræ disruptæ.
Velum templi scissum.
Monumenta aperta.
Centurio Deum glorificans.
Turbæ percutientes pectora.

Audiamus igitur attentis animis Testamentum Creatoris nostri.

Huc adesto afflictissima Mater, (b) *prior in donis, major in imperio.* En lego tibi pro me in filium & ultimum solamen amantissimum meum Discipulum Joannem, & tibi vicissim dilecte Benjamin, lego Margaritam cui cœlum & terra æqualem non habet, Genitricem nimirum meam desolatam: *Ecce filius tuus! ecce Mater tua!* reverere eam, dilige ac venerare.

Age Dismа ad latus meum pendule Latro, quia in ipsis etiam tormentis confessus es filium Dei: en lego tibi regnum cœlorum: (c) *hodie mecum eris in Paradiso.*

Huc

(a) *Hybernicus in Floribus V. Passio.* (b) *Genes. c.* 49. (c) *Lucæ c.* 23.

Huc adeste præ metu & timore dispersi & fugitivi Apostoli, & vobis Passionis meæ Calicem lego: bibite & inebriamini Charissimi. (a)

Huc adeste Martyres purpurati, vincula, funes & catenas meas vobis dono: (b) Sed scitote vinctum esse propter Christum illustrius esse quàm cœlos inhabitare, aut super duodecim thronos sedere Judicem.

Huc adeste sacerdotes mei, qui portatis vasa Domini: candidam vestem, in qua mihi ab Herode est illusum, vobis dono, ut memineritis puritatis debitæ; ut si fortè & Vobis illudat Mundus, memineritis Magistri, *cujus faciem cooperuit opprobrium & confusio.*

Huc adeste Religiosi & Cœnobitæ, en clavos, quibus manus & pedes mei Cruci sunt affixi, vobis lego; ut per vota vestra sitis & vos semper Christo confixi; & licet Mundus subindè inclamet descende de Cruce, exempli mei memores, obturetis aures ad sibilos Basilisci.

Huc adeste Tentati, quos Caro, Mundus & Dæmon infestat; en 5. mea vulnera vobis pando: erunt hæc vobis Civitates refugii, Turres & Asyla, ex quibus pendent mille Clypei, & omnis armatura fortium.

Adeste Reges & (c) *Principes gentium, qui dominamini super bestias*: En lego vobis Purpuram Cruore meo conspersam: Cavete ne aliquando vestras subditorum tingatis sanguine: lego & vobis sceptrum, sed arundineum: Coronam addo, sed spineam, ut discatis omnia Regna mundi esse vacua ac sine medulla; à qualibet fortuna, aut vento huc & illuc agitari; ut discatis Coronas vestras licet aureas & gemmis interpunctas mille tamen Curis esse circumseptas.

Huc huc Avari Euclones, qui diu noctuq; corraditis aurum, & coacervastis argentum: en lego vobis Loculos Judæ, quos Mercator ille pessimus pœnitentiâ ductus retulit; agite negotiamini cùm iis prout libet. Vendite me iterum, si placet, en præsto sum: at cavete, ne eundem finem sortiamini, & pecunia vestra sit vobis in laqueum & perditionem.

Adeste luxuriosi capri, principium dolorum meorum: lego vobis flagella & Virgas, quibus adeò miserè sum concisus & deturpatus: Libido vestra hæc mihi inflixit vulnera; turpitudines vestræ ita me deformarunt: arripite flagra hæc, & quoties caro concupiscet adversus spiritum, toties castigate corpus vestrum, ac in servitutem redigite.

Huc huc Vindicativi, qui hostium vestrorum sititis sanguinem: Ah quoties admonui vos, *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*; sed aures vestras ut venenatæ aspides obturastis: Ecce defecit in dolore vita mea; inter tormenta, inter blasphemias in cruce modò desertus pendeo, & cùm manus clavis affixas solvere nequeam, ut iis hostes meos amicè complectar, linguam,

(a) *Cantic. 5.* (b) *Chrysost. in Epist. ad Ephes. c. 4.* (c) *Baruch. c. 3.*

guam, quæ sola sine vulnere permansit, substituo, eamq; ad Patrem meum dirigo, ac altùm cum lachrymis exclamo Pater Sancte, ignose illis, quia nesciunt quid faciunt: Si tamen adhuc spirantes minarum & cædis in hostes vestros non nisi sanguine inimicorum deliniri potestis, en lego vobis lanceam, petite cor inimici, fodite pectus, sed scitote tangendo eum, tangi & pupillam oculi mei: Quod si tamen cruor placet, bibite ex latere meo sanguinem aquâ mixtum, attemperabit hic sitim & iras vestras. Spongiam addo, quâ injurias vobis ab hostibus illatas generoso pectore deleatis, nisi & vos deleri velitis de libro viventium.

Huc huc potatores, ac temulentæ hydriæ, en propino vobis, sed fel & accetum, quo causâ vestri sum potatus; gustate & videte; remedium erit saluberrimum temullentiæ vestræ temperandæ.

Adeste invidi Canes, rixosi molossi, inimici pacis, concordiæ & felicitatis alienæ: hæreditas vestra sit Tunica mea inconsutilis; cavete, ne eam per dissensiones & discordias vestras scindatis; Vestis enim hæc erit vobis vestis amoris & mutuæ cohærentiæ, sine qua, si ad nuptias æterni Regis comparere præsumatis, (a) scitote vos in tenebras exteriores ejiciendos, ubi erit fletus & stridor dentium.

Huc & vos Filiæ Jerusalem properate, quæ parum pudicè obtegitis corpora vestra, ac scandalum ponitis filiis Israel: En lego vobis Velum Veronicæ, hâc sindone tegite nuditatem vestram, & respicite in faciem Christi, qui olim denudabit abscondita cordium vestrorum.

Et vos in fide nutantes & instabiles arundines, adeste, Columnam, quâ alligatus eram, vobis lego; sit hæc anchora vestra, ne hæresum aut diffidentiæ fluctibus abrepti, infelix à fide patiamini naufragium.

Adeste & vos in peccatis vestris obstinati peccatores terræ, Talos vobis & aleas lego, quibus super vestimenta mea milites miserunt sortem; jacta est enim de vobis alea, aut enim Paradisus cum Dismâ si resipiscatis, aut æternæ flammæ cum reprobo latrone vos exspectant: in manu vestra nunc est eligere, aut ardere, aut pœnitere.

Vobis deniq; omnibus, qui hâc luce convenistis, ut memoriam Passionis meæ devoto corde ac contrito animò recolatis, Thesaurum unicum, quem ab incunabulis meis toto corde dilexi, lego, Crucem nimirum meam; hæc enim scala est, quâ ad æterna gaudia ascenditur: hæc clavis est, quæ Paradisum reserat: hæc Clypeus est, qui in periculis vos tuetur; hæc Turris est, quæ inimicos arcet: hæc sit portio vestra & hæreditas in æternum: in Cruce enim omnis salus & felicitas vestra consistit.

Terræ

(a) *Matt.c.22.*

Terræ Corpus meum relinquo post triduum iterum resuscitandum Patri verò æterno in manus commendo Spiritum meum.

Sic constituto Testamento (a) *cum clamore valido & lacbrymis inclinato capite tradidit Spiritum.* (b)

Mox Sol Judæorum pertæsus Deicidium terras replevit tenebris, Stellæ retraxerunt radios suos : Marmora & Petræ sunt disruptæ ; Tremore concussa tellus, Monumenta aperta, Velum deniq; Templi scissum in duas partes.

Utinam mœstissimi Auditores eadem signa & Prodigia in nobis contingant!

Utinam ab insensatis Elementis discamus facere luctum Unigeniti!

Utinam indurata corda velut Petræ rumpantur ac præ compassione in mille frusta findantur!

Utinam monumenta, & sepulchra nostra dealbata, in quibus fœtens Lazarus, nō per quatriduum, sed plures annos hactenus computruit, sese aperiant, & mortuos suos, vivificatos per sanguinem Christi vitæ iterum restituant.

Utinam viso hoc lamentabili spectaculo cum Centurione revertamur in Sanctam Civitatem, percutientes pectora nostra, exclamantes: Verè filius Dei fuit iste.

Utinam non verificetur de millenis Christianis effatum illud Hieronymi : Omnis Creatura Christo patienti compatitur, solus homo non compatitur, pro quo tamen solo Christus patitur.

Auditores! indignamur quidem Judæis, execramur eorum rabiem & Tyrannidem, detestamur odia eorum & invidiam, sed longè deteriores illis existimus.

Maledicimus Judæ Mercatori pessimo, qui 30. argenteis Mundi pretium vendidit; nos pro minimo obolo, infami voluptate, lucro injusto centies Christum tradimus in manus peccatorum.

Cruciarunt Hebræi filium Dei tormentis, non peccatis dolorem dolori addimus.

Illi maledixerunt Christum pendentem in Cruce; nos blasphemamus regnantem in cœlo.

Felle & aceto sitientem Christum potarunt Judæi; nos quotidianis nostris quærelis & murmurationibus ad amaritudinem & iracundiam Deum provocamus.

Aperuêre illi Lanceâ Latus Christo mortuo; nos per rancores odia & vindictas cor & latus ipsius resurgentis rumpimus.

O Ingratitudinem Christianorum! ò pectora dura! ò corda ære fusa! *Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens?*

Ecce! dilexit te adeò Pater æternus, ut proprio filio non pepercerit, sed pro nobis in mortem eum tradiderit Joanne Teste: Sic Deus dilexit Mundum. &c.

Adeò amore tui captus est Filius, ut vin-

(a) *Hebr. c. 5.* (b) *Joan. c. 19.*

ut vincula, catenas, virgas & flagra, pœnas & tormenta in deliciis numeraret ſuis, ſitim eorum ne quidem in Cruce reſtinguere valens: ut vitam tibi daret, vitam in Cruce ſuam poſuit; ut te redimeret, pro lytro proprium ſanguinem dedit; ut te de peccatis tuis emundaret & ablueret, ex latere aquam & ſanguinem ſtillavit.

Reſponde ergo Deo & Salvatori tuo amore pari; ex oculis lachrimas, ex corde ſingultus & ſuſpiria deprome; *deducant oculi tui quaſi torrentem lachrymas per diem & noctem, & non taceat pupilla oculi tui*: (a) *Omnis enim anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis.* Inſpice acclamat tibi Auguſtinus l. de Virgin. inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis: caput habet inclinatum ad oſculandum; cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum Corpus expoſitum ad redimendum: hæc quanta ſint cogitate, hæc in ſtatera cordis veſtri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in Cruce. Votum meum non reſtat aliud, quàm ut vobis pro benedictione apprecer *Oculos Magdalenæ* lachrymis madidos: *faciem Diſcipuli pallidam & mœrentem*, *Cor deniq; doloroſæ Matris* doloris gladio transfixum. *Ite in pace.*

(a) *Levit. 23.*



INDEX COPIOSISSIMUS

Rerum Memorabilium, hoc Opere contentorum.

A.

tantis

G.

H.

I.

Finis

N.

O.

Q.

R.

S.

T.

Tempo-

V.

X.

Z.



Errata emendanda.

Fol.12. Furus corrige futurus fol. 19 tricum triticum. fol. 20 lament lamenta. fol.
24. Cornucopiæ Cornucopia fol. 25. dræcinctus præcinctus 26. Simeon Simeone fol.
33. uris vestris fol 33 ejus ejus fol. 34. teneriffama Teneriffam fol. 34. obterpuit obtor-
puit fol. 34. audatior. audacior fol. 34. digidum digitum fol. 34. hæc. huc fol 35 barbari.
barbaris. fol. 38. feere. fuere. fol. 38. infirmate infirmitate. fol 39 ulcifcerentur ulcifce-
rentur. fol. 39 diffolveret diffolveretur fol 40 efficacem efficacem fol 41 aut quid o-
peris aliquandoDeo patraffet. leg. aut quid operis boni aut Deo grati aliquando patraffet.
f. 45 votæ rotæ. fol 49 nobis. vobis fol. 54 edere. cedere. fol 55. maculam. macula fol.
55. feparem fe parem fol. 56. mali male fol. 56. rofam rotam. fol 60. Adulterii Afce-
terii fol. 64. Altitudine. Altitudinem fol. 64 abjece abjeci. fol. 67 Mannus Manus fol.
69. Mariæ Maria fol. 67. lapicum lapidum. fol. 71 vimpetrabit. impetrabit. fol 77 dif-
rempet difrumpet. fol 77 appofuerunt oppofuerunt. fol 79. adora. adorna fol 79 faluta-
bit. falvabit. fol 79 fed eduxit. fe deduxit. fol. 80 rapit repit fol 91. perpetiatur perpe-
tratur fol 91. nomini nemini fol. 95. qui. quia. fol. 95. nhilum nihilum fol 95. invidio fu-
um. invidiofum fol. 97. Stephani Stevini fol 97. Dichbæo Dickbæo. fol 97 eæ ex fol.
98 nigros. nigris fol. 100. velitis. vetitis fol 101 veniæ. venis. fol 101. ille illæ fol. 108.
inveni inveniam. fol. 109. amere. amarè fol. 114. fibivitam. fibi vitam fol. 114. alis. aliis.
fol 114. veterii veterum fol 114 evertit avertit ... fol. 115.
fuæva fæva. fol. 117. confeffus converfus fol 117. quæ qui fol. 117 oftendit obtendit.
fol. 119 caterna. caterva fol 119. adderet. adderetur fol 120 gravatur. gravetur fol. 121.
antemurum. antemurale fol 123. fuam. tuam. fol. 127. alterat. alterat fol 128. aramata.
aromata fol. 129 aufterea. aufteritas fol. 132 Joannis Joannes f 133 memoris. memores.
fol 133. hirfatæ hirfutæ fol 133. colore. colere. fol. 137. pollicem pellicem fol 138.
querquam quenquam fol 138. vgetat vegetat fol 138. decumbaus decumbens f 139.
adpataffet adaptaffet f 140. idololatrai idolatriæ fol 140 cæcuitiedant. cæcutiebant fol.
150 Salvataris Salvatoris fol 154 pervetantur pervertantur fol 159 cororo corona. fol.
palp palpi fol. 159 digtium digitum fol 161. exeutiendi excutiendi fol 170 ulto ultro.
fol. 171. venitarum vanitatum. fol 172. confpiendum confpiciendum. fol 175 afpiriciat.
afpiciat fol. 173. obediebanter. obediebant ei. fol. 179. ad ac fol. 181. imitatur imitatus.
fol 181. perticus. percitus f. 182. obtemeprant obtemperant fol. 182 mifi. miffi fol 182 ac.
ad. fol. 182 lignia ligna fol. 184. Gieti. Giezi. fol 184. tuæ. fuæ. fol. 186. Joannas Joannis.
fol 187 gemina gemino. fol. 187 venient veniet. fol. 188. vitis vilis fol 198. domino. domo
fol. 209. leprofus leprofos. fol 233. iis is. fol 233. varriis. variis fol. 234. patrendum. pa-
tiendum f. 234. Romæ. Romanorum. f. 236. quafi paffi. f 236 extendita. extendite f 236
ica ita. fol. 236 rudam. nudam. fol. 247 noviffimus novimus fol 248. fui fin fol. 250 præ-
teret præferet fol. 251 ille tam. illatam. fol. vacat. vacet. fol. 242. percunctum perun-
ctum fol 258 tinc hinc. fol 259 tre tres. fol. 270 Gregorii. Georgii fol 275 Minoris Mi-
nois fol. 275. Michael. Michol fol. 277. fores frons. fol. 280 prodigium. prodigum fol.
281. frœnum fœnum fol. 182 frequentur frequenter. fol. 282 amplexenter amplexentur.
fol 282. confinat. confonat fol -- dum fol. 289. fortiter fortior. fol. 294. nullus nullis.
fol. 297 Tubam Tumbam fol. 297. verifieatem verificatum. fol. 301. navibus naribus.
fol. 308. Mart. Martyrii fol algenam lagenam fol 356 diverfum concionatorem diver-
forum concionatorum fol 367. tribulationem. retributionem. fol. 384 communis com-
muniter. fol 395. finitam. infinitam. fol. 397. -- ut fol. 398. eft &c. fol. 401. adorendum.
adornatum. fol. 405 legi lege. fol. 406 fermocianantis. fermocinationis fol 417 f apulis.
fcopulis. fol. 418. trepedianter. trepidantes fol. 420 an. ad fol. 428. Doctorem Docto-
rum fol. 442. navia. navigia. fol. 445 --- in fcyllas fol. 447 araconum draconum fol 447.
Sthrutionius. Struthionum. fol. 447. extinuit. extimuit. fol. 453. profuudem profundum.

